UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Usu & Abusu Doctrinæ Divi Thomæ Pro Xaveriana Academia Collegii Sanctaefidensis in Novo Regno Granatensi, &c

Martinez de Ripalda, Juan

Leodii, 1704

urn:nbn:de:hbz:466:1-84322

Visual Library

Th. 899a.

C III
3.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE

USU & ABUSU DOCTRINÆ DIVI THOMÆ,

PRO

XAVERIANA ACADEMIA COLLEGII SANCTA FIDENSIS in Novo Regno Granatensi, &c.

AUTHORE P. JOANNE MARTINEZ DE RIPALDA Navarro ex Urbe Olittensi, in eâdem Academiâ Theologię Professore, posteà ejusdem Academiæ & Collegii Rectore, nunc misso Procuratore Gñali ad utramq; Curiam Pontificiam & Regiam Matritensem.

SECUNDA PARS THEOLOGICA.

LEODII,
Apud GUILIELMUM HENRICUM STREEL,
Suæ Serenissimæ Celsitudinis Typographum.

M. DCC. IV.

Kampe
et
Dipale



CELEBERRIMÆ,

AC PRÆSTANTISSIMÆ

SCIENTIARUM UNIVERSITATI

IN COLLEGIO SOC. JESU,

URBIS QUITENSIS

in Americâ,

Sub titulo Divi Gregorii erectæ, & Collegio Majori S. Ludovici Felicitatem.

TANTI facta est apud me Sapientiæ tuæ Majestas, ACADEMIA PRÆSTANTISSIMA, ut nefas duxerim, si alteri, cui obsequar, Throno, alteri, ad quod appellem, Tribunali me sistam. Recipies ex me, & ut mihi suasum feci, non invita tenuem Theologiæ meæ laborem nuperrimè prodeuntem; quandoquidem nec maria rivulos, nec Reges dedignantur tributa. Abundè profectò mei Operis indigentiæ provisum fore crediderim, si Tuum feceris patrocinio, quod Tibi deberi non dubitavi, ipsammetque de eodem sententiam feras, quam de

Doctrinâ tuâ huc usque tulisti: Et sanè non aliter sperem, mea etenim Mens eodem tendit, quò tua; cùm non aliò spectes, quàm ut divina Doctoris Angelici sensa pro tuis viribus tuearis, non aliud quidpiam ego velim, quàm ut id ipsum tuus veluti Præco nescientibus propalem. Vestrûm igitur inprimis sit meæ causæ patrocinari, SAPIENTISSIMI PATRES, qui Sapientiæ sedes impletis in celeberrimo Quitensi Collegio, futuram portendens in scientiis præstantiam, non immeritum dedit. Jam satis compertum habui vos, quotquot estis scientiarum præclarissima lumina, tantâ doctrinarum luce splendescere Novi Orbis in Hemispherio; quin etiam beneficos adeò circumquaque influxus diffundere, ut meum hoc Opus hujuscemodi avidum sortis radiis Vestris, Vestræque beneficentiæ exponi voluerim. Mirernè! si crescant in dies proficuo Vestrûm sub aspectu, tenerrimæ veluti arbusculæ, eos quos assidui colitis, adolescentes, & spem surgendi virtutis in robora non imparem faciant fulgoribus iis, quibus uberrimè fœcundantur. Novum non est, si Patriæ valedicat amænitati Juventus Panamica meliori fruitura solatio; si tellus Poparanica teneram adhuc prolem materno è sinu sibi dulciter eripi patiatur; si tot regiones dissitæ libenti animo suis partubus viduentur: ea omnibus una mens est, ut scilicet saluberrimo vestro sub cœlo pueri, quibus annuunt spoliari, rudes dediscant mores, firmentur in animo viribus, virtutibus imbuantur, & quos Vobis colendos crediderant flores, sibi fructus recipiant. Nec aliter expectari posse putemus, cùm ea vobis omnibus insit in erudiendo frequentia, in benefaciendo nunquam interrupta sedulitas, ut veri planetarum æmulatores necessariò beneficium præstare videamini, quod equidem non est necessitati tribuendum, sed electioni. Verùm ut gloriæ Vestræ prudentiùs consulam, utque declinem à periculo, quod pauca referentibus imminet, ineptus plura dicere silentio cedam, ne plusquam par est Vestræ sim obnoxius moderationi, hoc uno felix: si per Vos mihi detur ad altiora conscendere, quod facilè meo huic Operi præsto futurum arbitror, cùm gradus, qui viam sternunt

nunt ad ſublimiorem Sapientiæ ſedem in Ampliſsimo Divi ALOYSII Collegio collocatam, Cuſtodiæ Veſtræ ſint demandati. Equidem ſi magnum eſt quod meæ mentis labor Sociis arrideat meis, maximum rebor, ſi tantæ Univerſitatis verendo pariter ac venerando Capiti, ſe tuendum probavit. Quapropter conſpectui Veſtro obſequentem me ſtatuo Sapientiſsimi hujuſce Reipublicæ Moderatores, Veſtroque comprobandos Judicio meos ſenſus exhibeo. Non eſt cur amplius expetam, ſi à prudentiſsimo Veſtrûm Magiſtratu jam à ſœculo ſcientiarum ſolium obtinenti annuentem cauſæ meæ ſententiam reportem; cui velut Oraculo à rectitudine Veſtrâ inconcuſſam ſpondeo veritatem, ab antiquitate venerationem. Quamquam quid auxim de Veſtris laudibus recenſere, quaſi verò aut firmiùs conſolidari, aut altiùs poſſent extolli. Primum nequeo: Veſtra ſiquidem in Rempublicam merita jam ſibi laudes juridicè compararunt. Alterum verò ne præſumpſerim, cum eo ſurſum pervenerint, ut ſub Hiſpanico Throno recepta conſpiciantur Ecquis ignorat ea, quæ ſeptemdecim ante annos formiter delata, octodecim magni nominis teſtibus confirmata, atque ab utroque Judice, tum Sacro, tum Regio approbata fuêre. Quàm alacri mirantique animo Generalis hujuſce Diœceſis Vicarius, quinimmò Univerſa Quitenſis Eccleſia debuit excepiſſe Vos optimè de ſe meritos ſemper fuiſſe; cùm nempè Paſtores Catholicis Gregibus, Cathecumenis Inſtructores, Evangelio Promulgatores, Hiſpanis, Indis, exteris pro quorumvis ſpiritus indigentiâ Moderatores Veſtra ſuppeditavit Academia; cùmque totam Urbem, totamque Provinciam ſacris ubique plenam Rectoribus, iisque Veſtræ Univerſitatis Alumnis teſtatum audierit. Numquam tale auditum eſt, quod de hujuſmodi Sapientum conſeſſu Regio Proviſori eâdem delatione juridicâ depoſitum fuit: inde videlicet prodiiſſe Patronos, qui Cauſas agerent; Doctores, qui Legibus invigilarent; Judices, qui conſulerent æquitati, Curiis Miniſtros, Tribunalibus Præſides, totique propemodum ſuſtinendæ Rei-

publicæ aptissima Sapientiæ fulcimenta. Quæ omnia quantum Honori Vestro, Vestræque Æstimationi conducant, nemo non videt. Verùm quid plura commemorem, cùm pro omnibus id unum satis superque sit, impositam scilicet Regali manu Gloriæ Vestræ Coronam vidisse. Vidimus equidem tot meritorum famam Celsissimum nostri Regis ad Thronum stetisse. Vidimus & nos summis à Rege donatos honoribus, & in supremo Sapientiæ inconcusso ejusdem Diplomate collatos. Num igitur poterat tolli sublimius Universitas Vestra, quam quod potentior in toto Orbe Monarcha suo Jussu decimâseptimâ Augusti quinque ab hinc annis habito D. ALOYSII majus Collegium, Majorum Academiarum cultu ac privilegiis frui decreverit: eidemque fecerit potestatem suorum capita Discipulorum Doctoratûs laureâ coronandi. Num poterat certiùs in eâ, quâ gaudet authoritate constitui, cùm Regi Mens declaratum voluerit, Gradus omnes à Vobis collatos nullis Peritis cujusvis Universitatis gradibus esse secundos, & nostram velle Societatem in Urbe Quitensi Illustrissimæ P P. Prædicatorum Familiæ in laureis conferendis æquari. Quod quidem potest facilè noviisse, qui velit, tantùm consulat Regale Decretum, quod octavâ suPra decimam Martii quatuor ante annos è Typis prodiit. Num denique glorioiùs excipi poterat quàm ut Rex Invictissimus hanc eamdem veluti Scientiarum Reginam Academiam suo colendam sub Imperio, suâ potentiâ defendendam, eodemque suo protegendam sub Throno supremis verbis firmaverit. Quid ultrà potuit expectari, cùm etiam de ornatu Sapientiæ vestræ sollicitus ex ære proprio duplici Alumnorum binario quotannis alendo munificè suppeditari mandaverit. Id unum supereit ut coronato Scientiarum capiti debita præstentur obsequia, tributa solvant. Vos itaque, SAPIENTISSIMI PATRES; Vobis, DOCTORES ORNATISSIMI, quotquot laureato vertice collatum Sapientiæ solium occupatis, Vobis, inquam, gratulor

in

in gloriæ fastigio dignitatem utrique Orbi spectandam. Gratulor itidem & meo Volumini illam, quæ Vestris sub Auspiciis ipsi manet, felicitatem. Vale.

Observantissimus Dominationis Vestræ,

Procurator & Cliens,

IOANNES MARTINEZ DE RIPALDA.

APPRO-

APPROBATIO

INfraſcripti teſtantur Opuſcula Philoſophica & Theologica R. P. Joannis Martinez de Ripalda Societatis JESU, nihil continere contra Fidem, aut bonos mores, ſed potiùs multa utilia, propter quæ merentur imprimi. Leodii 20. Maii anno Dñi 1703.

F. MACCARELL, Eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis Decanus, Examin. Synod.

HENRICVS STEPHANI, Soc. JESU, S. Theologiæ Profeſſor in Seminario Leod. Examin. Synod.

Imprimatur.

G. B. DE HINNISDAEL, Coad. & Vic. Generalis Leod.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus Societatis JESU in Gallo-Belgicâ Provincialis, juxta Privilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur ne Libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos abſque Superiorum Permiſſione imprimant, facultatem du GUILIELMO HENRICO STREEL, ut ad ſex annos proximos poſſit imprimere Librum cui Titulus *De Uſu & Abuſu Doctrinæ D. Thomæ, &c.* Auctore R.P. JOANNE MARTINEZ DE RIPALDA, Soc. JESU. Datum Luxemburgi 22. Maii 1703.

LEONARDUS VERNUEIL.

OPUS-



OPUSCULUM PRIMUM.

De Divinâ Motione.

QUÆSTIO I.

De Usu, & Abusu Divinæ Motionis.

VT naturam Liberi Arbitrii in superioribus discussam, ulteriori luce penitius pervadamus, hîc notandum est id, unde reliqua pendent, nimirùm quâ ratione dicatur voluntas humana à primâ causâ moveri, quove modo illa suppetias Divini Concursûs deposcat pro constituendo sibi libero, expeditoque suorum actuum exercitio: Sic enim, si cum Adversariis in eam de Divinâ Motione discussionem priùs descendamus, faciliùs modum de efficaciâ gratiæ, & humanæ voluntatis libertate expediemus.

LECTIO I.

Communis, & certa utriusque Scholæ Doctrina ex Sanctis Patribus illustratur.

Immediatus Dei concursus communiter ab omnibus admittitur.

1. DOCTRINAM igitur de Motione, & immediato concursu Dei amplectuntur cõmuniter Doctores omnes, si unum Durandum ex Dominicanâ Familiâ, & alterum Ludovicum Dola ex Capucinorum ordine Adversarios excipias, qui extra communem tum Philosophorum, tum Theologorum orbitam exilierunt. Possem facilè hîc attexere syllabum Sapientissimorum Scholasticorum, malè de contrariâ opinione sentientium: at ni mihi ipse modum ponam circa notas, quas impingunt, video, nullum fore Scholasticorum allegandorum finem: quia tamen in Cursu Philosophico de universali concursu Dei cum creaturis, imò & de ipsâ prædeterminatione plura spacioso calamo, dedimus universalem doctrinam ad hoc punctu mde libero Arbitrio, in quo versamur, necessarium erit restringere.

Probatur explurib. Scripturæ locis & ex S. Augustt.

2. Constat igitur hæc communis sententia ex unanimi Patrum consensu inter explicandum ea Scripturæ loca; scilicet Actor. 17. *In quo vivimus, movemur, & sumus.* Isaiæ 26 *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine,* 1. Corinth. 12, *Operatur omnia in omnibus.* Joan. 5. *Pater usque modo operatur.* Igitur

Theol.

bonum omen, & agmen ducat primus S. Augustinus. lib. 5. de genes. ad litt. cap. 20. ad rem inquiens. *Sunt, qui arbitrantur tantummodò mundum factum à Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit, Deum autem ipsum nihil operari; contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus usque nunc operatur.* Et infra: *Sic ergo credamus, vel si possumus: etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus, operatio ejus subtrahatur, intereant.* Subdit etiam: *Movet itaq; occultâ potentiâ universam creaturam suam, eoq; motu illa versata, &c.*

Item ex S. Anselmo in cõcordia c. 2

3. Sequitur Anselmus in Concordiâ, cap. 2. dicens: *Omnis qualitas, & omnis actio, & quidquid aliquam habet essentiam, à Deo est, à quo omnis justitia, & nulla injustitia. Facit igitur Deus omnia, quæ justâ vel injustâ voluntate fiunt, idest, bona opera, & mala; in bonis quidem facit, quod sint, & quod bona sint: in malis verò facit, quod sint; sed non quod mala sint.* Idem iterat cap. 4. dicens: *Deus habet in bonis, quod bona sunt per essentiam, & quod bona sunt per justitiam; in multis verò solummodò quod bona sunt per essentiam, non quod mala sunt per absentiam debitæ justitiæ; quia non est aliquid.* Certè non potuit Sanctus Anselmus expressiùs sententiam tradere de consensu, seu motione Dei ad quasvis actiones immediata, quam his locis fecit.

Rursùs ex S. Bonaventura in 2. dist 37 a. 1. q. 1.

4. Sanctus Bonaventura efficacissimam aliam rationem breviter, & optimè præbet in 2. distinct. 37. art. 1. quæst. 1. per hæc verba: *Quia enim Deus est causa primordialissima, ideò est influentiæ maximæ in causas secundas, & adeò magnæ influentiæ, ut nec modicum, seu quantumcumq; parvum (dum tamen aliquo modo sit ens) procedat ab aliquâ causâ creatâ, nisi cooperante divinâ potentia; omnis autem potentia creata quantum est de se defectiva est, nec est purè activa: ergo quantumcumq; faciat modicam operationem, necessè habet adjuvari ab eâ potentiâ, quæ est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materiâ, & quæ sola sibi sufficit, nullo modo indigens adjuvari ab aliâ causâ. Et ideò hæc propositio, quæ dicit omnem actionem esse à Deo, solùm quod actio est, absque omni ambiguitate tenenda est.* ita Sanctissimus Doctor Bonaventura. Eundem concursum probat Sanctus Bernardus in libro de libero arbitrio, versùs finem dicens: *Deus voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati;* Ita ibi. Sed applicare & movere perinde se habent, sicut in idem recidunt, quod artifex moveat instrumentum, ac quod illud applicet.

Tandem ex Aristotele, & S. Thom. 8. phys. tex. 35.

5. Denique hanc doctrinam ortum duxisse ab Aristotele totius Philosophiæ Principe passim volunt Scholastici, inter quos nobilissimus ejus Interpres D. Thomas 8. Physicor. textu 35. dicens: *Utraque igitur movere dicimus, & primum & ultimum moventium: sed magis primum; illud enim movet ultimum, sed non hoc primum, & sine primo quidem ultimum non movebit; illud autem sine hoc; ut baculus non movebit nisi moveatur ab homine.* Ita ibi. Nec est audiendus Penotus, dum ait, nihil firmum posse colligi ex Aristotele ad ostendendum, voluntatem in suos actus à Deo moveri; tum quia in eo textu universaliter loquitur Philosophus; tum quia receptissimum est in Scholis alterum ejusdem principium, scilicet *omne quod movetur ab alio movetur.*

LECTIO II.

Patrum Dominicanorum expenditur Placitum.

Expendi-tur prima præmotio à Thomistis acriter propugnata.

6. PRima in hoc puncto sententia, quæ à Magistro Bannez radices fecit in Illustrissimâ PP. Dominicanorum Scholâ, asserit, Deum prædeterminatione quâdam physicâ liberũ arbitrium præmovere quoad exercitium operandi ita, ut prædeterminatio ad voluntatis consensum: non solùm ipsum consensum antecedat, ad quem datur, & applicat voluntatem; sed tali vi, & efficaciâ præmoveat, ut impossibile sit, quod liberum arbitrium, positâ eâ physicâ prædeterminatione, conjungat, & ponat actum contrarium, sive dissensum cum illâ. Hæc opinio ut jacet à Magistro Bañez ad posteros usque hujus Scholæ Doctores sic pervasit, ut eam velut primum certissimumque principium sibi præfigant ad expediendas controversias de Auxiliis, aliasque difficultates, quæ meliorem suæ Theologiæ partẽ occupant. Quia tamen ab incunabulis minimæ nostræ Societatis Jesu Doctores nostri vires & animum contra hunc opinandi modum acriter intenderunt, nec usquequaque disputandi calor defervuit ex frequenti incursu disputantium, plura antiqua noviter dicta sic apprehendo, ut nisi explicentur, & nobis constet, quæ jam sit eorum mens, vel potiùs loquendi modus, oleum & operam ludere, nobis necessum erit, nec sine magno hujus gravissimæ controversiæ præjudicio; à quâ potissimùm pendet concordia gratiæ efficacis, & aliorum actuum divinorum cum libero arbitrio. Id ergo non aliter præstabo, nisi puro veritatis candore percurrendo Recentiorum Dominicanorum sensum, & quoad fieri possit, modos etiam loquendi.

Principia recensemus quibus innixi tur physica Thomistarum præmotio

7. Igitur in controversiâ, de quâ agimus, est primum adversæ partis principium, Deum non solùm moraliter movere liberum arbitrium ad operandum, scilicet ei objectum per illustrationem aliquam proponendo; sed etiam eum physicè præmovere immittendo videlicet, & infundendo potentiæ liberæ

liberæ aliquid, quo liberum arbitrium motum suas liberas operationes eliciat. Ita ut hæc præmotio sit immutatio quædam physica voluntatis. Sic omnes Contrarii cum Magistro Gonet tomo 3. disput. 6, artic. 2. & Ill.mo Godoy,

8. Secundum principium est, Deum non solùm liberum arbitrium præmovere præmotione ad consensum antecedenti; sed etiam physicè prædeterminare voluntatem ad unum; ita scilicet, ut voluntas, quæ ex se est indifferens ad amandum vel odio habendum, sive ad amandum, vel non amandum prædeterminetur physicâ illâ, & præviâ motione ad amandum potiùs, quàm odio habendum, vel potiùs ad amandum, quàm non amandum. Ita Schola contraria, ut colligitur ex Gonet loco citato §. 4.

9. Tertium ejusdem Scholæ principium est, voluntatem, quæ erat in potentiâ ad operandum, constitui prædeterminatione divinâ in ratione principii actualis operationis, non quod physica prædeterminatio sit ipsa voluntatis operatio; sed quod ipsa voluntas, quæ merè passivè se habet respectu prædeterminationis, per istam constituatur in ratione principii actualis, seu actualiter elicientis volitionem, habentisque cum ipsâ volitione indissolubilem nexum; quia constitutivum principii actualis, ut ait Gonetus, duo habet, nimirùm & quod sit indissolubiliter connexũ cum ipsâ operatione (implicat enim, dari actuale operationis principium, & non poni ipsam operationem) & quod eam prioritate saltem naturæ antecedat. Ita idem Magister, ut constat ex suo §. 7.

10. Quartum principium est, actualem operationem voluntatis esse impossibilem, nisi Deus imprimat voluntati creatæ, sive libero arbitrio physicam illam prædeterminationem; item carentiam, sive omissionem liberam actualis operationis, sive actum oppositum illius operationis ad quam datur physica prædeterminatio, esse omninò impossibilem cum tali prædeterminatione, ita ut tam chymæra sit conjunctio carentiæ operationis, vel actus oppositi cum physicâ prædeterminatione, ac hominem equum dicimus chymæram. Ita Gonetus per totam disputationem citatam, & omnes ejusdem Scholæ Recentiores tam in eorum scriptis, quàm in publicis disputationibus.

11. Quintum principium est, Deum movere, prædeterminare voluntatem motione illâ præviâ, secundùm ejus conditionem, & naturam; ita tamen, ut ex necessitate non moveatur; sed maneat indifferens non indifferentiâ potentiali, & suspensivâ (repugnat enim voluntatem efficaciter moveri ad agendum, & tamen manere in merâ potentiâ indeterminatione, ac suspensione) sed indifferentiâ actuali & positiva; quia ita illâ movet ut sub divinâ motione semper retineat dissentiendi potentiam, quia quamvis per divinam motionem prædeterminetur ad unum, indeterminatè se habet ad alia. Ita Magister Gonet §. 15.

12. Igitur in hoc principio mens Recentiorum hujus Scholæ est primò quod voluntas nostra ut est, & consideratur ante motionem divinam, habeat solùm potentialem & suspensivam indifferentiam eò quòd voluntati deficiat actus divinæ motionis, quo illa potentialis indifferentia suppletur in ratione principii actualis, & in esse talis constituitur per eam motionem. Secundò, quod voluntas posità illâ motione Dei, jam non remanet cum indifferentiâ potentiali, & suspensivâ. Tum quia indifferentia potentialis jam est in actu per talem motionem: Tum quia jam est determinata per illam ad amorem v. g. & sic non se habet suspensivè respectu amoris, cùm ad illum sit infallibiliter determinata: Tertiò, quod voluntas licet sit determinata, aut prædeterminata ad amorem, adhuc sub tali prædeterminatione, & prout illi substat, retinet dissentiendi potentiam, & in alia objecta, & particularia bona tendendi. Unde si tot terminorum multiplicationem excusemus, ut videtur, nihil sibi volunt, nec intendunt Dominicani Patres, quàm hoc, scilicet voluntatem sine illius motionis complemento, & applicatione, se habere tanquam potentiam remotam ad actualem operationem ex defectu illius requisiti necessarii, sicut ignis sine applicatione ad passum se habet non ut potentia proxima, & expedita ad comburendum; sed solùm ut potentia remota: positâ verò jam prædeterminatione ad amorem, se habere respectu amoris ut potentiam proximam, & completam, sive ut potentiam applicatam ad illum: at verò respectu odii, & aliorum objectorum se habere tanquam potentiam remotam in ratione principii actualis eò quòd non est applicata à Deo ex defectu divinæ præmotionis ad entitatem odii, & aliorum actuum.

Expendimus Thomisticæ doctrinæ nucleum.

13. Ex his principiis plura deducunt hujus Scholæ Recentiores, quæ tum in suis libris, tum in publicis Thesibus uno ore passim ab ipsis proferuntur. Inferunt enim primò, eõcedendum esse hanc physicam prædeterminationem ad materiale actûs mali, quin hoc repugnet primæ causæ sanctitati, Inferunt secundò, alia plura, quæ tum ex eorum responsione ad argumenta nostra, tum ex dicendis alibi, dum de concordia liberi arbitrii cum efficaciâ gratiæ disputemus, latiori calamo constabunt: est enim longè diversa controversia, an liberum arbitrium moveatur à Deo per hanc physicam prædeterminationem? ac alia, quæ petit an efficacia gratiæ in illâ consistat.

Quæ ex his principiis inferunt illius Scholæ Recentiores.

LECTIO III.

Physica Patrum Dominicanorum prædeterminatio ab authoritate Divi Thomæ convellitur.

Sic S. Th. cõtra physicam prę determinationem pugnat, ut solus ille cõtra PP. Dominicanos nobis sufficiat.

14. UT ab ipsis fundamentis convulsa Physicæ prædeterminationis machina per se concidat primum concertationis aretem ex Angelico Doctore ei admovemus, ut quod M. Gonetus nobis intempestivo plausu sugillat meritò in ipsius caput regerere possimus cum Enquerio hom. 2. sic dicente: *Variis enim absque dubio nititur privilegiis, qui causam de adversariis asserit instrumentis: speciosa victoria est, contrariam partem chartulis suis, veluti propriis laqueis irretire.* Ita ille. Et ut id efficaciter præstem. Dicendum judico, Divum Thomam sic sentire pro libero arbitrio contra physicam prædeterminationem, ut solus ille contra Dominicanos Patres nobis sufficeret. Assumptum probo primò ex Divo Thomâ quodlibeto 1. artic. 8. ad 2 ubi ait: *Dicendum quod Deus movet omnia secundùm modum eorum: & ideò divina motio à quibusdam participatur cum necessitate à naturâ, à rationali cum libertate propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita, & ideò Deus movet mentem humanam ad bonum quod tamen potest motioni resistere, & sic ex Deo est, ut homo se ad gratiam præparet; sed quod gratiâ careat, non habet causam à Deo, sed ab homine secundùm illud Oseæ 13. Perditio tua ex te Israël, tantummodò ex me auxilium tuum.* Sic ibi Angelicus Doctor.

Ex præjacto testimonio primum efformamus discursum Adversarios efficaciter impetentem.

15. Ex quibus unum, vel alterum discursum formamus. Sit primus. Deus movet omnia secundùm modum eorum scilicet causas necessarias, & naturales, & causas etiam liberas. Sed causa naturalis & necessaria habet modum determinationis ad unum, sicut ignis habet suum modum; scilicet quod ex naturâ suâ sit determinatus ad comburendum. Ergo motio divina, quâ Deus movet ignem ad operandum habet hunc modum determinationis ad unum; scilicet ad solùm comburendum: quia non comburere, vel etiam infrigidare non sunt secundùm modum ignis, qui ex naturâ suâ est ad solam combustionem determinatus. Subsumo nunc, Atqui modus causæ liberæ, sive liberi arbitrii non est solùm ad amandum, nec solùm ad non amandum, nec item solùm ad odio habendum. Sed modus illius est ad utrumlibet ex naturâ suâ, scilicet ad amandum vel non amandum, ad amandum, vel odio habendum. Ergo motio divina, quâ Deus liberum arbitrium movet, habet hunc modum determinationis; ita scilicet movere voluntatem, ut ex se indifferenter moveat liberum arbitrium secundùm ipsius modum indifferentiæ, & dominii. Atqui prædeterminatio physica voluntatis adamorem tantùm, est cum illo essentialiter connexa. Ergo omninò contraria prædictæ motioni, quam docuit Divus Thomas: Ergo alia est motio Divi Thomæ, & longè alia, quàm intrusam à Bañez contrarii nostri defensant.

Clariùs proponimus ratiocinium jactum.

15. Vel clariùs. Liberum' arbitrium ex suis propriis, & intrinsecis viribus est potiùs ad nolendum, vel non? Si primum, non indiget tuâ physicâ prædeterminatione ad tollendam indifferẽtiam arbitrii. Si secundum, ergo liberum arbitrium ex parte suæ potentiæ non habet hunc modum, scilicet esse potiùs potentiam ad nolitionem, quàm ad volitionem. Tunc sic. Sed physica prædeterminatio semper est ex naturâ suâ determinata ad unum; v. g. ad nolitionem potiùs, quàm ad volitionem, vel ècontra, ut ipsimet Adversarii fatentur. Ergo alius est modus liberi arbitrii, & longè alius, & diversus modus physicæ prædeterminationis: non igitur potuit cadere in Angelicam Divi Thomæ mentem physica prædeterminatio; sed solùm motio indifferenter se habens, & secundùm modum indifferentiæ, & dominii movens liberum arbitrium ad operandum.

Altero discursu Thomistas insectamur e nucleantes voluntatis potentiam liberam ad resistẽdum divinæ motioni dilemma: tetriplici robusto cornu gaudente.

17. Secundus discursus potest sic produci. Juxta Divum Thomam sic Deus mentem humanam movet ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, ut patet ex ejusdem verbis. Stemus hic simul, & unum solùm de mente Divi Thomæ consulamus. Vel ergo mens humana potest huic motioni resistere ita, ita ut actualis resistentia sit possibilis, antequam Deus hanc motionem infundat, eamque libera potentia recipiat: vel ita, ut actualis resistentia sit in eo instanti possibilis, in quo divina motio esse in voluntate supponitur; vel denique ita, ut actualis resistentia sit possibilis in alio instanti, in quo jam non sit illa motio? Certè unum ex his non poterit Adversarius effugere; nam ex certissimo in omni Scholâ principio, & naturali lumine noto, possibile positum in actu eo pacto, quo est possibile, nullam contradictionem involvit. Si ergo dicatur primum, scilicet quod actualis resistentia voluntatis solùm sit possibilis, antequam Deus ei motionem infundat, eamque libera potentia recipiat; contra est efficaciter. Ergo voluntas solùm potest divinæ motioni resistere, antequam in voluntate existat divina motio. O glorioſum triumphum, hostem non existentem posse devincere, eique resistere! Unde verba Divi Thomæ, scilicet: *Sic Deus mentem humanam movet ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere*: nobis hunc

sensum

sensum adhiberent. Sic, Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere, antequam existat hæc motio: qui sensus præterquam quod risu excipiendus, contradictionem involvit; si enim Deus movet; si huic motioni potest resistere, quomodo resistentia possibilis potest referri ad motionem antequam existat?

Reliqua dilemmatis extrema proponuntur

18. Si tamen tertium admittatur, scilicet quod actualis resistentia sit possibilis in alio instanti, in quo jam non sit illa motio; contra etiam est. Ergo voluntas solùm potest motioni resistere, ita ut actualis resistentia voluntatis sit possibilis pro eo instanti, pro eo quidem tempore, quo transierit & jam non sit talis motio divina. O insignem, promptam, & expeditam voluntatis nostræ victoriam! Ac si Turca nos suo exercitu cingeret, & gregarius de turba miles in medium prosiliret, seque ipsum jactans diceret: estote animi, excutite metum; quid hostem formidatis? Ego solus nunc retineo potentiam ad resistendum Turcarum copiis; sed actualis mea resistentia solùm est possibilis, postquam Turca de terrâ nostrâ decesserit. Quis non rideret inanem illam potentiam ad resistendum hostibus? At si tertium illud dilemmatis amplectantur Contrarii, potentiam resistendi in voluntate, adhuc existente motione, non negamus; sed non esse majori commendatione dignum, ac fuisset illa militis gregarii, potentiam planè asserimus, sensu omninò alieno à mente D. Thomæ.

19. Restat jam solùm secunda dilemmatis pars, ad quam cogimus, & prædeterminamus Adversarium. Si ergo secundum hîc asserat, scilicet quod actualis resistentia sit in eo instanti possibilis,, & pro eo, in quo talis divina motio esse in voluntate supponitur: ergo actualis resistentia voluntatis est possibilis in eodem instanti cum illâ motione ex suppositione, quod illa in eo existat instanti: ergo actualis resistentia non solùm est possibilis simpliciter; sed etiam simpliciter compossibilis in eodem instanti cum illâ motione. Probo consequentiam. Quia juxta Contrarios actualis huic motioni resistentia est in eodem instanti possibilis, in quo talis divina motio esse, aut existere in voluntate supponitur, Sed ex suppositione quod in eo instanti talis motio existat, impossibile est, eam non existere; quia res dum est, necesse est esse. Ergo si actualis resistentia est possibilis in eo, & pro eo instanti, sequitur etiam quod sit cum illâ motione compossibilis in eo, & pro eo instanti.

Refutatur Gonetus distinguês motionē physicalm & moralē

20. Hinc manet præoccupata solutio Magistri Goneti tomo 3. disp. 6. ubi duplicem motionem distinguit, aliam moralem, cui voluntas, tam in sensu composito, quàm diviso, tam potentiâ antecedenti, quàm potentiâ consequenti potest resistere, & de facto resistit: quæ motio dicitur purè excitans, & tantùm sufficiens præbet auxilium. Aliam verò motionem physicè prævenientem, & in quâ stat physicè prædeterminatio: cui voluntas nunquam resistit, nec potest illi resistere in sensu composito, & potentiâ consequente: hoc est, primæ motioni ita potest resistere, ut cum illâ possit componere & cõjungere dissensum: at verò secundæ motioni ita potest resistere, ut licet possit ponere dissensum; non tamen potest cum illa resistentiam, sive dissensum componere. Ita Gonetus, qui hoc effugio nobis herbam porrigit, atque campum.

conãt ratione nostram evadere.

21. Rem ostendo. Vel ergo locus Divi Thomæ, scilicet quod voluntas potest divinæ motui resistere, intelligitur in Scholâ Dominicanâ de motione purè existenti, & morali; vel de motione physicè prædeterminante? Si primum: ergo præcipua eorum arma, quæ nituntur in eo, quod millies repetat Divus Thomas, scilicet causam primam movere secundas, ac proinde liberum arbitrium ad operandum; inutilia redduntur contra majorem Doctorum nostrorum partem; cùm illi omnia Divi Thomæ loca æquè, ac facilè possint interpretari de motione excitanti & morali; non verò de physicâ & reali; aut ostendat clavem, quam Angelicus Doctor ad sua aperienda loca ipsis præstiterit, & nostris denegaverit. Præterea verba illa Divi Thomæ, scilicet; *Dicendum quod Deus movet omnia secundùm modum eorum; & ideò divina motio à quibusdam participatur cum necessitate à naturâ, à rationali cum libertate, &c.* Satis ostendunt motionem in ratione causæ universalis: nec habet hic locum motio moralis, & excitans: nam causæ necessariæ, quæ cum necessitate participant motionem illam, ut expresè docet S. Doctor, non possunt moralem participare motionem.

Non est intelligendus S. Th. de divinâ motione morali.

22. Si secundum, invictæ manent adhuc rationes nostræ supra exaratæ: Tum quia eandem vim, & efficaciam, quam habet voluntas consequens, & efficax Dei, habet in Schola contrariâ prædeterminatio, seu præmotio physica. Sed voluntati efficaci Dei, nec in sensu composito, nec in sensu diviso, nec potentiâ consequenti, nec potentiâ antecedenti voluntas potest resistere: ergo nec physicæ prædeterminationi. Minor communiter ab Adversariis conceditur, & est expressa Divi Thomæ pluribus in locis, & præcipuè in quolibet. 1. art. 3. dicentis: *Prædestinatio habet certitudinem ex parte scientiæ Dei, qui non potest falli: & ex parte voluntatis divinæ, cui non potest aliquid resistere.* Ita Divus Thomas. Ergo si prædeterminatio physica, aut motio divina cum consensu eandem essentialem connexionem

Caplédus est ergo de motione physicâ, cui nitur ponitur à Thomistis nec in sensu diviso, nec in cõposito, nec antecedenti, nec cõsequenti potentiâ resistere potest voluntas

haberet, ad habet voluntas, sive volitio Dei moventis, sicut docet Magister Angelicus, quod nulla res potest divinæ voluntati resistere, eâdem consequentiâ doceret, quod voluntas non possit resistere physicæ, & præcisę motioni divinæ. At in loco, quo Prædeterminatores urgemus, oppositum edocet, dum ait: *Sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.* Ergo, &c.

22. Ad hæc venit addendum illud, quod infra expendemus, scilicet eam potentiam, quam habet voluntas ad resistendum motioni, scilicet antecedentem, non verò consequentem; in sensu diviso, non verò in sensu cõposito, quod solet esse contrariorum azylum; eam, inquam, etiam habiturum gregarium illum militem (de quo supra) ad resistendum inimicis, videlicet antecedentem, & in sensu diviso; & tamen eam esse inanem resistendi potentiam, nemo erit, qui dubitet. Hunc præjactum Divi Thomæ locum lento ac spatioso calamo ideò evolvimus: tum quia singularis admodùm est, & non ita inter nostros Doctores frequens. Tum quia potest esse Achilles omnia evertens contrariæ Scholæ principia. Nunc ergo plura alia Sancti Doctoris testimonia prædeterminationem physicam oppugnantia, breviter percurramus.

Illud Divi Thomæ testimonium ex q. 22. de verit. ar. 6 in corpore, unde efficaciter Thomistas urgemus.

23. Secundus locus sumitur ex quæst. 22. de Veritate, art. 6. in corpore ait 6. ubi ait: *Ex hoc aliquid dicitur necessarium, quod est immutabiliter determinatum ad unum.* Ergo voluntas, positâ physicâ prędeterminatione ad amorem non dicitur causa libera respectu amoris: sed necessaria. Probo consequentiam. Positâ in voluntate physica prædeterminatione ad amorem, voluntas est immutabiliter non solùm determinata, sed prædeterminata ad amorem. Atqui ex hoc aliquid dicitur necessarium juxta D. Thomam, quod est immutabiliter determinatum ad unum. Ergo. Minor est Divi Thomæ. Probatur major. Quia qui recipit formam essentialiter & immutabiliter connexam cum aliquo effectu, ex immutabilitate formæ ad talem effectum, determinatur eâdem immutabilitate ad illum, Nec obstat, quod voluntas non sit ex naturâ suâ determinatâ ad talem effectum potius quàm alium: hoc enim est, quod intendimus, quod scilicet voluntas ex se libera ab agente extrinseco per determinationem physicam necessitetur, sicut aqua licet ex naturâ suâ sit determinata ad frigefaciendum, si ei ab extrinseco agente calor adveniat per illum necessariò determinatur ad per accidens calefaciendum.

3. Locus Ang. Doctoris desumitur ex eisdem qu. & ar.

24. Tertius locus sumitur ex eisdem quæstione & articulo, in quibus ait: *Cùm Deus omnia moveat secundùm conditionẽ mobilium, ut levia sursum, & gravia deorsum, etiam voluntatem movet secundùm ejus conditionem, non ut ex necessitate; sed ut indeterminatè se habentem ad multa.* Ita ibi. Tunc sic primò. Sed conditio voluntatis non est ad unum. Ergo Deus non prædeterminat eam ad unum. Secundò. Quia ly *Non ut ex necessitate, sed ut indeterminatè se habentem ad multa*; sunt termini inter quos Divus Thomas non invenit medium; aliàs nihil concluderet. Ergo si motio divina non movet indifferenter, & indeterminatè voluntatem ad multa, ita ut voluntas sic mota pro suo libero arbitrio eligat unum potiùs, quàm aliud, liberum arbitrium ex necessitate movebitur.

4. Argumentum ex 1. sent. q. 1. art. 1.

25. Quartò. In secundo sententiarum quæst. 1, artic. 1. ait: *Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, sed quod determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsâ voluntate.* Atqui Dominicanorũ Schola oppositum omninò docet, dum ait, quod voluntas ex se est indifferens; sed quod determinatè exeat in hunc actum potiùs quàm in illum, non provenire ab ipsâ voluntate; sed à Deo physicâ prædeterminatione ipsam promovente ad hunc actum potiùs, quàm alium. Ergo contra Divum Thomam.

5. ex eodẽ S. Doct. ubi supra dist. 2.

26. Quintò. Hoc ipsum clarè ostendit Sanctus Docto, ubi supra dist. 2. ubi ait: *Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum.* Ita ibi. Tunc sic. Primò juxtà Divum Thomam licet homo sine motione Dei ut primi moventis non possit aliquid velle; tamen eâ positâ: se determinat ad hoc, vel illud, licet esse non possit sine motione Dei, erit tamen â voluntate liberâ, positâ motione. Secundò. Quia Deus movet ad universale objectũ. Ergo non movet per physicam prædeterminationem Cõsequentia probatur. Quia prædeterminatio, ut docent Contrarii, est ad unum actum determinatè potiùs, quàm alterum, ad unum objectum potiùs quàm aliud. Sed unum objectum potiùs quàm aliud, non est universale objectum. Ergo &c.

6. lib. 3. contra gentes, c. 66. n. 5 undeprædictus sensus subnascitur ratiocinium

27. Sextò. Idem Sanctus lib. 3. contra gentes, cap. 66. num. 5, ait: *Primum autem in omnibus effectibus est esse: nam omnia alia sunt determinationes ipsius: Igitur esse est proprius effectus primi agentis, omnia alia agunt ipsum, in quantũ agunt in virtute primia gentis. Secunda autem agentia, quæ sunt quasi particularisantes, & determinantes actionem primi agentis, agunt sicut proprios effectus alias perfectiones, quæ determinant esse.* Ita ibi. Tunc sic. Actio primi agentis, quam recipit causa secunda, sive secundum agens ad operandum, est ipsa physica Dominicanorum prædeterminatio. Sed juxta Divum Thomam secunda agentia, ac proinde voluntates nostræ particularizant, &

& determinant physicam prædeterminationem : atqui non determinant illam per modum causæ efficientis: Tum quia primum movens à nullo efficienter movetur ; tum quia, ut Schola contraria docet, respectu actionis primi moventis secundùm agens purè passivè se habet. Ergo secundum agens solùm determinat actionem Dei quantum ad suam propriam operationem, v.g. actio primi moventis cùm ex se sit indifferens, & universalis, utpotè agentis infiniti, & sufficientis ad omnia, in igne recepta determinatur ad calefaciendum, & non ad alium effectum: quia ignis ex se est determinatus ad solùm calefaciendum: at verò recepta in secundo agente libero, non determinatus solùm ad volendum; quia liberum agens non est solùm ad velle, sed ad velle & nolle: ac proinde actio Dei, quæ secundùm se considerata ; utpotè agentis universalis ex se erat indifferens, & universaliter se habens ad omnes effectus qui sunt intra sphæram causæ, primæ, recepta in nostrâ voluntate; jam non est indifferens ad omnes illos effectus in universali: sed solùm est indifferens ad velle & nolle; ad consensum & dissensum, qui sunt intra sphæram liberi arbitrii ipsam recipientis : quia quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur.

26. Hinc est, quod actio, seu motio divina posita in voluntate, non est connexa cum uno actu, vel cum uno objecto, ut edocent Adversarii de prædeterminatione, sed indifferenter se habens secundùm indifferentiam voluntatis ad hunc, vel illum actum, ad hoc vel illud objectum, quæ per rationē proponuntur voluntati: jam verò cùm eligere sit tam proprius, & peculiaris effectus nostri liberi arbitrii, sicut calefacere est proprius effectus ignis; liberum arbitrium pro suâ indifferentiâ dominii determinat actionem Dei ad hoc potiùs bonum, quàm aliud, ad hunc actum potiùs, quàm alium, sicut ignis determinat actionem divinam, quâ movetur ad calefaciendum, ad quem effectum naturâ suâ est determinatus, licet certum sit, quod tam liberum, quàm necessarium agens sine actione & motione Dei non possint proximè suos effectus operari.

7. Ex lib. 2. contra gentes c. 6.

27. Septimò. Idem clarè insinuat Sanctus Doctor l. contra gentes cap. 6. dicens: *Dominium autem, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad ad unum, & violentiam causæ exteriùs agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ, à quâ est & esse, & operari.* Ita Sanctus Thomas. Tunc sic. Voluntas ut est domina suorum actuum non excludit influentiam Dei ad operandum, sed excludit determinationem virtutis ad unum: Ergo influentia Dei non stat in physicâ prędeterminatione, quæ determinat voluntatem ad unum.

8. Ex lib. 2. contra gentes c. 90.

28. Octavò. Lib. 3, contra gentes, cap. 90. ait. *Quod Gregorius Nisenus dicit in libro, quem de homine fecit, providentia est eorum, quæ non sunt in nobis, non autem eorum, quæ sunt in nobis: & Damascenus eum sequens, dicit in secundo libro, quod ea, quæ sunt in nobis, Deus prænoscit, sed non prædeterminat. Exponenda sunt, ut intelligantur, ea quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab eâ necessitatem accipientia.* Ita ibi. Ubi ponderandum est, *prædeterminare actus*, qui sunt in nostrâ potestate (quod negat Damascenus) in ore Divi Thomæ idem esse, ac ad illos voluntatem necessitatem accipere.

29. Hic sistimus, non quia plura alia loca Divi Thomæ, in quæ calamus facilè decurreret, non suppetant; sed quia ex dictis clarè ostenditur, Divum Thomam nostrum liberum arbitrium semper vindicasse à physicâ prædeterminatione, quam Magister Bañez suæ obtrudit Scholæ, & à nostrâ Sapientissimus Pater Molina repellere conatus fuit. Tum etiam quia plura ex eodem Angelico Magistro in cursu philosophico dedimus, & alia in hujus operis decursu præstabimus, præcipuè in Concordiâ liberii arbitrii cum gratiâ efficaci.

LECTIO IV.

Nostrorum à ratione arma ad Theologicum M. Goneti clypeum noviter examinantur contra physicam prædeterminationem.

Nostrarū rationūm arma ad Goneti clypeum noviter examinamus.

30. UT nostrorum conatus, quibus in dies Jesuitica invalescit Schola, irritos omninò redderet Gonetus, clypeum Suæ Theologiæ elaboravit, quo ita excipit nostrorum jacula contra physicam prædeterminationem, ut illo solummodò objecto, facilè putet, ad irritum cadere nostrarum rationum ictus. An verò sit vera, sicut est facilis, illius existimatio, non meliùs constabit, quàm si expendamus, quo pacto vim nostrorum argumentorum aut declinet, aut suo clypeo repellat.

Primum Nostrorū argumentū innititur libertati potenti cōponere cum prærequisitis ad agendū, ipsum non agere, positis

31. Sit ergo nostrorum primum argumentum. Liberum agens, quatenùs tale est, supposítis ad agendum prærequisitis, potest agere in sensu composito: ergo & non agere in eodem sensu. Patet consequentia Tum ex indifferentia arbitrio libero competenti: Tum etiam ex communi Doctorum sensu, qui cùm docent illud esse liberum agens, quod potest agere & non agere. Utrumque sine dubio eodem modo usurpant, & eodem modo posse dijudicāt. Ergo si agens liberum

positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere in sensu composito, poterit etiam eodem modo non agere. Tunc sic. Posse agere in sensu composito, est posse componere actionem cum physicâ prædeterminatione, quæ in Schola contraria est unum de prærequisitis ad operandum: similiter posse non agere in sensu composito, est posse componere non actionem, seu istius negationem cum eâdem physicâ prædeterminatione. Atqui positâ physicâ prædeterminatione, liberum arbitrium, seu voluntas non potest componere non actionem, sive istius negationem cum physicâ prædeterminatione, ut omnes Contrarii fatentur. Ergo physicâ prædeterminaeione positâ, non remanet voluntas libera ad agere, & non agere.

distinguit M. Gonetus prærequisita ex parte potentiæ, & actus 1. & ex parte potentiæ applicatæ vel applicationis potentiæ.

32. Hunc primum clypeo tectus M. Gonet sic declinat ictum, exilloque tota ejus Schola. Ad primum, inquit, distinguo antecedens: liberum agens, suppositis ad agendum prærequisitis ex parte potentiæ, & actûs primi potest agere in sensu composito, concedo antecedens; prærequisitis ex parte potentiæ applicatæ, vel applicationis potentiæ & actus secundi, nego antecedens. His enim positis, liberum arbitrium, sive agens liberum, propriè loquendo, non potest agere, sed de facto agit, & est in exercitio actuali suæ libertatis: unde implicat, quod cum illis negationem actionis componat; aliàs simul ageret & non ageret. Ita Gonetus. Et paulò infra. Quod physica prædeterminatio licet sit prærequisitum ad operandum, non est de illis, quæ se tenent ex parte actûs primi, & virtutis operativæ; sed solùm est requisitum ex parte actûs secundi; quia applicat voluntatem, camq; reducit de actu primo ad secundum, constituens illam in esse principii actualis operationis, quo requisito posito, agens non potest agere, & non agere; sed de facto agit, retinendo tamen potentiam ad non agendum, seu ad non continuandam actionem, quam elicit. Ita ille tomo 2. disput. 6. de concord. libert. §. 2. num. 121.

Nucleus solutionis proponitur,

33. Verùm dum singula percurro, quæ sparsim in hâc solutione dicuntur, iterato ictu, & majori vi devolvitur argumentum. Ait primò, physicam prædeterminationem esse requisitum ad operandum ex parte actûs secundi, & non ex parte actûs primi. Ait secundò per illam constitui potentiam liberam in esse principii actualis operationis, ac proindè reduci potentiam de actu primo ad secundum. Ait tertiò positâ prædeterminatione, agens liberum non posse agere, vel non agere; sed de facto agere, retinendo tamen potentiam ad non agendum, sive ad non continuandam actionem, quem elicit. Verùm hæc majori difficultate laborant.

31. Ostendo primum: Tum quia si species se habeat per modum applicantis potentiam visivam ad videndum objectum: tamen in sententiâ contrariâ species non est requisitum ex parte actûs secundi; sed solùm ex parte actûs primi. Ergo licet prædeterminatio physica se habeat per modum applicantis potentiam liberam ad amandum objectum, se debet tenere ex parte actûs primi. Patet consequentia. Quia proprietates, quas Schola contraria adscribit suæ prædeterminationi, servatâ potentiarum analogiâ, tribuuntur facilè speciei impressæ, ut latè ostendam suo loco, ubi hoc principium convellimus.

Ostendo, Thomistì cum prænotione non esse requisitū ex parte actus 2. à Paritate speciei applicantis visum ad videndum objectum.

35. Ostendo secundum. Quia potentia ante physicam prædeterminationem erat in potentia ad volendum & nolendum, se suspensivè habens ad utrumque actum, utpotè carens actualitate divinæ motionis, quâ constituitur in esse principii actualis operationis: hæc enim est mens Contrariorum suismet terminis expressa. Tunc sic. Vel illa potentia libera indifferens ad volendum, vel nolendum, est purè suspensiva ad utrumque actum, ut consideratur sine hac prædeterminatione, vel ad illam antecedit, vel est proximè potens velle & nolle, vel solùm remotè potens? Non primum. Tum quia potentia proxima ad operandum est potentia applicata, & cui ad agendum nullum deficit requisitum. Atqui juxta Adversarios potentia libera sine physicâ prædeterminatione non est applicata ad operandum. Ergo sine illâ non est proximè potens operari. Major probatur. Quia potentia approximata ad operandum, & potentia ad idem applicata pro eodem sumuntur: Tum etiam quia potentia approximata, vel potens proximè operari, semper est conjuncta suæ operationi juxta naturam talis potentiæ vel liberæ, vel necessariæ. Atqui juxta Contrarios potentia libera sine tali prædeterminatione non est conjuncta operationi; aliàs jam subterfugeret divinum dominium, nec esset subjecta primo moventi, & alia quæ nobis solent ab Adversariis objici. Ergo ut consideratur sine prædeterminatione, sive ut ad illam antecedit potentia libera non est proximè potens ad volendum, vel nolendum.

Rursùs ostendo, nec per illam constitui potentiam liberam in esse principii actualis operationis,

Ostenditur simultatē potentiæ liberæ, & remotæ ad utrumlibet divisivè pendum, non reduci ad actū 2. potentiæ applicatæ per Thomistì cum prænotione.

36. Si verò secundum dicatur, quod scilicet potentia libera ut consideratur sine tali prædeterminatione, vel ut illam antecedit, solùm est remotè potens ad volendum, vel nolendum: sic arguo. Illa potentia est remotè potens ad utrumlibet actum, scilicet velle, & nolle: non ita ut simul possit utrumque ponere actum, simultate se habente ex parte utriusque actus; ad hoc autem, cùm sit simpliciter impossibile, non datur potentia libera adhuc remota. Sed taliter ut simul simultate ex parte potentiæ sit potens remotè

remotè ad utrumlibet actum divisivè ponendum, videlicet vel volitionem, nolitione relictâ; vel nolitionem, volitione relictâ. Atqui hæc simultas potentiæ liberæ, & remotæ ad utrumlibet actum divisivè ponendum, non reducitur ad actum secundum potentiæ applicatæ, seu approximatæ ad operandum per illam physicam prædeterminationem. Ergo, &c. Major est Contrariorum. Minorem probo efficaciter. Simultas potentiæ liberæ ut remotè potentis ad volendum, vel nolendum, non est magis remotè potens ad volitionem, quàm nolitionem, aut è contrà. Ergo cùm simultas illius potentiæ liberæ, & remotæ reducitur in actum secundum principii actualis ad operandum per illam physicam prædeterminationem, non magis manet approximata ad volitionem, quàm volitionem. Tunc sic. Sed potentia libera prædeterminata ad volitionem, solùm manet approximata vi prædeterminationis cum volitione connexæ, ad solam volitionem, & non ad nolitionem. Ergo simultas potentiæ remotè potentis ad utrumlibet, non reducitur per talem prædeterminationem de actu primo ad secundum, quo constituitur in esse principii actualis proximè applicati. Probatur consequentia. Simultas potentiæ in actu primo solùm competit voluntati, quatenùs voluntas est æquè potens ad volitionem, vel nolitionem. Atqui voluntas per prædeterminationem connexam. Ex naturâ suâ cum volitione. non applicatur proximè ad nolitionem; sed solùm ad volitionem. Ergo solùm applicatur voluntas ut potentia volendi. Ergo simultas potentiæ non reducitur per physicam prædeterminationem de actu primo ad secundum, quo constituitur, completur, & redditur proximè potens liberè operari. Probatur hæc consequentia. Voluntas non est solùm potentia volendi; sed est simul potentia volendi, vel nolendi. Sed solùm completur, solùm applicatur, & solùm constituitur principium actuale operationis, ut est solùm potentia volendi; cùm certum sit juxta Adversarios, voluntatem compleri, & applicari per illam physicam prædeterminationem, quæ solùm est ad volendum. Ergo.

Prædeterminatio physica tollit completum, proximũ, & expeditum voluntatis dominiũ, quod sequitur ex solutione præjactâ.

37. Urgeo iterùm. Ergo hæc physica prædeterminatio tollit dominium complete tum, proximum, & expeditum voluntatis. Probo consequentiam. Ante illam divinam motionem voluntas non habet dominium completum, proximum, & expeditum; quia dominium ejus est ad utrumlibet, velle scilicet vel nolle, sine illâ autem motione neutrum potest agere voluntas, cùm sit simpliciter impossibile, voluntatem operari, seclusâ omni motione, aut prædeterminatione divinâ, ut est principium Scholæ contrariæ, Atqui positâ prædeterminatione non habet voluntas dominium completum, proximum, & expeditum ad utrumlibet, cùm per illam solùm approximetur, & compleatur in esse principii actualis ad unam determinatè. Ergo voluntas nunquam habet dominium completum, proximum, & expeditum ad utrumlibet.

Omninò distat à veritate Gonetus asserens agens liberum physicè præmotum non posse agere, & non agere sed agendo retinere potentiã ad non agendum: hæc enim proxima non est.

38. Ostendo tertium. In quo peccat solutio Goneti, quod scilicet positâ prædeterminatione, agens liberum non potest agere & non agere, sed quod de facto agit, retinendo tamen potentiam ad non agendum, sive ad non continuandam actionem, quam elicit. Stemus simul cum Goneto, ut probemus, hanc doctrinam esse omninò à veritate alienam. Assumptum ergo probo. Illa potentia, quam retinet agens liberum ad non agendum sub illâ motione, vel est potentia proxima non agendi, vel solùm est remota? Si primum, ergo illa potentia æquè sub illâ, & per illam motionem est approximata, & applicata ad non agendum; si autem hoc ita esset, hoc, quod est non agere, posset conjungi cum illâ potentiâ sub illâ motione; quia omnis actus est conjungibilis cum suâ potentiâ proximâ, & completâ: si necessarius, cum suâ potentiâ proximâ necessariâ; si liber, cum suâ potentiâ proximâ liberâ. Et quia Patres Dominicani constanter id inficiantur, nos constantissimè dicimus, in eorum sententiâ actum esse de potentiâ simultatè potentiæ liberæ & proximæ ad volendum, vel nolendum, & ad agendum, vel non agendum.

Ergo erit remota: sic autem nunquam dabitur potentia libera æquè proxima, & ultimo completa ad utrumlibet

39. Si verò secundum dicat Gonetus? Ergo potentia quam liberum agens retinet, est potentia proxima agendi, & potentia remota non agendi; & sic nunquam erit dare potentiam liberam æquè proximam, & ultimò completam ad agendum, & non agendum. Ergo liberum arbitrium in actu primo proximo, & completo, & in quo constituitur per illam Dei motionem, sic erit definiendum in sententiâ Patrum Dominicanorum: *Liberum arbitrium in actu proximo, & completo est potentia proximè agendi, & remotè non agendi; est sententia proxima volendi, & remota non volendi.* Quæ definitio liberi arbitrii contrariatur menti Conciliorum, præsertim Tridentini, & Sanctorum Patrum, præcipuè Magni Augustini, & Sancti Thomæ, ut constat ex Lectione præcedenti; & ulteriùs est contra communem omnium Scholasticorum sensum.

Procedo ulteriùs insequendo Gonetum robustâ ratione.

40. Procedo ulteriùs. Juxta M. Gonetum voluntas prædeterminata ad agendum, sive amandum, retinet solùm potentiam ad non continuandam actionem, sive amorem quem elicit. Ergo continuatio amoris, sive actionis solùm esset evitabilis à voluntate motâ, & taliter prædeterminatâ. Patet consequentia. Quia eâ ratione, quâ voluntas libera sub illâ motione retinet potentiam ad non continuandam actionem, sive amorem,

retinet quoque potentiam ad evitandam continuationem amoris, ut ex ipsis terminis constat. Tum sic. Ergo voluntas prædeterminatà ad agendum, sive amandum, quoad primum esse actionis, sive amoris, non retinet potentiam ad non agendum, sive ad non amandum quoad primum esse non actionis, seu primum non esse amoris. Patet consequentia. Quia continuatio actionis, sive amoris non est primum esse actionis, sive amoris; cùm non continuetur, nec conservetur, nisi quod priùs fuit; sed est secundum esse actionis, sive amoris: nam sicut primo esse rei opponitur primum non esse rei: sic secundo esse, sive continuationi rei opponitur secundum non esse, sive non continuatio rei. Atqui juxta Gonetum, ut constat ex ejus verbis: voluntas prædeterminata ad agendum, vel amandum, sub illâ motione, sive in sensu composito illius, solùm retinet potentiam ad secundum non esse actionis, sive amoris: sive quod idem est, ad non continuandam actionem, vel amorem; ac proinde voluntas sub illâ motione, & in sensu composito illius non retinet potentiam ad primum non esse actionis, sive ad evitandum primum esse amoris. Ergo His ita, quæ claro, & legitimo discursu deducuntur.

Infero cõtra Thomistas voluntatem semel à Deo præmotã, nec antecedenter, nec cõsequenter unquã fuisse proximè potentem ad 1. amandũ vel non amandum.

41. Mittamus jam verborum offucias, excutiamus paleas, difflemus aristas, ut disputationis granum ad rationis ventilabrum expendamus. Ergo voluntas nostra semel à Deo prædeterminata, nec potentiâ antecedenti, nec potentiâ consequenti fuit unquam potens proximè ad primò amandum. Hanc consequentiam concedunt Sectarii nostri temporis, meritò tamen eam negat pia, justa, ac de universali Ecclesiâ benemerita semper illustrissima, ac sapientissima Patrum Dominicanorum Familia. At si eorum stetimus principiis, vi formalis consequentiæ illud consequens esse concedendum, hoc discursu ex doctrina Divi Thomæ accepto, efficaciter contendimus.

Id probo ex D. Th. ex ejus testimonio 5. antecedenti lect. exarato.

42. Angelicus Præceptor, ut constat ex anthoritate 5. Lectione præcedenti allatâ, sic ait: *Deus movet voluntatem hominis ut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est verè bonum, vel apparens bonum.* Hoc suppositio, arguo sic primò. Voluntatem prædeterminatam ad primò amandum, posse primò amare, vel primò non amare in actu primo, & potentiâ antecedenti, nihil est aliud, quàm voluntatem, quæ est sub prædeterminatione, fuisse potentem in actu primo, & antecedenter ad ipsam prædeterminationem ad primò amandum, vel primò non amandum. Atqui juxta Divum Thomam sine universali motione Dei, quæ apud Patres Dominicanos est, & dicitur prædeterminatio physica, voluntas hominis non potest aliquid velle. Ergo voluntas hominis nunquam fuit proximè potens potentiâ antecedenti ad primò amandum, vel primò non amandum. Patet consequentia. Quia si voluntas sine illâ universali motione, & potentiâ antecedenti ad illam esset proximè potens ad primò amandum, vel primò non amandum, homo sine universali motione esset potens aliquid velle, ut constat. Sed hoc contradictoriè opponitur illi propositioni Sancti Thomæ scilicet: *Sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.* Ergo.

Angelicus afferens hominem sine universali motione non posse aliquid velle, solùm illi denegat potentiam proximam.

43. Arguo secundò. Quando Divus Thomas verissimè & absolutè asserit, quod sine hac universali prævià motione Dei homo non potest aliquid velle, aliquam potentiam illi negat; at non negat, nec potuit negare potentiam remotam ad aliquid velle, ut est plusquam certum: ergo solùm illi negat sine tali motione potentiam proximam ad aliquid velle, vel saltem negat illi aliquid quo voluntas constituitur proximè potens aliquid velle: ergo juxta mentem Divi Thomæ voluntas in actu primo, & prout est, aut consideratur potentiâ antecedenti sine illâ motione universali Dei, non est potens proximè ad primò amandum, vel primò non amandum, ac per consequens nec potens proximè ad conjungendum primum esse amoris divisum à non amore, vel primum non esse amoris divisum ab amore. Ergo de primo ad ultimum voluntas determinata ad primò amandum, nunquam fuit in actu primo, proximo & completo, sive potentiâ antecedenti potens proximè ad primò amandum, vel primò non amandum.

Proponitur ratio movens Gonetum ut dicat, voluntatẽ physicè Præmotã ad agendũ solùm retinere potentiam ad non agendum.

44. Jam verò quod voluntas prout est prædeterminata ad primò amandũ, ideò est potentiâ consequenti ipsam prædeterminationẽ Dei, non sit potens proximè non amare; sed de facto amans; planè concedunt Adversarii (ut constat ex solutione datâ) hoc suo argumento sibi convicti. Voluntatem prædeterminatam ad primò amandum, de facto non amare implicat. Sed etiam implicat, quod voluntas de facto primò amans, sit potens proximè, & expedita ad primò non amandum: aliàs daretur potentia proxima, & expedita ad conjungendum primò nõ amare cum prædeterminatione ad primò amandum vel potentia expedita ad primò non amandũ, quando de facto primò amat: quæ omnia implicant. Ergo voluntas potentiâ consequenti ad ipsam prædeterminationem, quam à Deo accepit ad primò amandum, non est potens proximè ad primò non amandum: ideòque consultè dicit Gonetus, quod voluntas sub prædeterminatione solùm retinet potentiam ad non continuandam actionem, sivè ad non continuandum amorem. Ex quibus

quibus omnibus vi formalis consequentiæ deducitur, in sententiâ contrariâ nunquam dari potentiam proximè liberam & expeditam ad amandum, vel non amandum, ad volendum, vel nolendum; ac proinde per physicam prædeterminationem libertatem arbitrii proximam & expeditam ad utrumlibet actum sive contradictionis, sive contrarietatis, omninò destrui & enervari.

Licet illius rationis præmissæ sint veræ, & evidens conclusio illata, illâ falsò accommodant Thomistæ suæ præmotioni.

45. Jam verò in argumento supra facto, quo se convincunt Adversarii, etsi concessâ majori, & minori, conclusio illa sit evidens, tamen Magister Bañez, & ab ipso omnes ejusdem Scholæ posteri Recentiores falso judicio laborarunt, & usquequaque laborant, cùm juxta verissimam Divi Thomæ sententiam (quam infra probabo) hæc duo debeant necessariò componi, primum scilicet, voluntatem creatam nullo modo sine motione prævia, aut concursu prævio causæ primæ posse proximè velle, nec proximè nolle. Secundum scilicet, quod positâ motione, aut concursu illo prævio in voluntate, voluntas ipsa manet potentiâ consequenti ad ipsam motionem Dei, proximè libera, proximè expedita, & proximè potens ad volendum hoc, vel illud ita, ut pro suo libito æquè possit hoc, vel illud componere, aut conjungere cum illâ motione Dei, seu in sensu compositio illius. Quæ duo clarissimè docuit Angelicus Doctor in illis verbis ubi supra, scilicet: *Deus movet voluntatem hominis ut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hâc universali motione homo non potest aliquid velle.* (ecce primum.) *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud,* (ecce secundum,) Quid clariùs contra Adversarios? Et obiter post longiorem discursum nota, quantis ictibus inermis suo clypeo Gonetus nudum jam pectus objiciat nostrarum rationum viribus.

LECTIO V.

Altera ad clypeum Magistri Gonet impingitur ratio.

Altera nostrorum ad Goneti clypeum impingitur ratio ex eo desumpta, quod agere agentis liberi sit ipsum cōponere actionem

46. ALtera igitur ratio à nostris meditata, & quam putat Gonetus facilè suo clypeo retundi, sic proponitur. Agere agentis liberi est agens liberum cōponere cum prærequisitis ad agendum ipsam actionem, Ergo agens liberum posse non agere, idem est ac posse absolutè non componere actionem suam cum prærequisitis ad agendum. Rursùs agens liberum componere suam actionem cum prærequisitis ad agendum, est facere, ut pro eodem instanti temporis simul sint in libero arbitrio & prærequisita ad actionem, & ipsa actio. Atqui agens liberum potest absolutè loquendo non componere suam actionem cum prærequisitis ad agendū: ergo absolutè loquendo facere potest, ut pro eodem instanti temporis sint prærequisita & non sit actio.

cum prærequisitis ad agendū &c.

47. Firmatur. Agens liberum debet hoc posse, ad quod aliquādo tenetur. Sed tenetur aliquando componere non actionem cum prærequisitis ad agendum. Ergo debet hoc posse. Major est certa. Quia ad impossibile nemo tenetur. Minor verò probatur. Quando aliquis peccat, tenetur componere negationem peccati cum prærequisitis, quia componere non peccatum cum prærequisitis ad agendum, nihil aliud est, quàm facere, ut in eodem instanti, quo sunt illa prærequisita, sit etiam non peccatum, seu non sit peccatum. Atqui homo tenetur facere, ut pro eo instanti, in quo sunt prærequisita ad peccandum, non sit peccatum: alioquin non peccaret in eodem instanti. Ergo homo tenetur componere non peccatum cum prærequisitis ad peccandum. Ita expressis verbis P. Franciscus Annatus in libro, quem pro defensione scientiæ mediæ edidit, disput. 1. cap. 6. §. 3.

Firmatur. Quia agens liberum debet hoc posse, ad quod aliquando tenetur.

48. Videns Magister Gonet suam Scholam maximè his urgeri rationibus, versato hinc inde suæ Theologiæ clypeo, earum vim sic declinat. In primis ait: Respondeo, antecedens non esse verum; nam falsum est, quod agere agentis liberi sit, agens liberum componere cum prærequisitis ad agendum ipsam actionem. Hoc enim convenit etiam agenti necessariò, ut patet. Secundò. Hoc dato, & non concesso, non valet consequentia: quia ad hoc ut agens liberum possit non agere, non requiritur, quod possit non componere positivè actionem suam cum prærequisitis ad agendum prioritate naturæ, sed sufficit, quod possit illam non componere negativè, quod potest præstare etiam, quando illa prærequisita non sunt.

Expenditur solutio Gonetiprætactarum rationum conantis evadere.

49. Tertiò. Distinguo majorem secundi argumenti. Agens liberum componere suam actionem cum prærequisitis ad agendum, est facere, ut pro eodem instanti temporis, simul sint in libero arbitrio prærequisita ad actionem, & ipsa actio, in eodem instanti temporis formaliter, concedo: in eodem instanti temporis materialiter, nego. Solutio patebit ex statim dicendis. Quartò. Minor ejusdem argumenti, quæ asserit, quod agens liberum potest absolutè loquendo non componere actionem suam cum prærequisitis ad agendum, falsa est, si per ly *prærequisitis* intelligantur ea, quæ prærequiruntur ex parte actus secundi, & quæ actionem solâ prioritate naturæ, & causalitatis antecedunt, ut constat ex supra dictis.

50. Ad tertium. Concessâ majori, nego minorem

minorem, ad cujus probationem nego antecedens. Ad probationem in contrarium distinguo majorem: componere non peccatum cum prærequisitis ad agendum, non est aliud, quàm facere, ut in eodem instanti, quo sunt illa prærequisita, sit etiam non peccatum in eodem instanti formaliter, concedo majorem: in eodem instanti materialiter, nego majorem: & sub eadem distinctione minoris, nego consequentiam. Explicatur. Posse componere unum cum alio, non est solùm posse facere, quod existat unum in eadem duratione materialiter sumptâ, in quâ existit aliud: sed insuper requiritur quod ea duratio utriusque extrinseci coexistentiam mensuret, aut mensurare possit: quamvis enim justus, v. g. in eodem instanti, in quo habet gratiam sanctificantem, possit pro tunc peccare lethaliter; quia gratia sanctificans præcisè sumpta, & ut non est associata dono confirmationis, non tollit potentiam ad peccandum: nihilominùs idem Justus, qui potest peccare in illo instanti, non potest componere gratiam cum peccato lethali; quia licet possit ponere illud pro illo instanti, in quo gratia existit; non tamen prout in eo instanti existit gratia, & prout formaliter, & reduplicativè ejus præsentiam mensurat; sed tantùm prout prædictum instans habet, quod mensuraret peccatum, quod tunc haberet. Idem cum proportione dicendum est de præmotione ad actum amoris, quæ est in eodem instanti temporis, & durationis cum illo, eumque solâ prioritate naturæ, & causalitatis antecedit: licet enim voluntas in eodem instanti, in quo est ad actum amoris præmota, possit ponere dissensum, seu carentiam amoris, non tamen potest dissentire, seu non amare in sensu composito, quia non potest ponere talem dissensum, seu carentiam amoris in eodem instanti formaliter sumpto, & quatenùs formaliter, & reduplicativè mensurat præmotionem, & amorem, qui actu à voluntate producitur; sed in eodem instanti materialiter sumpto, & prout abstrahit ab eo, quod ille amor sit productus vel non.

LECTIO VI.

Impugnatur per singula solutio Goneti.

Falsò negatur à Goneto præjactæ rationis antecedés

51. QUia eò devenit hujus controversiæ status, ut Schola contraria huic Magistro maximè fidat, & ad quodlibet nostrorum jaculum clypeum Magistri Goneti statim objiciat, oportet singula ejusdem solutionis decurrere. Dicit primò, antecedens primi argumenti, ut jacet, non esse verum; sed falsum: quia etiam agere agentis necessarii est componere actionem suam cum prærequisitis ad agendum: sed neque in hoc, quamvis tam parvi momenti sit, legitimè discurrit. Quia quamvis equus essentiâ suâ sit sensitivus, non ideò sequitur, quod non sit absolutè de essentiâ hominis esse sensitivum. Ergo licet agere agentis necessarii sit componere actionem cum requisitis ad agendum, non tollit, quod agere agentis liberi sit cõponere actionem cum prerequisitis ad agendum: Est enim utrumque verum, si autem hoc ita est, quomodo antecedens, ut jacet, erit absolutè falsum.

Deinde probo esse caci et, nõ sufficere ut agens liberum possit non agere, quod possit non cõponere actionem negativè cum prærequisitis ad agendum.

52. Dicit secundò, quod dato, & non concesso antecedenti, negat consequentiam. Quia ut agens liberum possit non agere, non requiritur, quod possit non componere positivè actionem suam cum prærequisitis ad agendum prioritate naturæ: sed sufficit, quod possit illam non componere negativè; quod etiam potest præstare, quando illa prærequisita non sunt. Sed hoc dictum Lectione præcedenti est à nobis efficaciter impugnatum. Tum etiam quia nunquam datur voluntas proximè, & expeditè potens ad non agendum, sive ad non componendum suam actionem. Ratio est. Quia ante præmotionem solùm est potens agere, & non agere incompletè, imperfectè, & remotè, cum quâ potentiâ implicat actualis actio: aliàs esset compossibilis operatio voluntatis cum voluntate positivè non præmota; quod negant Contrarii. Jam verò positâ præmotione in voluntate ad agendum; solùm manet voluntas applicata, & proxima ad agere; non verò ad non agere; sive ad oppositum. Ergo nunquam salvatur potentia proxima, perfecta, & completa æquè ad agere, vel non agere. Tum quia voluntatem posse non agere, sive non componere actionem negativè, scilicet quando illa prærequisita non sunt, ut ipse ait, ideſt, quando non est physica præmotio; nihil est aliud, quàm voluntatem posse non agere, ut est imperfecta & non completa ad agendum: quia Schola contraria docet, voluntatem per physicam Dei prædeterminationem perfici, & compleri ad operandum. Atqui per hoc solùm salvatur incompleta, & imperfecta libertas ad agere, & non agere. Ergo in hac sententiâ nunquam componitur liberum arbitrium perfectum ad agendum, vel non agendum. Vide alia supra exarata.

Distinguit Goneti ut nostrorum ictũ declinet, agens liberum suam actionem

53. Dicit tertiò distinguendo majorem; agens liberum cõponere suam actionem cum prærequisitis ad agendum, est facere, ut pro eodem instanti temporis simul sint in libero arbitrio prærequisita ad actionem, & ipsa actio formaliter, concedo: in eodem instanti

cõponere cum præ-requisitis ad agendũ duplicitet fieri posse

instanti temporis materialiter, nego: Ita ille. Et ad ultimam rationem de obligatione non peccandi in instanti, quo peccat homo, eâdem solutione occurrit dicens: Ad probationem in contrarium distinguo majorem: Componere non peccatum cum prærequisitis ad agendum, non est aliud, quàm facere, ut in eodem instanti, in quo sunt illa prærequisita, sit etiam non peccatum, in eodem instanti formaliter, concedo: in eodem instanti materialiter, nego majorem. Et hoc explicat ut supra vidimus.

Duplici interrogatione enucleamus Goneti distinctionẽ

54. Verùm in utrâque hâc solutione aliud non egit Gonetus, quàm novis verborum involucris suæ Scholæ doctrinam obscurare. Illius igitur Magistri captemus latebras, ut in disputatione clarè & amicè procedamus. Rogo igitur primò. Quid est facere, ut prærequisita ad agendum, & ipsa actio sint in eodem instanti formaliter? Quid est posse componere unum cum alio in eodem instanti formaliter? Respondet nobis Gonet, nihil aliud esse, quàm quod illa duratio utriusque extrinseci coexistentiam mensuret aut mensurare possit. Benè. Ergo facere, ut prærequisita ad agendum, & ista actio sint in eodem instanti formaliter, aliud non est post tot verborum circumloquia, quàm facere, ut prædeterminatio, quæ est prærequisitum ad agendum, & ipsa actio coexistant simul eidem instanti, sive quod in eodem instanti detur coexistentia simultanea prædeterminationis, & actionis. Ergo posse cõponere unum cum alio in eodem instanti formaliter, aliud non est, quàm posse facere, ut unum, & aliud simul coexistant in eodem instanti. Rogo secundò. Quid est, voluntatem præmotam, ad actum amoris posse componere dissensum, seu carentiam amoris in eodem instanti materialiter sumpto? Respondet Gonetus, nihil aliud esse, quàm quod voluntas possit ponere dissensum in eodem instanti, prout abstrahit ab eo, quod ille amor sit productus, & consequenter prout abstrahit ab eo, quod in eodem instanti sit physica præmotio: quia æquè implicat coexistentia dissensûs, & physicæ præmotiones. His ita.

Duplici robustissimo ratiocinio illã evertimus solutionẽ.

55. Subsumo primò. Ergo voluntas prædeterminata ad amandum non potest facere ut coexistat carentia amoris physicæ prædeterminationi in eodem instanti, in quo per illam prædeterminatur ad amandum. Concedit Gonetus, & tenentur ad id omnes Adversarii. Tunc sic. Ergo voluntas nunquam fuit proximè libera, nec habuit perfectum dominium ad ponendum carentiam amoris in instanti, in quo de facto amat, omisso amore, quo amat. Probo hanc consequentiam. In instanti antecedenti ante existentiam physicæ prædeterminationis voluntas non erat libera proximè, nec erat potentia completa, & perfecta ad amandum, nec ad liberè non amandum, quia ut Adversarius docet, voluntas sine physicâ motione Dei se habet suspensivè, hoc est, solùm habet indifferentiam suspensivam ad amandum, vel non amandum; hæc autem indifferentia suspensiva, certum est quod non sit potentia proxima, expedita, & completa; quando autem ponitur in actu physicæ motionis Dei, eam recipiendo; tunc illa potentia antecedenter suspensiva redditur proximè, & perfectè libera. Atqui in instanti, in quo recipit physicam prædeterminationem ad amandum, eaque ad talem actum prædeterminatur, non est proximè libera, & completa, nec gaudet perfecto dominio ad non amandum, sive ad ponendum dissensum, aut carentiam amoris in eo instanti, pro quo supponitur ad amorem prædeterminata. Ergo voluntas nec ante prædeterminationem Dei, nec post prædeterminationem Dei fuit proximè, & perfectè libera, nec habuit completum, & perfectum dominium ad ponendum dissensum, seu carentiam amoris in instanti; in quo est prædeterminata ad amorem. Ergo de primo ad ultimum voluntas nunquam fuit proximè libera, nec habuit perfectum dominium ad ponendum dissensum sive carentiam amoris in instanti, in quo de facto amat, evitando amorem.

Ultra progreditur solutionis impugnatio.

56. Subsumo secundò. Ergo nunquam fuit perfectè, & proximè libera ad ponendum non peccatum in instanti, quo peccat, evitando peccatum pro eo instanti. Ergo actio mala in nullo instanti est imputabilis voluntati proximè expeditæ, & completè liberæ. Probo consequentiam. Actio mala non est imputabilis, nec imputatur voluntati in instanti antecedenti ad prædeterminationem, quâ prædeterminatur voluntas ad materiale, & entitativum actionis malæ: Tum quia in eo instanti, ut probatum est, non est proximè, & expeditè libera nec ad benè nec ad malè operandum. Tum etiam quia in eo instanti non peccat, cùm implicet actio peccati sine prædeterminatione ad materiale illius actionis, ut ipsi Adversarii fatentur. Atqui non est proximè, & completè libera ad ponendum carentiam actionis malæ: quia talis prædeterminatio solùm complet & approximat potentiam ad materiale peccati; non verò ad evitandam actionem malam. Ergo cùm actio mala non sit proximè evitabilis in eo instanti, sequitur, quod actio mala nunquam est imputabilis voluntati proximè, & completè liberæ.

LECTIO VII.

Adstruitur nova, & specialis Physicæ Prædeterminationis confutatio.

ADeò strenuo, & acuto calamo nostri elaboravêre Doctores pro hâc physicâ prædeterminatione fundituˋs convellendâ, ut vix ulla alia suppetat cogitatio, videanturque omnem artem inveniendi medium in hoc puncto exhausisse: quare Recentiores nostri suo muneri optimè satisfaciunt, si arma sibi relicta à Suario, Bellarmino, Molinâ, & aliis, novis ratiociniis eliment; nec opus est illis ad securissimè in hâc materiâ certandum, novâ telâ percudere. Nihilominùs abs re non erit, si præter ea, quæ supra impugnavimus contra Gonetum, unam, vel alteram cogitationem speciali viâ excutiamus.

Arguo specialiter 1. à paritate judicii rationis præcedentis, ad voluntis actionẽ, quod si esset determinatũ ad unum è medio tolleret libertatem.

57. Sic arguo primò. Sicut voluntas liberè sequitur rationis judicium, sic in sententiâ contrariâ liberè sequitur divinam motionem. Rursùs. Sicut judicium intellectûs antecedit liberam voluntatis actionem, sic motio illa prævia, quâ Deus potentiam liberam prædeterminat, antecedit prioritate naturæ, & causalitatis operationem, voluntatis. Item sicut est necessaria divina præmotio præveniens voluntatem, ut hæc liberè operetur, sic judicium rationis est necessarium ad liberum voluntatis exercitium. Atqui si judicium rationis esset determinatum ad unum, nec rem indifferenter proponeret, actum esset de libero voluntatis arbitrio. Ergo si prævia divina motio esset ex naturâ suâ solùm determinata ad unum, nec indifferenter moveret, actum esset de libero nostræ voluntatis arbitrio. Major est certa, eo solùm discrimine, quod intellectus movet per modum finis proponendo, & est causa particularis; Deus verò movet per modum causæ efficientis, & est causa universalis. Et prima minor est ita certa, ut nec Sancti Patres, nec Angelicus Thomas, nec Scholastici Doctores hucusque alium invenerint modum concedendi liberum arbitrium hominibus, & non brutis; nisi quia judicium humanum non est determinatum ad unum, sed omninò indifferens, quali judicio carent bruta: idque ita fixum & ratum habetur in Scholâ contrariâ, ut melior ejus pars ad evadendas nostrorum difficultates, confugerit ad judicium indifferens, quasi hoc solùm sufficiat ad salvandam libertatem arbitrii, non obstante prædeterminatione essentialiter connexa cum determinatâ voluntatis operatione. Consequentia verò legitimè infertur.

Eadem patiras proc moveatur, & firmatur duplici ratione.

58. Firmatur primò prædicta ratio. Sicut per modum causæ finalis antecedit judicium rationis ad operationem voluntatis, sic determinatio physica Dei, sive divina motio antecedit in genere causæ efficientis liberam ipsius operationem. Sed si judicium rationis antecederet ex naturâ suâ determinatum ad unum, cum eoque connexum, esset prædeterminatio judicii tollens è medio libertatem. Ergo ex eo, quod physica divina motio antecedat ut ex naturâ suâ determinata ad unum extremum, cum eoque essentialiter connexa, esset prædeterminatio lædens absque dubio libertatẽ. Firmatur secundò. Voluntas creata duas exigit radices ad exercitium suæ libertatis; alteram extrinsecam, scilicet causam primam, sine cujus motione per modum causæ efficientis voluntas saltem proximè nihil liberè potest; aliam intrinsecam, nimirùm judicium rationis indifferens, sine cujus motione per modum causæ finalis, non potest etiam voluntas quidquam proximè velle. Atqui si judicium rationis esset prædeterminatio sive finalis, sive moralis ad unum, nec esset ex naturâ suâ indifferens ad utrumlibet, voluntas non liberè, sed necessariò sequeretur illud judicium, nec liberè procederet amplectendo illud, ad quod suâ motione illud prædeterminavit. Ergo si motio divina in genere causæ efficientis esset prædeterminatio ad unum, voluntas non liberè, sed necessariò sequeretur illam Dei motionem, nec liberè procederet amplectendo unum potiùs, quàm aliud objectum, vel volendo potiùs, quàm nolendo. Major est principium utrique, imò & omni Scholæ communissimum. Minor est certissima; alioquin brutum dum sequitur judicium determinatum ad unum, illud liberè sequeretur; ac per consequens libero gauderet arbitrio. Consequentia verò est legitima.

Deinde arguo. Quia eisdem rationibus, quibus Thomistæ liberum arbitrium salvare conatur cum prædeterminatione voluntatis ad unum, idem posset qui defendere cum prædeterminatione judicii ad unum.

59. Arguo sic ulteriùs secundò, & præcedenti argumento robur adjicio. Quia eisdem rationibus, quibus Patres Dominicani salvant liberum arbitrium cum prædeterminatione voluntatis ad unum, posset aliquis æquè facilè liberam salvare potentiam cum prædeterminatione judicii ad unum. Hoc autem etiam in eorum Scholâ absurdissimum est. Ergo cum physicâ prædeterminatione Dei ad unum, non salvatur liberum arbitrium. Sequelam probo discurrendo sic primò. Quamvis voluntas motione se tenente ex parte Dei, sit prædeterminata ad unum, est tamen libera; quia retinet potentiam ad dissensum in sensu diviso ab Adversariis explicato. Ergo quamvis voluntas motione judicii sit prædeterminata ad unum, erit libera; quia potentiam retinet ad dissensum in eodem sensu diviso, & eodem modo ab ipsis explicato. Atqui primum sufficit, ut salvetur libertas cum prædeterminatione Dei ad

unum

unum. Ergo sufficiens erit, & secundum, ut salvetur libertas cum prædeterminatione judicii ad unum.

Item cum prædeterminatione judicij est potens voluntas potentiâ antecedenti. & in sensu diviso ponere non amotem.

60. Secundò. Licet voluntas à Deo præmota ad amandum, non possit non amare potentiâ consequenti, sive in sensu composito componente non amorem cum præmotione ad amorem; tamen ejus libertas salvatur ex eo, quod voluntas potentiâ antecedenti, & in sensu diviso possit non amare. Ergo quamvis voluntas præmota præmotione judicii ad unum, scilicet ad amorem, non sit potens non amare potentiâ consequenti & in sensu composito; ejus tamen libertas ex eo salvabitur, quod potentiâ antecedenti, & in sensu diviso possit non amare: primum non tollit, quod voluntas liberè amet. Ergo nec secundum.

Item cum prædeterminatione judicii cõponetur optimè libertas ad utrũlibet cum posito uno, potentiam servet antecedentem ad aliud.

Tertiò. Ut potentia libera, quæ est ad utrum libet, non sit frustra, sat est quod ponat unum ex duobus actibus, quos respicit, & tunc servet potentiam absolutam, & antecedentem ad alium ponendum, licet talis potentia sub tali statu, & suppositione nunquam reducatur in actum, imò nec reduci possit. Hocautem in sententiâ contrariâ benè componitur cum divinâ prædeterminatione ad unum: quin tollat libertatem. Ergo & illud etiam bene componitur cum prædeterminatione judicii ad unum, quin libertatem enervet.

Per alia decurrimus, idem assumptũ promoventia,

62. Quartò. Licet voluntas in instanti, in quo est præmota ad consensum, non possit ponere, & cmponere dissensum cum tali præmotione, est absolutè libera ad consensum: quia ad libertatem non requiritur, ut voluntas possit componere dissensum cum requisitis, quæ se habent ex parte actûs secundi, & ut applicatio potentiæ ad actum, sicut dicunt Contrarii. Ergo idem dicendum de motione judicii ad unum prædeterminante: quia hæc etiam est requisitum se tenens ex parte actûs secundi, & ut applicatio potentiæ ad actum: Si enim motio ex parte causæ universalis non se habet ex parte actûs primi; sed ex parte actûs secundi constituens potentiam in esse principii actualis; quare motio judicii omninò necessaria ad liberè operandum, non se habebit in suo genere ex parte actûs secundi, & constituens similiter potentiam liberam in esse principii actualis? Quintò positis prærequisitis ex parte applicationis potentiæ, & actûs secundi, liberum agens, propriè loquendo, non potest agere, sed de facto agit, & est in exercitio actuali libertatis: undè implicat, quod cum illis negationem actionis componat; aliàs simul ageret & non ageret, ut ex principiis suæ Scholæ edocuit supra Gonetus. At quia hoc contingit in prædeterminatione Dei ad unum, talis prædeterminatio non lædit libertatem. Ergo quia hoc ipsum contingeret in prædeterminatione judicii ad unum, motio judicii non læderet libertatem.

63. Sextò. Licet voluntas in eodem instanti, in quo est ad actum amoris præmota, possit ponere dissensum, seu carentiam amoris; non tamen potest dissentire in sensu composito; quia non potest talem dissensum ponere in eodem instanti formaliter sumpto, & quatenùs formaliter, & reduplicativè mensurat præmotionem, & actum, qui actu à voluntate producitur; sed solùm in eodem instanti materialiter sumpto, & prout abstrahit ab hoc, quod ille amor, vel physica præmotio sit in voluntate, ut suismet terminis docuit Gonetus. At quia hæc omnia contingunt cum physicâ præmotione Dei ad unum in sententiâ Dominicanâ sufficienter salvatur libertas. Ergo quia hæc omnia possent eodem modo contingere cum judicio rationis determinato ad unum, sufficienter etiam cum illo salvaretur libertas.

Præjactus discurrendi & retorquendi modus sumptus à paritate judicii determinati ad unum, efficacissimus est.

64. Denique hic modus discurrendi, & retorquendi non solùm rationes, & solutiones; sed verba ipsa, quæ passim proferuntur à Contrariis, adeò efficax est, ut à paritate judicii determinati ad unum, urgeat Scholæ contrariæ Sectatores, ut post diligens examen vos monitos velim, nihil hactenùs fuisse meditatum à Patribus Dominicanis, cui non possitis statim, & ad rem hanc rationem, sive hoc ratiocinium objicere, quod à paritate judicii determinantis ad unum contra ipsos pro refutandâ suâ physicâ prædeterminatione efformavi: idcircò prædictas illationes deduxi supra, ut sint vobis exemplo, ad eâdem facilitate infringenda omnia alia, quæ ad ipsis adhibentur. Quod si disparitatem assignare conentur inter motionem Dei determinatam ad unum, & motionem judicii similiter ad unum determinatam, ut hæc implicet cum libertate, non verò illa eam invicto animo captate, ut paritas iteratò sub eisdem verbis formetur. Nec obstat quod illa sit motio causæ primæ: ista verò sit intellectûs: hæc enim sunt verba generalia, quæ potiùs effugiunt, quàm solutionem parant. Præterquam quod cùm Deus, sicut potest infundere scientiam, possit similiter infundere judicium determinatum ad unum, aut speciem, quo illud efformetur; utraque motio in tali casu esset à Deo; & tamen nullus audebit asserere stare libertatem cum tali judicio ad unum determinato, etiamsi præcisè immittatur à Deo. Sunt & alia argumenta adversùs physicam præmotionem, quæ sumuntur à negatione auxilii sufficientis, & à prædeterminatione ad peccatum formaliter, quæ potiùs pertinent ad quæstiones de Concordiâ liberi arbitrii cum efficaciâ gratiæ. Nunc oportet jam ad illa omnia respondere, quæ contra nos ab Adversariis proponuntur.

LECTIO

LECTIO VIII.

Schola contraria armata, & exarmata authoritate Doctoris Angelici.

65. SUum Theologicum clypeum circumquaque agit, & versat Magister Gonetus ut authoritatem Divi Thomæ omni exceptione majorem suæ Scholæ conciliet; sed id quàm irrito conatu contendat, planè constat ex lect. 3. ubi clarissimis Sancti Doctoris testimoniis sententiam nostram communivimus. Verùm ut doctrina illa sententiæ nostræ omninò conquadret, respondendum erit ad ea quæ ex Magistro Angelico nobis objiciuntur.

M. Gonetus nobis objicit D. Th. q. 3. de poten. a. 3

Objicit nobis primò Divum Thomam pluribus in locis, & præcipuè quæst. 3. de potentiâ artic. 3. ubi ait: *Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni.* Et ibidem subdit Sanctus Doctor: *Tertio modo dicitur una res esse causa alterius, in quantum eam movet ad agendum, in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ; sed applicatio virtutis ad agendum: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso, quod applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum.* Ita ibi. Sed hæc motio, & applicatio non est actio creaturæ, sed actio Dei, qua mota & applicata creatura agit suam actionem. Sicut motio, quâ movetur & applicatur acumen cultelli, non est actio cultelli, sive ejus incisio; sed antecedens, & movens cultellum ad incisionem. Ergo datur prædeterminatio physica.

Admitto concursũ Dei prævium, sed non prædeterminatũ Dei ad unum.

66. Respondeo. Omnia esse vera, & de mente Sancti Thomæ præter illam solam & malam consequentiam; quam non de mente Sancti Thomæ, sed de solius Magistri Bañez infert Gonetus. Concedimus planè & infra probabimus; motionem, seu concursum Dei prævium, quo omnis causa secunda ac per consequens liberum arbitrium motum agit. Ast eam motionem esse prædeterminationem voluntatis ad unum potius, quàm ad aliud, unde infertur? eam esse essentialiter potiùs cum volitione, quàm cum nolitione connexam, ubinam captat Gonetus?

D. Thom. ubi nuper in respon. ad 3. edocet operatione Dei moventis naturam,

67. Objicit secundò. Nam loco citato de Potentiâ in responsione ad tertium ait: *In operatione, quâ Deus operatur movendo naturam, non operatur natura.* Sed si concursus & motio Dei esset ipsa operatio, & actio creaturæ. In operatione, quâ Deus operatur movendo etiam natura operatur. Ergo est illa prædeterminatio physica concedenda. Respondeo omnia esse vera, præter consequentiam illatam de cerebro Magistrorum Bañez, Goneti, & sequacium. Concedimus. Igitur operationem Dei, quâ naturam movet, ac proinde liberum atbitrium, non esse ipsam actionem liberi arbitrii: sed esse actionem solius Dei; ast eam esse prædeterminationem voluntatis ad unum, & cum eo essentialiter connexam. Ubinam edocet Angelicus Doctor?

non esse hujus, sed dumtaxat illius, non eamè prædeterminaram ad unum.

68. Objicit tertiò. Nam ibidem in responsione ad septimum. sic habet. *Id quod â Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, & ut intentio sola habens quoddam esse incompletum per modum, quo colores sunt in aere (in esse scilicet intentionali ratione specierum, quæ illos repræsentant) & unitas artis in instrumento artificis.* Sed hæc verificari nequeunt de concursu simultaneo. Ergo solùm de prædeterminatione physicâ. Respondeo omnia esse vera, & probare causam primam concurrere movendo secundam per actionem distinctam ab actione creaturæ: quod latè diximus in Philosophiâ, & prout ad rem attinet ex professo Quæstione sequenti. At verò consequentia illa de physicâ prædeterminatione ex quibus Divi Thomæ præmissis infertur?

Nec tibidem refragatur ibidem ad 7. resp. ad 7.

69. Objicit quartò. Nam 1. part. quæst. 103. artic. 8. dicit: *Quod omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis, vel voluntaria nihil aliud est, quàm quædam impressio à primo movente; sicut inclinatio sagittæ ad signum determinatum, nihil aliud est, quàm quædam impressio à sagittario.* Idem docet quæst. 22. de Veritat. Ergo ex Divo Thomâ datur quædam impressio, seu antecedens motio ad unum prædeterminans. Respondeo dari talem impressionem, idest concursum, aut motionem præviam & antecedentem de mente Divi Thomæ: ast eam esse prædeterminantem arbitrium ad unum, nec docet, nec docuit, nec potuit unquam docere sine læsione liberi arbitrii, quod quidem Divus Thomas servavit incolume, ut patet ex quæst. 3.

Nec item contradicitur in 1. p. q. 103. a. 8

70. Objicit quintò. Nam opusculo 3. cap. 130. ait: *Oportet, quod Deus cuilibet agenti adsit interius, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet.* Et loco citato de potentiâ in responsione ad quartum inquit: *Tam Deus, quàm natura immediatè operantur, licet ordinentur secundùm prius & posterius.* Sed quid inde? Respondeo, Deum priùs agere in creaturâ, ac proinde in libero arbitrio, movendo illud motione ad utrumlibet, & ex se indifferenti, non verò ipsum ad unum prædeterminando, quod non deducit, imò nec ex ullis S. Thomæ verbis Schola contraria poterit unquam deducere, ut ex dictis, & ex dicendis constabit.

Thomistis nõ favet Angelicus op. 3 cap. 130.

Nec ipsis patrocinatur 1. part. q. 105. a. 4

71. Objicit sextò Sanctum Doctorem 1. part. quæst. 105. art. 4. ubi quærit: *Utrum Deus*

Deus possit movere voluntatem creatam? Et in corpore articuli respondet, quod *utroque modo scilicet ex parte objecti, & ex parte potentiæ proprium Dei est movere voluntatem: sed maximè secundo modo interius eam inclinando.* Ita ibi. Sed quid ibi? Respondeo Divum Thomam non quærere, utrum Deus possit prædeterminare voluntatem creatam; sed solùm utrùm possit movere? Movere quidem concedimus, sed motione ex se indifferenti, & voluntatis proportionata dominio: negamus tamen, Deum prædeterminare voluntatem ad hoc potiùs, quàm illud prædeterminatione liberum arbitrium penitùs subvertente. Concedimus Deum inclinare voluntatem, non quidem ad unum prædeterminando; sed ipsam movendo, ut sic mota, ad quod voluerit, porrigat manum. Juxta Scripturam, Concilia, ac Sanctos Patres. Ubi obiter nota, quod D. Thomas ait: Deum utroque modo movere, scilicet etiam ex parte objecti, & tamen Contrarii ipsi tenentur asserere, motionem ex parte objecti indifferentem esse debere, licet sit à Deo, aliàs salvaretur liberum arbitrium cum judicio ad unum determinato. Ergo idem dicendum est de motione ex parte potentiæ, quam dicunt Adversarii physicam prædeterminationem.

Nobis nõ obstat q. 22. de veritat. 23.

72. Objicit septimò quæst. 22. de Verit. art. 8. inquit Sanctus Doctor, *Sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius Deus.* Respondeo, esse verum, & mentem Divi Thomæ in his verbis. Eo quod sicut voluntas dum de facto aliquod amat objectum, ob indifferentiam sui dominii ab illo actu cessare potest, & ferri liberè in aliud objectum per immutationem primi actûs; sic Deus potest eam movere, concursu tamen ex se indifferenti, ut suum actum liberè immutet, aliud amplectendo objectum. Quid igitur hoc ad physicam prædeterminationem.

Quâ ratione solus Deus possit efficaciter movere voluntatẽ & moveat ex D. Th. ubi supra.

73. Objicit octavò. Nam loco citato ex 1. part. ait: *Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem, Angelus autem, & homo per modum suadentis.* Ita ibi. Hoc autem est verissimum: sed nihil pro physicâ prædeterminatione. Respondeo primò hominem & Angelum non posse in genere causæ efficientis aliquid agere in voluntate creatâ; quod quidem potest: & facit Deus. At Deum id præstare per physicam prædeterminationem, unde probatur? Respondeo secundò, ly *efficaciter movere* posse ita intelligi, quod positâ Dei motione, voluntas infallibiliter operetur ita, ut non possit non habere aliquod exercitium in his extremis, ad quæ ex se est indifferens. Non tamen significat ly *efficaciter movere*, quod præmotio Dei sit intrinsecè efficax ad unum actum potiùs quàm alium; quia talis efficacia implicat, ut suo loco expendetur, cùm disputemus, Unde efficacia auxilii sumatur.

Quod solus Deus in voluntatem imprimat, ex D. Th. non est, quod illã prædeterminet ad unum.

74. Objicit nonò. Quia Sanctus Doctor in Compendio Theologiæ, quod est tertium inter ejus Opuscula, sic habet: *Pater igitur quod in corpus humanum, & virtutes ejus corporeas possunt imprimere corpora cœlestia; in voluntatem autem solus Deus imprimere potest.* Ita Sanctus Doctor. Sed ex illo nihil contra nos. Concedimus quidem Deum imprimere aliquid voluntati, dum eam ad agendum movet: aft eam impressionem esse prædeterminando voluntatem ad unum, deberet probari, sed non probatur, nec ex Sancto Doctore unquam probabitur.

Nihil pro Thomistis ex Angelico D. lect. 3 super cap. 8 epist. ad Rom.

75. Objicit decimò, eundem Sanctum Doctorem lect. 3. super cap. 8. epist. ad Rom. ubi verba illa expendens *Quicumque spiritu Dei aguntur*: sic ait: *Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter; sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad agendum: non tamen per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem & liberum arbitrium operentur. Quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus sanctus causat secundùm illud ad Philippenses 2. Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Ita ibi. Vera sunt omnia, & concedimus planè Spiritum Sanctum causare bonum motum liberi arbitrii, non tamen illum prædeterminando: quia determinatio actûs, ut alibi edocet Sanctus Thomas, relinquitur in potentiâ liberi arbitrii, illâ adhuc motione suppositâ. Undè autem proveniat certitudo, & infallibilitas bonæ operationis voluntatis alibi dicitur: nunc sufficiat asserere ab intrinseco motionis Spiritûs Sancti potentiæ in voluntate certitudinem illam, & infallibilitatem non provenire.

Nec ex q. 6. de malo ar. 1. ad 2. nec q. 10. ar. 4. ad 3. nec 2. 2. q. 24. a. 2.

76. Objicit undecimò quæst. 6. de Malo, artic. 1. ad secundum, ubi asserit: *Deus movet voluntatem infallibiliter propter efficaciam voluntatis moventis, quæ deficere non potest.* Sic Sanctus Doctor. Et hic quæst. 10. artic. 4. ad tertium, ait: *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod ad illud voluntas non moveatur.* Item 2. secundæ quæst. 24. art. 11. ait: *Virtus Spiritûs Sancti infallibiliter operatur, quodcumq; voluerit: Unde impossibile est, hæc duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando.* Ita ibi.

Præjactis testimoniis S. Th exactam satisfactionem damus.

77. Respondeo in primo loco Sanctum Doctorem non dicere, *Deum movere voluntatem immutabiliter propter efficaciam divinæ motionis, sed propter efficaciam voluntatis moventis*; quod est valdè diversum; modò autẽ solùm disputamus de intrinsecâ immutabilitate, & connexione cum uno ex extremis determinatè; & hanc negamus, nec probatur ex Divo Thomâ, ut patet. Quomodò autem sit divinæ voluntatis intelligenda

efficacia, suo loco dicetur, ne unam, & alteram difficultatem confundamus. Respondeo ad secundum locum, verissimum esse; sed impossibilitatem illam oriri ex suppositione illius motionis, quam Deus ponit in voluntate, nec probatur, nec docet D. Thomas. An verò talis impossibilitas oriatur vel ex decreto prædeterminante ante præviſionem scientiæ mediæ, vel independenter à prævisione consensûs per scientiam mediam, non est hujus loci, & in suo proprio decidetur. Respondeo ad tertium, Virtutem Spiritûs Sancti infallibiliter operari: sed motio quæ imprimitur voluntati, non est ipsa divina virtus; sed aliquid à virtute divinâ procedens, & veluti quædam ipsius participatio. Unde quod docet Divus Thomas, verissimum est. Quod autem Contrarii inferunt, falsum quidem, & omninò extra rem. Nullus enim negat, auxilium, vel motionem dici efficacem; solùm autem negamus immutabilitatem, infallibilitatem, & efficaciam motioni intrinsecam ad unum determinatè: Undè verò dicatur efficax, infallibilis, &c. alibi remittimus disputandum, ac decidendum.

Nobis tãdem objicitur S. Th. quodlib. 12. infideliter à Goneto citatus.

78. Objicit ultimò, Sanctum Thomam quodlibeto 12. qui subscribit *Sententiæ illorum, qui dicunt, à providentiâ Dei omnia esse prædeterminata*; & addit ibidem. *Posse concedi, quod omnia subjiciuntur fato, si nomine fati intelligamus divinam providentiam, omnia quæ fiunt in mundo, prædeterminantem, & præordinantem*, Ita ibi, ut ait Gonetus. Ergo Divus Thomas agnovit physicam prædeterminationem. Respondeo Magistrum Gonetum nimis diminutum adduxisse locum Sancti Thomæ; eum legi, & perlegi, & loco citato, sic ait; *Alii reducunt hæc omnia in causam supra cœlestem, scilicet in Providentiam Dei, à quâ omnia sunt prædeterminata, & ordinata; & secundùm istos fatum erit quidem effectus divinæ Providentiæ, quia Providentia nihil aliud est, quàm ratio ordinis rerum, prout est in mente divinâ; fatum verò est explicatio illius ordinis, prout est in rebus: sic ergo accipiendo fatum potest dici, quod omnia subjiciuntur fato.* Ita ibi: en textum integrum Divi Thomæ, quem refert Adversarius: contra quem

Nihil inde deducitur pro physicè prædeterminationibus.

79. Nota priùs verba illa, scilicet *Alii reducunt omnia hæc in causam supra cælestem, scilicet in Providentiam Dei, à quâ omnia sunt prædeterminata*: & hîc siste tantisper, ut videas, & simul expendas, Scholam Dominicanam, postquam Divum Thomam totum evolverat circa hoc puuctum præsens; ut constat ex longâ authoritatum catenâ ab ipsis contextâ, nihil certè inveniſſe, quod nomen, aut verbum *prædeterminatio* sonaret præter illa verba, quæ ut ipse Sanctus Doctor ait, non sunt de ejus mente propriâ, sed aliorum, ut patet ex verbis, *Alii reducunt omnia hæc, &c.* Nota ulteriùs eos Doctores, quibus imputat Sanctus Thomas ea verba dixisse *Omnia esse prædeterminata à providentiâ*. jam verò cùm ipse Præceptor Ang. in eo loco clarè dicat, quod providentia nihil aliud est, quàm ratio ordinis rerum, prout est in mente divinâ, & in mente divinâ solùm existat præscientia: Idem est adhuc in opinione, quam refert, omnia esse prædeterminata à providentiâ Dei, ac omnia esse à providentiâ prævisa, præordinata, &c. Ast hoc, quid de physicâ prædeterminatione à Deo voluntati nostræ infusâ, & eam prædeterminante ad unum? Ex his omnibus jam manifestè apparet, Doctorem Angelicum nec in minimo patrocinari Patrum Dominicanorum sententiæ, quam suæ Scholæ contra tanti Doctoris mentem Magister Bañez induxit, & cui solùm inhærent Dominicani Patres. Constat hoc ex jam dictis, & infra per integrum ferè annum dicendis.

LECTIO IX.

Infringuntur argumenta à ratione petita.

Prima M. Goneti ratio petita à subordinatione & dependentia causæ secundæ respectu Dei; proponitur.

80. ARguit primò Gonetus. Deus non solùm est primum ens; sed etiam prima causa, ac proindè sicut creaturæ ab eo immediatè dependent in esse, eique subordinantur, ita etiam in operando & causando. Sed talis subordinatio, & dependentia salvari nequit absque physicâ prædeterminatione. Ergo. Minorem probat primò, ex Sancto Thomâ 1. part. quæst. 19. artic. 1. dicente: *Ubicumq; sunt plura agentia ordinata, inferius movetur à superi, sicut in homine corpus movetur ab animâ, & inferiora, & vires à ratione: Sic igitur actiones & motus inferioris principii sunt magis operata quædam, quàm operationes: Id autem quod pertinet ad superius principium, est operatio.* Ita ibi. Quibus verbis docet ad salvandam subordinationẽ causæ inferioris à superiori, requiri, quod inferius à superiori moveatur. Probat secundò, Ubicumque est subordinatio, ibi debet esse aliquis ordo prioris, & posterioris. Sed hoc per solum concursum simultaneum nullâ ratione salvatur. Tum quia subordinatio importat aliquem ordinem inter ea quæ subordinantur: Ordo autem essentialiter dicit prioritatem & posterioritatem. Ergo causa prima dicetur, prior in operando à priori per suam causalitatem. Ergo de primo ad ultimum causa prima movet liberum arbitrium per physicam præmotionem.

Respondeo subordinationẽ illam salvari cum concursu prævio;

81 Respondeo igitur, concessâ majori negando minorem. Ad primam probationem authoritate amplectenda sunt omnia Divi Thomæ verba; & id solùm distinguendum

sed non prædeterminante ad unum.

guendum est, quod Adversarius infert, apertè docet, ad salvandam subordinationem requiri quod inferior à superiori moveatur motione, sive concursu prævio prædeterminante ad unum, nego: motione, sive concursu prævio ad utrumlibet ex se indifferenti, & à voluntate determinabili ad hoc potiùs, quàm ad illud, ob indifferentiam, & dominium proximum, atque completum, quod obtinet arbitrium tali concursu, sive motione positâ, concedo. Ad secundam probationem omnia concedimus præter unicam & malam consequentiam, quam infert Adversarius, qui quidem de primò ad ultimum malè deducit liberum arbitrium à Deo moveri per physicam prædeterminationem; cùm solùm inferatur, moveri concursu prævio, & per modum causæ universalis, indifferenti tamen ex se, & determinabili à voluntate, juxta supra dicta, & infrà majori luce illustranda. Est enim duplex quæstio valdè diversa, & utraque ab Adversariis confunditur: Prima scilicet, an Deus moveat liberum arbitrium per physicam prædeterminationem ad unum, & incompossibilem cum alio? Et huic quæstioni omnes ad unum Scholæ nostræ Doctores constanter negativè respondent. Est & alia quæstio, an scilicet Deus moveat liberum arbitrium concurrendo cum illo per concursum simultaneum, ita ut actio, quâ movet liberum arbitrium, sit ipsamet operatio creaturæ? Cui satis probabiliter respondent affirmativè Eximius Suarez, & ex nostris omninò plures. Nos autem, ut constat ex Cursu Philosophico, negativè respondemus cum plurimis, & gravissimis Societatis nostræ Doctoribus, quos in subsequentibus dabimus, & putamus, hâc nostrâ sententiâ non solùm cœco impetu innoxia ruere Adversariorum tela; sed eos omnibus suis armis exarmatos iri, ut per totam hanc quæstionem clarè ostendimus

2. ratio desumitur ex eo quod per solâ physicam præmotionē constituitur liberū arbitrium in ratione principii actualis: & decurrit excludens virtutem operativā, operationem, & concursū simultaneum.

82. Arguit secundò. Ut causa secunda, ac proindè liberum arbitrium immediatè subordinetur Deo in causando, debet ab eo pendere, & constitui non solùm in ratione principii habitualis: sed etiam in ratione principii actualis. Sed hoc nequit constitui tale, nisi per physicam prædeterminationem. Ergo. Probatur minor. Quia sublatâ physicâ prædeterminatione, tria solùm dantur in causâ agente, virtus scilicet operativa, operatio, & concursus simultaneus. sed nullum ex his potest constituere liberum arbitrium in ratione principii actualis ad operandum. Ergo. Probatur primò de operatione causæ secundæ, seu liberi arbitrii. Nam id à quo effectivè procedit, ipsa operatio, non constituitur principium proximum per talem operationem. At operatio procedit effectivè à principio actuali, sive proximo & completo. Ergo operatio liberi arbitrii non constituit liberum arbitrium in ratione principii actualis sive completi ad operandum.

83. Probatur secundò de virtute operativâ. Quia duo habet actuale operationis principium, nempè & quod sit indissolubiliter connexum cum ipsâ operatione (implicat enim, dari actuale operationis principium, & non poni ipsam operationem) & quod eam prioritate naturæ antecedat. Ergo principium actuale sive completum operationis non constituitur virtute operativâ: quia hæc non est indissolubiliter connexa cum voluntatis operatione. Quod à concursu simultaneo non constituatur tale principium. Patet. Quia applicatio causæ secundæ ad operandum, quam Sancti Patres & Divus Thomas necessariam dicunt, debet antecedere operationem prioritate naturæ, & causalitatis. Concursus autem simultaneus non antecedit; aliàs operatio creaturæ ipsam antecederet creaturam, quod implicat. Ergo.

Malè distinguit ille Magister operationem à cōcursu simultaneo.

84. Respondeo facilè, & breviter, concessâ majori, negando minorem. Ad probationem dico primò Magistrum Gonetum non solùm in Dialecticâ malè inferendo, sed etiam in Arithmeticâ malè numerando deficere: quia tria quæ numerat, non sunt nisi duo, cùm operatio & concursus simultaneus creaturæ in sententiâ Magni Suarii, & aliorum non sunt nisi unum, & idem. Dico secundò, quod sublatâ physicâ prædeterminatione præter virtutem operativam, & ejus operationem, sive concursum, datur quidem concursus prævius Dei, qui ex se universaliter & indifferenter se habet: aliàs non accommodaretur libero arbitrio, quod pro suâ naturâ & dominio petit indifferenter operari; non magis unum, quàm aliud.

Falsum est. principium actuale, & proximū operationis esse eā illâ indissolubiliter connexū.

85. Ad secundam probationem dic, rationem illam esse omninò falsam, scilicet principium actuale operationis, sive principium proximum, & actu completum ad operandum (quod idem est) esse indissolubiliter connexum cum determinatâ, & actuali operatione, hoc autem, ut constat ex totâ Quæstione, manifestè læderet libertatem. Verùm quidem est, quod liberum arbitrium à Deo motum, eâque motione constitutum, & proximè completum, vi motionis debere velle, aut nolle: attamen quia talis motio utpotè concursus causæ universalis, relinquit liberum voluntatis arbitrium, ut est de fide, non constituit illud indissolubiliter connexum potiùs cum volitione quàm cum nolitione, vel è contrà; sed solùm complet, & constituit indifferentiâ dominii, ut proximè & expeditè velit, vel nolit, ita ut licet liberū arbitrium sine illâ motione prævia non possit proximè sibi actum determinare: tamen illâ positâ indifferenti ad utrumlibet voluntas

ratione dominii ad utrumlibet, se determinat ad volitionem potiùs, quàm ad nolitionem, vel è contra. Ad illud autem de concursu simultaneo dictum est jam diversam esse quæstionem, & penes nostrum Suarium, & alios Recentiores erit respondere. Nos verò cum aliis è Societate aliam viam à Cursu Philosophico inivimus. Unde in hoc puncto sunt Adversarii monendi, ita eos debere procedere, ut non tam probent, non dari concursum illum simultaneum: sed vires, & nervos intendant ad suam physicam prædeterminationem probandam, de quâ hactenùs jejunamus, cùm nihil nobis probetur.

3. quam Gonet dicit specialem rationem, plenè dissolvimus.

86. Arguit tertiò, & ut ait Gonetus, ratione speciali & ex Divo Thomâ hic quæst. 9. artic. 4. ubi sic discurrit: Omne, quod quandoque est in actu, quandoque in potentiâ, indiget moveri, determinari, & constitui in actu ab aliquo movente; quod sit semper in actu, & nunquam in potentiâ. Sed liberum arbitrium quandoque est in actu, quandoque in potentiâ; incipit enim aliquando velle aliquid, quod antea non volebat. Ergo ad hoc, ut actu velit, indiget moveri ab aliquo movente, quod sit semper in actu, & nunquam in potentiâ, quod ut constat, non potest esse nisi Deus. Distinguo majorem: indiget moveri, & determinari motione, & determinatione paratâ ad utrumlibet, & illæsum relinquere dominium; si causa est libera, concedo: indiget præmoveri, & prædeterminari ad unum, nego majorem. Motionem, & determinationem causæ primæ, & universalis concedimus cum Divo Thomâ; præmotionem verò & prædeterminationem ad unum, cum coque intrinsecè connexam, cum ipso Angelico Præceptore rotundè negamus. Ex quibus patet jam ad reliqua argumenti.

4. à contrariis ratio decantata, illi innititur axiomati; ab indifferenti ut tali non oritur determinatio.

87. Arguit quartò. A principio indifferenti, & indeterminato non sequitur actio nisi priùs determinetur ab aliquo, quod sit in actu: Tum quia indifferens & determinatum intrinsecè opponuntur & se habent, sicut frigidum, & calidum, atque adeò sicut à frigido ut tali non potest calor procedere, ita nec ab indifferenti ut indifferenti potest actus determinatus exire: Tum etiam quia id quod est ad utrumlibet, est sicut ens in potentiâ, sed ens prout in potentia non est principium agendi: sed solùm prout est in actu. Ergo. Tunc sic. Atqui voluntas creata est principium indeterminatum & indifferens. Ergo nisi priùs determinetur ab aliquo, non poterit exire in actum.

Illam dissolve distinguendo duplicè indifferentiam

88. Argumentatio hæc magni habetur in Scholâ contrariâ; sed cadit æquè facilè sicut præcedens. Respondeo igitur cõmuni nostrorum solutione, primam distinguendo rationem: à principio indifferenti indifferentiâ incompletionis, quæ oritur ex defectu vel alicujus virtutis in potentiâ, vel alicujus requisiti ad operandum necessarii, concedo: à principio indifferenti indifferentiâ dominii perfecti & completi, nego. Do exemplum in ipsâ voluntate, quæ ex viribus propriis, & ex naturâ suâ indifferens est ad hunc vel illum actum supernatulem: at quia est indifferens indifferentiâ incompletionis, & ex defectu virtutis supernaturalis, indiget elevari & moveri per aliquam formam, quâ constituatur, & compleatur in ratione principii habitualiter completi ad actus supernaturales; & ad hoc concedunt Theologi habitus & virtutes supernaturales. Similiter manus ex se dicitur, & est indifferens, ut sit calida, vel frigida; ac proindè ut sit in actu determinato caloris, per aliud, quod sit in actu debet determinari scilicet per agens naturale; quia talis indifferentia oritur ex defectu virtutis, quâ sit vel determinatè calida, vel determinatè frigida.

dominii scilicet perfecti, & incompletionis, vel defectus virtutis.

89. Alia dicitur indifferentia dominii & libertatis, & hæc sit perfecta, & omnibus suis requisitis completa, non indiget alio determinativo, sed se ipsam determinat ad unum potiùs quàm ad aliud: unde talis indifferentia solùm opponitur determinationi necessariæ, & ad unum; non autem determinationi liberæ. Sic dicimus, voluntatem divinam esse indifferentem potestate sui dominii actualis, quantum ad objecta extrinseca creata, quæ indifferentia cùm non sit ex defectu virtutis; sed sit in actu completo volendi, non opponitur determinationi liberæ: sed solùm determinationi necessariæ objecti creati. Hâc igitur doctrinâ suppositâ, duplicem in nostrâ voluntate oportet distinguere indifferentiam: alia est indifferentia potentiæ remotæ ad operandum; & ut sic, non est in ratione dominii proximi, perfecti & completi ad volendum, vel nolendum ex defectu alicujus requisiti ad operandum. Hanc indifferentiam habet nostra voluntas, in quantum est, vel consideratur sine motione Dei, & solùm potest à Deo moveri ad operandum; & à voluntate hoc modo indifferenti non exit, nec exire potest saltem proximè actio determinata, quia est indifferens indifferentiâ incompletionis, & ex defectu virtutis, vel requisiti necessarii ad operandum, quale requisitum est concursus prævius causæ primæ, à quâ dependet omnis operatio creaturæ.

Indifferentia dominii, & libertatis solum opponitur prædeterminationi ad unum.

90. Alia est indifferentia in nostro libero arbitrio, quæ dicitur indifferentia dominii, & potestatis; quam indifferentiam habet voluntas ad hoc, vel illud volendum objectum, postquam jam est mota à primâ causâ, & omnibus suis requisitis ita completa, ut absque alio determinativo (cùm nihil

Alia est indifferentia dominii & libertatis, quæ constituitur per con-

cursū præ vium, non tamen prę determinatum ad unum.

nihil ei deficiat ad volendum hoc, vel illud) à voluntate hoc modo indifferenti possit exire, & de facto exit actio determinatè volendi; sed ita liberrimè, ut loco illius in eodem instanti posset sibi determinare actionem nolendi. Hæc igitur indifferentia dominii proximi, perfecti, & completi, in quâ vera, propria ac completa libertas consistit, nunquam salvatur in sententiâ contrariâ, quam ut omninò necessariam, omninoque concedendam ex Conciliis, & Sanctis Patribus, & præcipuè ex Divo Thomâ iterùm atque iterùm judicamus.

Arguit 5. Gonetus ex divino dominio in nostrâ voluntaté suam prędeterminationem intendens inferre.

91. Arguit quintò. Prædeterminare voluntatem, est eam applicare ad agendum. Sed Deus voluntatem applicat ad agendum. Ergo & ipsam prædeterminat. Minorem suadet. Deus in nostram voluntatem perfectum habet dominium juxta illud Esther. 13. *Dominus universorum tu es.* Ergo eam applicat ad agendum. Antecedens constat, & consequentia probatur. Usus rei est actus proprius dominii, quod idcircò definitur, *Facultas utendi re in omnes possibiles à lege permissos.* Ergo. Respondeo distinguendo majorem, prædeterminare voluntatem, est eam applicare ad agendum hoc tantùm, & non illud, concedo majorem: & ita docent omnes Contrarii: est eam proximè applicare ad agendum hoc, vel illud pro libito voluntatis, Nego majorem. Et distinguo minorem: Deus applicat voluntatem ad agendum proximè determinatè hoc, & non illud ex vi applicationis, seu divinæ motionis, nego. Deus applicat voluntatem ad agendum proximè, & explicitè hoc, vel illud, concedo minorem. Igitur voluntas ante applicationem, & motionem Dei, etiam juxta Adversarios, cùm non sit constituta in actu principii completi, solùm est incompletè potens, & incompletè indifferens ad agendum æquè hoc, vel illud: adveniente autem concursu, & motione primi moventis, applicatur, & completur ea potentia voluntatis, quæ ante illam motionem erat remotè, sivè incompletè potens, ac proindè redditur per ipsam motionem, & concursum Dei proximè potens, & completè indifferens ad agendum æquè hoc, vel illud.

Fatemur quidem Deum suo concursu prævio applicare voluntatem ad agendum, non tamen prædeterminare ad unum.

92. Unde nos minimè negamus, Deum suo prævio concursu applicare voluntatem ad agendum; sed solùm rejicimus, concursum illum prævium ex naturâ suâ, & ex intrinseco conceptu applicare voluntatem ad unum determinatè, in quo (ut supra dixi) falso judicio laborat Magister Gonetus. Dicimus ergo Deum applicare voluntatem ad operandum indifferenter hoc, vel illud ita, ut positâ motione, sive applicatione, unum è duobus sit ponendum; âst quod ponatur hoc potiùs, quàm illud, non pertinet ad naturam applicationis; seu motionis divinæ; imò esset contra rationem concursus causæ universalis, qui per hanc causam determinatur ad hunc effectum in specie, & per aliam ad alium, &c. Sed solùm pertinet ad voluntatem ut quid proprium & speciale illius. Undè licet voluntas nostra sine motione. & Dei prævio concursu non possit proximè ponere aliquid, nec aliquid velle; at positâ motione, quâ movetur, & applicatur, seu approximatur ut libera, & indifferens indifferentia dominii perfecti, est proprium, & specialissimum illius, quod amet hoc potiùs, quàm illud, vel è contra, ut probatum manet. Nam Sanctus Augustinus lib. de Spiritu, & Litterâ, cap. 34. ait: *In omnibus misericordia ejus prævenit nos* (ecce concursum prævium) *consentire autem vocationi, vel ab eâ dissentire propriæ voluntatis est.* Ecce quomodò est proprium voluntatis præventæ consentire potiùs, quàm dissentire, vel è contra. Et Sanctus Thomas supra citatus ait: *Deus movet voluntatem ut universalis motor ad universale objectum, & sine hâc motione homo non potest aliquid velle; sed homo determinat se per rationem ad volendum hoc, vel illud.* Ecce clarissimè sententiam nostram. Alia argumenta, quæ petuntur tum ab efficaciâ auxilii, tum ab ipsius sufficientiâ, alibi expedienda remittuntur.

QUÆSTIO II.

Ultima expenditur resolutio circa modum, quo Deus concurrit, & liberum movet arbitrium.



QUÆSTIONEM attingimus, in quâ necesse est, ut proprium judicium, propriamque mentem circa dubium tot tricis implexũ aperiamus: nam cum in superioribus satis discussum sit, Deum non movere liberum arbitrium, ei imprimendo illam Physicam Prædeterminationem ab omnibus Patribus Dominicanis assertam, & quod illa funditùs libertatem evertat humanam. Restat modò ostendere, quâ ratione, quove modo liberum arbitrium moveatur à Deo in suas liberas operationes.

LECTIO I.

Sententiam Sanctorum Augustini & Thomæ ut longè veriorem aliis præfero.

Cõcursus quo Deus liberum movet arbitrium, est antecedens in voluntate prioritate naturæ ad ipsius operationem.

EX his, quæ spatioso calamo supra disputavimus, liquidò constat, concursum Dei, quo liberum movetur arbitrium ad liberè operandum, nec in physicâ prædetetminatione, nec in concursu simultaneo, sive operatione creaturæ simul cum Deo, sufficienter salvari; ac proindè mediam viam, quam in hoc puncto tenuêre Magnus Augustinus, & Angelicus Doctor, esse nobis amplectendam, ut in lubricâ, totque ambagibus implexâ controversiâ pedem figere possimus. Duo igitur sunt nobis probanda: Primum est, concursum Dei, ut liberum arbitrium operetur, esse prævium in voluntate, & antecedentem non prioritate temporis, sed solùm naturæ, & causalitatis ad operationem liberi arbitrii. Secundum est, talem motionem, sive concursum esse ex naturâ suâ indifferentem, subditumque voluntati quoad proprium ipsius usum, ac proindè ab ipsâ determinabilem, vel ad volitionem, vel ad nolitionem, prout ipsâ pro suo dominio causæ particularis se determinaverit: quamvis enim voluntas sine prævio concursu, & sine motione non possit proximè se determinare nec ad velle, nec ad nolle; eò tamen in voluntate posito per solum dominium Dei, ipsa manet proximè expedita ad utrumlibet, ut suum proprium dominium exerceat. Hæc fuit expressa mens Sancti Augustini, & Divi Thomæ, ut facilè constabit ei, qui eorum authoritates supra datas, & alias infra dandas evolverit.

SS. Patrũ relegere vestigia sapientissimi Soc. nostræ DD. in hâc tenendâ sententiâ.

94. Vestigia horum Sanctorum Patrum ex nostræ Societatis Doctoribus relegere posteà Sapientissimi, juxtà ac Eminentissimi nostri Bellarminus, & cui in rebus Theogicis moralibus, canonicis, & civilibus totus litterarius Orbis meritò applaudit: Pater Sylvester Maurus in Cursu Philosophico recenter edito, & Romæ à Recentioribus nostræ Societatis approbato, & ipso nomine R. P. Generalis Joannis Pauli Oliva expressè firmato. At quia res eò devenerit, ut nostra sententia cordatissimo nostrorum judicio fuerit subjecta, & quorum prudentissimo examini iterùm atque iterùm, ac milies subjiciam. Opere tamen pretium duxi tam gravium Doctorum verba, & mentem palam omnibus facere, ut liquidè constet me non adeò in propriis cogitationibus evanescere, ut solùm novitatis pruritu tactus, malè sanam opinandi scabiem refricem, veritatis amore, cujus scopum semper mihi præfixi, ut qui maximè ducor, de hoc mihi conscius sum; at quia apud aliquos fortè non justificatus sum: stemus proposito, & missis verborum offutiis, intento operi accingamur.

Suffragium Eminentissimi nostri Cardinalis Bellarmini pro concursu prævio indifferenti.

Concursus prævio indifferens sufficiatur Eminentissimo Bellarm. lib. 4. de grat. & lib. arb. c. 15. & 16.

95. NOn est, quod Bellarminum famâ ipsâ longè majorem commendem: Sciunt enim omnes, Romæ floruisse eo tempore quo disputandi calor maximè ardebat inter utramque Familiam Dominicanam, scilicet, & Jesuiticam; nulli pepercisse labori, ut bonæ Matri bonus Filius suppetias ferret, Hic igitur Doctor lib. 4. de Gratiâ. & Libero Arbitrio duplicem affert modum conciliandi libertatem arbitrii cum operatione Dei: Alterum, cap. 15. per concursum simultaneum, quem tribuit Gabrieli & Gregorio Ariminensi, & aliis: alium cap. 16. per concursum Dei prævium, quam probabiliorem insinuat, eumque adscribit Divo Thomæ, & denique ibidem sic ait: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum operatione divinâ, & fortasse etiam probabilior juxta sententiam Sancti Thomæ, qui dicit, cooperationem divinam ita concurrere cum causis secundis etiam liberis, ut non solum eis dederit, & conservet vires operatrices; sed etiam eas moveat, & applicet ad opus, ut cognosci potest 1. part. quæst. 105. artic. 5. & lib. 3. contra gentes cap. 70. & in quæst. 2. de potentiâ art. 7. Quæ sententia videtur valdè consentanea Scripturæ, quæ docet, nos in Deo vivere, & moveri.* Et paulò infra ait: *Sciendum est influxum, seu virtutem Dei, quâ voluntas movetur & applicatur ad opus, recipi in causis secundis secundùm earum dispositionem.* Ita Bellarminus.

96. Verum quidem est, quod doctissimus Cardinalis licet concedat concursum antecedentem, & motionem Dei prævium in voluntate distinctam ab actione creaturæ; addit tamen non distingui ab ipsâ virtute naturali causæ secundæ. Verba ipsius sunt: *Quocirca virtus à Deo impressa per modum transeuntis, dum causa secunda operatur, non distinguitur ab ipsâ virtute naturali; sed est illa eadem, quatenùs Deus utitur ad illam actionem perficiendam: est autem necessaria hac motio Dei ex parte causæ secundæ, quæ cum talis sit, idest secunda habet necessariam dependentiam à causâ primâ in cujus virtute operatur.* Ita ille. Sed in hoc ultimo aliquantò declinasse videtur.

videtur à Divi Thomæ sententiâ, quatenùs docet motionem istam præviam in voluntate receptam, non distingui à virtute naturali, quasi posset illa extrinsecè solum à Deo moveri, quod difficilè potest intelligi: sicut nec paries cùm extrinsecè dicitur visus movetur.

Approbatorius calculus nostri Cardinalis Toleti pro concursu divino prævio indifferenti.

Etiam patrocinatur Card. Toletus 2. Phys. c. 3. q. 8.

Fuit Toletus suo sæculo nemini posterior; & quisplura velit de huius Viri profundâ eruditione remittendus ad Pontificalem Historiâ. Hic igitur Doctor qui floruit tempore præcipuæ disputationis, 2. Phys. cap. 3. q. 8. Sententiam nostram ita apertissimè docet, *At ut modum quo Deus cum particularibus causis operatur, intelligas: adverte quadrupliciter dici aliquis causa actionis alicujus rei: Primò, quia tribuit virtutem operandi, sicut generans dicitur movere grave, quia tribuit gravitatem, quâ movetur; & equus generat equum, quia tribuit virtutem seminis, quæ facit equum; & hoc modo dicitur Deus causa actionis rerum naturalium, quia eis virtutes quibus operentur impertitus est. Secundo modo aliquis est causa actionis rerum naturalium, quia conservat virtutem, quâ aliud operatur; ut medicina, & herbæ, dicuntur causæ visionis, quia conservat potentiam visivam, seu virtutem, & hoc etiam modo Deus dicitur causa actionis rerum, quia ipsarum esse, & facultatem, & omnia conservat. Tertio aliquid dicitur causa actionis, quia applicat aliquid ad agendum, ut qui ponit ignem domui, & ipsam comburit; & sic etiam Deus est causa; quia nihil movetur sine Deo. Præter hos modos est unus alius quartus, quo aliquid movet per instrumentum, ut Artifex pennicillo pingit; ex parte effectus una est operatio; at ex parte principiorum duplex est: nam instrumentum agit, artifex etiam agit; sed non separatim: hoc enim instrumentum sine artifice, nec artifex sine ipso instrumento operatur. Vide igitur quomodo actio instrumenti ab artifice dependeat, & effectus ab utroque, sed magis ab artifice: Sic te oportet elevare mentem, & intelligere de Deo glorioso qui cum iis causis sic operatur, ut simul & ipsæ operentur; sed à Deo motæ, & directæ, sicut instrumentum ab artifice; & quemadmodum artifex non eodem instrumento omnia facit; sed pro diversitate effectuum accommodatis utitur instrumentis: ita Deus non idem omnibus causis facit; sed diversis diversa, & concurrit cum ipsis juxta ipsarum naturam, cum liberis liberè, cum necessariis necessariò, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter pro suâ suavissimâ dispositione universali operando.* Ita doctissimus Toletus.

Sententia Patris Azor pro eodem concursu prævio, & indifferenti.

Expendimus P. Azorii suffragium maximi sanè ponderis pro Dei concursu prævio, & indifferenti

98. Post hanc disputationem pleno, & integro calamo exaratam, bona fors nobis obtulit hunc Authorem, qui id temporis etiam floruit, quo tota Societas contra physicam prædeterminationem certabat, scripsitque quindecim annis post editam concordiam nostri Sapientissimi Molinæ, ejusque librum suo proprio nomine commendavit Reverendus admodùm Pater N. Generalis Claudius Aquaviva, qui suo decreto universæ Societati præscripsit, quid in puncto de efficaciâ gratiæ nobis, & omnibus Societatis Magistris esset dicendum, dictandumque; nec est credibile, quod tam pius, juxta & doctissimus Generalis probaret, firmaretque contrarium, quod cunctis Societatis observandum injungebat.

Quæstionem istâ proponit lib. 1. inst. c. 21. q. 18

99. Ut ergo Pater Azor rem totam in præsenti controversiâ expediat, lib. 1. instit. cap. 21. quæst. 8. Primò dubium hoc his verbis proponit: *An Deus quando cum naturâ, vel voluntate operatur, ipsam moveat, & applicet ad agendum?* Secundò, Partem affirmativam tribuit Divo Thomæ 1. part. quæst. 105. artic. 5. ad 3. ait: Sententiam Divi Thomæ visam fuisse difficilem aliquibus, inter quos refert Gabrielem, & alios, qui ut recederent à Divo Thomâ, sententiam de concursu simultaneo per eandem actionem meditati sunt: & proponit eorum rationes. Quartò propriam mentem declarat his verbis: *Cæterùm mihi videtur verissima Sancti Thomæ sententia, eamq; planè videtur Augustinus tradere*, lib. 3. de Trinitate, cap. 3. 4. 5. & 6.

Ejusdem P. verba pro sententiâ nostrâ resecenius.

100. Quintò post relatas aliquas S. Aug. authoritates, ut ejusdem Patris Azor verbis utar, sic pro nostrâ sententiâ à ratione procedit; *Deinde inter primam causam agentem, & secundam est ordo, quo una necessariò pendet ab alterâ: ergo secunda non agit nisi à primâ ad agendum mota, & applicata. Advertendum (inquit Almainus tract. 1. Moral.) est, quod causa prima non solùm est causa effectûs producti à causâ secundâ, sed etiam est causa, ut causa secunda producat talem effectum, v. g. Cùm voluntas agit volitionem, non solùm Deus est causa volitionis, sed etiam est causa quare voluntas illam producit volitionem.* Hæc ille.

Causa 2. ideò dicitur talis quia à primâ movetur, item quia est causa cui prima.

101. Ideo enim dici videtur causa secunda, quia movetur à primâ; alioquin solùm esset causa cum prima: sicut cùm duo simul trabem portant, ubi quia unus ad portandum non movetur, nec applicatur ab altero, non potest dici causa secunda alteri comparata

rata; sed est simul cum alterâ causâ. At verò Deus non sic agit cum causâ secundâ: v. g. Deus, & ignis lignum exurunt, non præcisè tanquam duo navem trahentes, quod ex multis prospici potest. Primò. Cùm duo simul navem trahunt, unus non facit, ut alter trahat; sed simul cum altero trahit; & ideò ad trahendum non movet, nec applicat alterum. Atqui Deus non solùm cum igne urit, sed etiam facit, ut ignis urat: quia ignis non subsistit, nisi Deo volente & faciente, ut subsistat; si non urit non movet, non efficit nisi Deus velit, & faciat ut urat, moveat, & efficiat. Secundò. Cùm duo simul trahunt, uno deficiente, alter non potest trahere nisi in eo virtus duplicetur, ita ut suppleatur efficacitas alterius. Cœterùm cùm Deus & ignis urunt, etiamsi ignis in totum deficeret, non egeret ad urendum aliquâ virtute supplente efficacitatem ignis tanquam causæ ad urendum simpliciter necessariæ: quia nulla causa deesset ad id penitùs necessaria, sed solùm ea, quam Deus cùm rerum naturas instituit, & earum ordine servato, operatur, voluit, ut secum ad comburendum conveniret, qui est ignis. Tertiò, ut rectè cum Petro Aliacensi ait Gabriel, plus facit Deus producendo cum causâ secundâ aliquem effectum, quam si eundem per se sine causâ secundâ præstaret, quia cùm facit cum causâ secundâ, ipse non solùm producit effectum; sed etiam facit ut causa secunda cum eo efficiat, quod in duobus navem trahentibus, non contingit.

Notamus discrimen inter causas 2. à Deo motas & artificum instrumenta

102. Objicies. Ignis cùm urit, in se nihil excipit: immotus enim urit. Ergo Deus ad urendum eum minimè movet, & applicat; eo enim in ipso vim aliquam, vel virtutem, imprimeret. Respondeo in hoc causas secundas ab artificum instrumentis distingui, quod movet artifex instrumenta, & in eis nullam vim & virtutem aliam nisi motionem imprimit; & idcircò instrumenta immota nihil efficiunt. At causæ secundæ cùm sint institutæ, vires & facultates naturæ suæ accommodatas acceperunt, quibus possent, non quibus facerent sine Deo; & ita cum faciant, non faciunt nisi Deo volente, & decernente, ut faciant: cùm creatus est ignis, datum est illi, quo posset urere; deinde cùm urit, vult, & facit Deus, quod urat; nullam tamen virtutem recipit denuò, quâ possit: nihilominùs non urit, nisi Deo ante volente, ut urat & motionem excipit, quâ urat & Dei volunras præcedit, ut urat; quarè cùm urit, hoc habet; quoniam Deus vult, & volendo facit, ut ignis urat. Ignis igitur immotus urit; quia nullam vim denuò, autvirtutem excipit, quâ possit; sed nihilominùs urit, & hoc ipsum, quod urit, & urendo efficit, habet, quia Deus vult, ut urat, & faciat.

104. Sed nunquid, quando ignis urit, movet eum Deus ad urendum? Movet quidem non quia vim, virtutem, hanc vel illam denuò imprimat; sed motionem, quâ Deus movet, & ignis movetur; nec enim fieri potest, ut Deus ignem moveat ad agendum, & quod ignis non moveatur. Quid est, dices, ignem ad urendum moveri? Respondeo, nihil aliud esse, nisi Deum uti igne ad urendum, nam Deus sine igne urere non potest; at ignem adhibet ad urendum. Sed quid est Deum igne uti, vel eum adhibere ad urendum? Respondeo Deum igne uti ad urendum, & ignem movere ad urendum, quia vult ut urat, & volendo, motionem in igne imprimit, quâ unâ cum Deo urit ignis motus ab ipso Deo ad urendum. Causæ igitur secundæ à Deo ipso moventur, & applicantur ad duas functiones, & opera; quoniam Deus in ipsis motionem imprimit, & ideò movendo facit, ut causa secunda faciat. Ita expresè sapientissimus Azor.

Eruclear sapientissimus Azor suam, & nostram de concurs. su prævio doctrinã.

Placitum Cardinalis nostri Sforziæ Palavicini, & aliorum Societatis pro concursu prævio.

105. NOviter occurrit mihi Cardinalis noster Sforzia Palavicinus vir omni eruditione plenus, & Sacræ Theologiæ Magister in Collegio nostro Romano, qui expresè sententiam nostram edocuit, & quam postea probarunt Viri nostri Doctissimi, inter quos Conterraneus meus Pater Martinus de Sparza suo sæculo nemini in Theologicis posterior. quæ opinio de licentiâ R. P. N. Generalis Gosuini Nickeli fuit prælo commissa, ut ex ipso constat Operis Frontispicio. Hic igitur Doctor disputat. 6. de actibus voluntatis, artic. 12. dubium his verbis proponit: *An voluntas præmoveatur à Deo per aliquam motionem intrinsecam non solùm ab objecto, sed etiam à Deo?* Ubi hoc etiam quærit de aliis causis creatis. Cui dubio satisfacit primò dicens: *Docet Divus Thomas quæst. 9. in artic. citato, voluntatem non solùm moveri quoad specificationem ab objecto, sed etiam quoad exercitium ab aliquo principio exteriori. Et quæst. 10. artic. 4. quærit*: an moveatur de necessitate à Deo? Et respondet: *Moveri quidem semper à Deo; sed tali motione, quæ non ex necessitate ad unum determinet, sed ita ut motus voluntatis maneat contingens.*

Nobiscum favet Em. Sforzia Pallavicinus disp. 6. de act. volun. art. 12.

106. Secundò idem Author ait. *Major difficultas, an ista motio Dei possit fieri per merum decretum merè extrinsecum: an necessariò fiat per aliquid intrinsecum receptum in voluntate, sive in ipsâ causâ creatâ?* Sic ille. Et relatis sententiis, sequitur securum Divi

Thomæ

Thomæ judicium, debere fieri per aliquid intrinsecum receptum in voluntate, & in aliis causis secundis; illudque probat, & ad argumenta respondet. Tertiò, num. 6. sic ait: *Ex his colligi potest decisio illius celebris quæstionis, an actio causæ primæ, & secundæ distinguantur? Dicendum enim dari aliquam actionem causæ primæ, quæ distinguitur ab omni actione causæ secundæ, hoc est præmotionem supra dictam.* Sic Ille. Jam verò quod hic Author licet motionem præviam defendat, non adhæreat Patribus Dominicanis in puncto physicæ prædeterminationis, satis constat ex fine articuli, ubi se explicat dicens: *Sequela probatur: nam positâ illâ præmotione indifferenti ex parte Dei, &c.* Sic ille. Jam verò ubinam ab integro hujus disputationis sœculo, auditum est in Scholâ contrariâ, nomen præmotionis indifferentis ex naturâ suâ ad utrumlibet.

Aliorum nobis patrocinantium è Soc. nostrâ Doctorum suffragia recensemus.

107. Huic etiam sententiæ nostræ subscripsêre plures ex nostris Doctoribus: Pater enim Valentia, qui rem hanc satis disputavit pro nostris, disput. 3. quæst. 1. sic ait: *Ad argumentum autem primum Durandi respondeo, Deum non per eandem actionem, quâ Creatura, sed per aliam producere eundem effectum.* Secundò ait: *Ad id autem, quod Durandus quærit, si per duas operationes attingitur immediatè idem effectus, an simul, vel non simul per illas attingatur: respondemus, attingi per illas simul tempore, quamvis naturâ priùs per divinam, ut est actio primæ, & universalissimæ causæ.* Ita ille. Idem docet P. Sylvester Maurus in suo Cursu Philosophico quæst. 44. de concursu Dei, & quæst. 38. de primo motore; & denique lib. 3, quæst 22. in solutione ad 1, sic ait: *Omnes creaturæ sunt moventia, & agentia imperfecta; ideòq; dum movent moventur à Deo superiore movente, & producuntur ad novam perfectionem, & actualitatem movendi, quâ anteà carebant; & dum agunt, patiuntur, & recipiunt à Deo superiore agente perfectionem, & actualitatem actionis, ad quam inclinant vehementissimè.* Ita Ille. Pater verò Huzon cultissimus nostri sœculi Theologus in manuscriptis de hoc puncto disput. 1. membro 3. sic ait; *Posterior verò pars conclusionis, scilicet dato, quod ex prioritate & independentiâ concursus divini inferretur præmotio: non tamen præmotio inseparabilis ab actu, qui est scopus hujus tractatus. Probatur clarè.* Ita ille. Cujus probationes omitto. Possem & alios Societatis referre Doctores, & P. Daniel supra citatus ad finem suarum litterarum.

Replicat Gonetus præjactos Soc. DD. pro suâ physicâ prædeterminatione stetisse?

Replica Magistri Goneti.

MAgister Gonet disputat. 6, de modo, quo voluntas volvitur, artic. 2. §. 5. per totum, sibi, & suæ Scholæ contra nos plaudens, totus est, ut probet primò Divum Thomam etiam ex mente plurium Jesuitarum stetisse pro suâ physicâ prædeterminatione. Secundò plures ex gravissimis Societatis nostræ Doctoribus suæ physicæ prædeterminationi subscripsisse. Idque ut præstet quasi annuens Sociis suis, sic discurrit: *Bellarminus, Toletus, Azor, & alii plures Jesuitarum clarè docuerunt, Deum concursu & motione prævia movere, & applicare voluntatem & alias causas secundas ad suas operationes, eamq; sententiam proprio ore dicunt, esse expressam Sancti Thomæ. Ergo jam vel ex ipsa Jesuitarum mente non solùm Divus Thomas docuit physicam prædeterminationem, sed etiam plures viri doctissimi Jesuitarum eandem cum Doctore Angelico sententiam de physicâ prædeterminatione ut verissimam tenuerunt, nostrorumq; vestiglis adhæserunt.* Sic discursus Magistri Goneti ex § 5.

Nostrorum nullus huc usque extitit pro Thomisticâ præmotione & id falsò imponitur à Goneto.

109. Quid hic agendum, dum ante triumphum sic victoriam canit Gonet, & quidem contra totam Societatem? Consequens autem illud nobis adeò extraneum, hactenùs non est admissum, nec in Scholâ nostrâ admittendum puto. Tum quia omnes nostri constanter edocent Divum Thomam constanter, & clarè contra physicam prædeterminationem stetisse, eamque à solo Bannez, & aliisemanasse contra mentem ipsius Angelici Præceptoris: Tum quia hactenùs non est auditum, Doctorem ullum ex Jesuitis fuisse Prædeterminatorem. In trivio sumus; quam arripiemus viam? Dicemusne Doctores nostros supra citatos, & à Goneto revisos, non docuisse concursum & motionem illam præviam à Deo, nec eam Divo Thomæ tribuisse? At hoc esset in Thomistarum oculis solem, qui super omnes exoritur, in meridie negare: Sunt quippè Viri eruditione præditi, & præter Theologiam, quâ pollent, in Grammaticâ, quâ solâ ad id nobis ostendendum, indigent, maximè versati. Hæc ergo est relinquenda via. Dicemusne Doctores nostros à Goneto relatos prædeterminatores extitisse, ut ipse contendit, fecisseque Divum Thomam Prædeterminantium Ducem? At hoc apud universam Societatem malè audiret; quæ autem absurda inde sequerentur erga Doctores nostros, non est quod attingam; discurrat alius. Hæc etiam via declinanda est: Divus Thomas à prædeterminatione physicâ vindicandus, Doctores nostri purgandi, imò bonæ solutionis lixivio extergendi ab impostura Goneti. Sed quâ viâ dices? Audi, & memor esto Ovidii: Igitur ne caderet Phaëton, Solis ducendo currum, viasque eundi demonstrans, hoc ei consilium Sol ipse adhibuit.

Inter utramq; tene, mediâ tutissimus ibis? Ducimus igitur in Societatis Scholâ currum Solis Angelici Thomæ, & quidem in hoc

puncto maximâ studiorum nostrorum gloriâ utrumque ei humerum admovemus, jam verò ut veritatis scopum, quam in hac controversiâ Societas semper sibi præfixit, meliori modo attingamus, mediâ hac viâ tutissimi ibimus. Patiens esto, & totius Operis decursu omnia tibi reddam.

M. Gonet ex antecedenti vero falsum consequēs infert: & id ostendimus ex ipso summularum tyrocinio.

110. Respondeo igitur ad replicam Magistri Goneti, antecedens esse verum; at consequens omninò falsum: consequentiam verò perviè fallacem, & ab omni Dialecticâ quàm longissimè aberrantem. Idque ut clarè ostendam, ad manum est casus, & qui non semel in Scholis nostris solet accidere. De summularum tyrocinio rudimentarium puerum jubeo ad me venire. Adsum, inquit puer. At ego ut de puerili indole periculum faciam: Sic insurgo. Edissere mihi puer, quid est homo? Ille respondet: est animal rationale. Tum ego: ergo & equus jam erit homo. Absit mi Pater, ille ait: nam equus quo pacto poterit esse homo? Hoc enim pacto, mi puer: Homo est animal. Sed equus est animal. Ergo equus etiam est homo. Ridet tunc puer, & resumpto argumento, negat consequentiam: non enim valet, inquit, Pater mi, nec tenet hæc consequentia: *est animal ergo est homo*: quia Magister noster docuit nos hanc Dialecticæ regulam; quod licèt valeat consequentia à negatione generis ad negationem speciei, ut *non est animal, ergo non est homo*: at nec teneat, nec unquam valeat ab affirmatione generis ad affirmationem speciei, v. g. *hoc est animal, ergo est homo*. Bone Deus! En jam captam, & corio nudatam Magistri Goneti fallaciam: quia ut ejus Schola constanter fatetur, physica prædeterminatio duo dicit, videlicet esse præviam, & esse inseparabilem ab amore, sicut homo duo dicit, scilicet & esse animal, & esse rationale: unde sicut ex animali dato, non infertur homo, quia homo non solùm est animal, sed etiam rationale, ut pars principalissima hominis, sic ex prævio concursu dato & concesso malè infertur physica prædeterminatio Scholæ contrariæ, quia hæc non solùm est motio prævia, sed etiam inseparabilis à consensu, sive essentialiter cum illo connexa tanquam pars principalis physicam Patrum Dominicanorum prædeterminationem constituens.

Hinc SS. PP. & cit. nostri D. D præviũ edocuêre concursũ, sed generalẽ, & ex naturâ suâ ad utrumlibet indifferentem.

111. Hinc est quod Sancti Augustinus, Thomas, & ex illis Bellarminus, Toletus, Azor, Valentia, & alii citati, docuerunt (& benè) concursum prævium: ast nec Divus Thomas, nec nostri Doctores unquam prædeterminationem physicam probavêre; sed solùm generalem concursum prævium, & ex naturâ sua indifferentem in voluntate ad utrumlibet: Unde sicut concedere animal in equo, non est concedere hominem in equo: sic admittere in voluntate concursum prævium eo pacto, quo à nobis cum Sancto Thomâ, & his Doctoribus propugnatur, non est admittere in voluntate physicam prædeterminationem. Hinc etiam est, quod quantum distat equus licet sit animal, ab eo, quod sit homo: tantùm distat concursus Dei, licet sit prævius, ab eo quod sit physica prædeterminatio: & quantum distat motio prævia illustrationis, quâ ex parte objecti movetur voluntas ad operandum liberè, ab eo quod sit prædeterminatio moralis, tantùm distat concursus prævius, quo voluntas à Deo movetur, ut à primo movente, ab eo quod sit prædeterminatio physica.

Utramque igitur motionem admittimus prævium; videlicet illam moralem illustrationis, & prævii Dei concursum tramque indifferentem, & utramque necessarii

112. Utramque igitur motionem prævium consequenter dicimus utrâq; ex naturâ suâ indifferentem, & consequenter utramq; necessariam, quia sicut voluntas subordinatur intellectui in operari liberè: sic & potiori jure in eodem operari subordinatur primò efficienti, primoque moventi Deo. At intellectus ex parte objecti movet voluntatem motione prævia, & indifferenti; nec ullus unquam dixit, intellectum movere, & concurrere cum voluntate concursu morali simultaneo. Ergo Deus ut primum movens in genere efficientis, movet voluntatem, sicut & alias causas secundas concursu prævio indifferenti. Patres igitur Dominicani ex vi formalis consequentiæ nec verè, nec consequenter procedunt: non verè, quia ponunt concursum Dei prævium in voluntate inseparabilem à consensu; nec ad utrumlibet indifferentem; quo sic posito, ut latè ostendimus quæst. 1, actum est de nostro libero arbitrio. Non item consequenter: quia motionem illustrationis ex parte objecti, etiamsi immittatur à Deo, coguntur ponere, & necessariò ponunt indifferentem, sine cujus indifferentiâ humana libertas rueret: unde eorum consequentia in utrâque motione nullo modo cohæret.

Nos autẽ cõsequenter procedimus, utramque illam admittendo motionẽ ad utrumlibet indifferentem.

113. Nos verò in quantum post diligens examen capimus, in omnibus quidem consequenter: quia, ut constat ex dictis, utraque motio prævia imprimitur voluntati, scilicet & moralis ex parte objecti, & efficiens ex parte primi moventis; utraque prævia, utraque ad utrumlibet indifferens; utraque compossibilis cum quolibet extremorum: & denique utraque determinabilis à voluntate ad hoc vel illud. Et omnia hæc pronuntiata fuisse de mente Sanctorum Augustini, & Thomæ, aptè sentimus. Quod autem sapientissimus noster Molina cum Gabriele & aliis, negato concursu prævio generali, solùm defenderit simultaneum, non negamus? quod autem hoc pronuntiatum, sicut & alia non susceperit in se Societas, testis est noster Sherlogus part. 3. sect. 5. dicens quod à Reverendo P. N. Claudio, adhibitis in concilium gravissimis totius Societatis Viris (inter quos refert Fonseeam, Azor, Valentiam, Toletum,

Toletum, Bellarminum, Pererium, Suarium, Salas, & alios) *Pater noster Claudius* (verba sunt Sherlogi) *cognovit omnium unam esse sententiam, licet quidem in Ludovici Molinæ concordiâ nihil appareret, quod cum verisimilitudine sustineri non posset: tamen cùm nonnulla meliùs fortasse, aptiùsq; dici possent; nequaquam Societatem universam in se recipere ut ejus omnia pronuntiata tueatur.* Sic Sherlogus. Quid autem susceperit, quidve proponat in Scholis Societatis dictandum, docendumque, clarè constabit, ubi de Concordiâ gratiæ efficacis.

Nostræ Societatis in D. Th. commendatur affectus.

114. Ne tamen Magister Gonetus putet nos in Divum Thomam certare, si affectus pignora velit, quem erga Angelici Præceptoris doctrinam nostra semper Societas ostendit ut benè admonent Granadus, & Sherlogus, audiat primò nostrum glorioſissimum Patriarcham part. 4. Constitut. cap. 14. dicentem, *In Theologiâ legatur vetus & novum testamentum, & Theologia Scholastica D. Thomæ.* Audiat secundò quintam Congregationem Generalem canone 41. dum ait: *Primo loco unanimi omnium consensu statuit doctrinam Sancti Thomæ in Theologicâ Scholasticâ, tanquam solidiorem, securiorem, magisq; approbatam, & consentaneam nostris constitutionibus, sequendam esse à Professoribus nostris.* Et ibidem ait. *Sequantur nostri Doctores in Scholasticâ Theologiâ doctrinam Sancti Thomæ: neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, nisi qui Sancto Thomæ benè affecti fuerint: qui verò ejusdem Doctoris parùm studiosi, vel etiam ab eo alieni sunt, à docendi munere repellantur.* Et Canon. 56. ait: *Nostri omninò Sanctum Thomam ut proprium Doctorem habeant, cumq; in Scholasticâ Theologiâ sequi teneantur.* Ita ibi. Quid plura pro desiderio Magistri Gonet? qui etiam rationem nostrorum studiorum evolvere conatus fuit. Ecce jam mentem & animam Societatis nostræ erga Divi Thomæ doctrinam. Nec obstat opinionum varietas, quarum diversitas etiam inter ipsos Patres Dominicanos passim occurrit.

LECTIO II.

Doctrinam valdè utilem ante resolutionem præmittimus.

Insignem D. Thom. authoritatem transcribo ex q. 3. de creat. a. 7. ad 7. & inde utilē depromo doctrinā.

115. PRo pleniori hujus rei intelligentiâ, præmittenda est nobis Divi Thomæ authoritas quæst. 3. de Creat. artic. 7. ad 3. ubi ait. *Dicendum, quod virtus naturalis, quæ est rebus naturalibus in suâ institutione collata, inest eis, ut quædam forma habens esse ratum, & firmum in natura: sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat est ut intentio sola habens quoddam esse incompletum per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Hæc Divus Thomas. Locus est sanè captu difficillimus, & bonâ verâque explicatione indiget, ut ejus mentem penetremus.

Deus in 2 creatione rebus naturalibus contulit virtutes operativas naturales permanentes & stabiles.

116. Dicit primò Divus Thomas, quod Deus in prima rerum institutione, ideſt creatione, rebus naturalibus contulit & indidit virtutes operativas naturales, quæ virtutes sunt quædam formæ permanentes & stabiles, & quæ à rebus nunquam deficiunt, nisi per ipsarum rerum corruptionem: v. g. Igni dedit calorem, ut virtutem naturalem calefaciendi: unde calor, dum substantia ignis perseverat, inest illi ut quædam forma permanens, seu quod idem est, habens esse ratum & firmum in substantia ignis, sicut experientia ostendit in omnibus. Quæ doctrina pari gradu decurrit per virtutes naturales activas aliarum causarum secundarum.

Præter illas virtutes adhuc Deus facit in causis naturalibus aliquid, quo actualiter operentur

117. Dicit secundò Sanctus Doctor, quod præter virtutes illas naturales, quas Deus à principio dedit, ut possent operari, facit adhuc in causis naturalibus aliquid, quo actualiter agant: ubi duo clarè distinguit; unum scilicet, quod rebus à principio contulit, & hoc est, ut possent operari: & alterum, quod Deus facit in qualibet causâ naturali: scilicet id, quo approximata & applicata causa secunda actualiter operetur, & sine quo nunquam operabitur, nec erit proximè completa ad operandum, vel liberè, vel necessariò juxta naturam causæ, ut sæpè edocet Divus Thomas, & ex dictis constat.

Res aptiſſimo illustratur exemplo.

118. Illustro rem sequenti exemplo. Qui tantùm v. g. parat calamum, dat illi acumen, quo possint efformari litteræ; & tale acumen se habet in calamo velut quædā forma permanens, habens esse firmum, & ratum in ipso, sive utamur, sive non utamur illo ad scribendum: At verò per hoc quod fuit datum acumen, non fuit illi datum id, quo proximè, & actualiter litteras efformaret: aliàs per hoc ipsum quod calamus haberet acumen, semper actualiter litteras efformaret; quod esse falsum omnibus est manifestum. Ergo ut calamus actu litteras efformet, requiritur, quod aliquid aliud operetur in calamo virtus & ars scribendi: sic autem calamus patitur aliquid ex artificis directione, quo actualiter, & propriè ad litterarum formationem movetur, & sine quo, quantumcumque calamus habeat acumen, nihil omninò aget. Ergo à simili quantumcumque Deus dederit rebus, & causis naturalibus in primâ earum creatione virtutes activas permanentes, nisi præter tales virtutes Deus faciat & operetur aliquid in illis, quo actualiter applicentur & moveantur ad actu efficient.

119. Dicit tertiò Sanctus Thomas, quod illud

Id quod Deus facit in causis 2 ut actualiter operetur, est ut intentio sola habēs quoddam esse incōpletum, &c.

illud, quo Deus facit in libero arbitrio, & in quâlibet causâ secundâ, ut actualiter vel liberè, vel necessariò operetur, est ut intentio sola habens quoddam esse incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento Artificis. Quæ verba nisi versatissimis in Sancti Thomæ doctrinâ, magnum negotium facessunt: unde pro verâ, & legitimâ eorum explicatione

Duplex est forma accidentalis: alia naturalis, quæ fixū & permanens habet esse.

120. Nota quod forma accidentalis est in duplici differentiâ: alia est forma naturalis, quæ sequitur naturam, estque cum illâ conjuncta, & permanens; sicut calor respectu ignis, frigus respectu aquæ, & voluntas respectu animæ. Altera est forma, quæ usu consuevit dici intentio, sive intentionalis; & hæc non habet esse firmum, & ratum, sive permanens in subjecto, in quo recipitur. Demus exemplum. In ipso igitur instanti, in quo Petrus opponitur speculo, imprimit ei, sive in eo producit speciem quandam, quæ est expressa sui similitudo: unde talis species, quæ in speculo apparet, communiter vocatur intentio, sive forma intentionalis: & quia talis forma non petitur ab aliquâ naturâ, sicut petitur calor à natura ignis; sed statim ac divertitur Petrus à speculo, cessat in illo forma illa intentionalis; ideò hujusmodi forma dicitur habere esse incompletum, ex defectu permanentiæ; quam permanentiam habent reliquæ qualitates, sive formæ naturales, ut experientia ostendit. Hoc etiam patet in exemplo adducto à Sancto Thomâ supra de coloribus in aëre, qui ut probavi tract. de Meteor. Veram realitatem habent, non quidem veram naturalem, sed intentionalem ad distinctionem albedinis in cygno, quæ est qualitas naturalis sequens naturam cygni; & ideò hæc permanet in cygno; secus autem colores in aëre, qui habent esse incompletum, ideſt nec permanens nec firmum, eò quod proveniat ex lumine refracto in nube roridâ, ut diximus loco citato de Meteoris.

Aliæ intentionales, quæ citò labitur.

Dei ergo concursus prævius juxta Angel. non est forma naturalis, permanēs sed solùm intentionalis.

121. Ex dictis jam mens Doctoris Angelici clarè colligitur ad explicandum concursum cum libero arbitrio, & qualibet aliâ causâ secundâ, dum dicit, quod id, quod à Deo fit in naturâ, ut actualiter agat, non est forma naturalis, aut qualitas naturalis permanens; sed ut intentio sola; ideſt, quod Deus facit in causâ secundâ, quando ad ejus operationem concurrit, est quædam forma intentionalis, quâ movetur, & applicatur juxta naturam suam ad operandum; sed adeò parùm durans, ut transactâ operatione causæ talis forma dispareat & deficiat ad modum quo communiter dicitur de aliis actionibus creaturarum.

Quid sit forma illa intentionalis, ha-

122. Rogas, & dicis te velle intelligere quid sit illa forma intentionalis habens esse illud incompletum, & quæ transeunter recipitur in causis secundis, ut à Deo motæ operentur? Respondeo primò esse quandam similitudinem, & participationem divinæ Omnipotentiæ quam Deus ex suâ bonitate voluit communicare causis secundis, ut actualiter operarentur, & sine quâ nihil agent. Sicut enim res imprimit in speculo quandam sui similitudinem, quæ non est ipsa res propriè, v. g. Petrus; sed quædam participata similitudo Petri, quam dicimus speciem sui, & ipsius similitudinem, non quidem naturalem, sed intentionalem. Sic divina actio, divina motio, divinusque concursus est quædam similitudo participata divinæ Omnipotentiæ, quâ juxta naturam causarum facit Deus causas operari. Ideoque hanc similitudinem explicat Sanctus Thomas instar formæ intentionalis, quæ transeunter se habet; quia solùm communicat illa ad actu operari, non verò ad instar naturalis formæ, quæ in naturâ habet esse permanens, ac completum.

Deinde est ad instar gratiæ habitualis, quâ Sancti nominamur.

123. Respondeo secundò, quod sicut intelligitur, quo pacto Filii Dei nominemur, & simus habitualiter, & permanenter, non per aliquid nostrum; cùm omne donum perfectum desursùm sit, nec per ipsam Dei sanctitatem naturalem; sed per quandam similitudinem, & participationem divinæ naturæ, quæ nobis datur & imprimitur à Deo per modum formæ permanentis, quam vocamus gratiam habitualem, amicitiam Dei &c. Sic proportione servatâ, voluntas nostra, & quælibet causa secunda, ut actu operetur, participat quandam similitudinem virtutis divinæ ad dandum esse suis effectibus, & quâ indiget propter subjectionem, quam dicit ad Deum, ut causam primam, & hanc similitudinem vocamus actionem Dei, motionem & concursum primæ causæ, quo omnes creaturas movet ad operandum. Quam explicationem, ferè ut jacet, colligo ex Doctore Angelico lib. 3. contra gentes c. 7. sic loquente: *Per quam sui similitudinem rebus communicare voluit non solùm quantum ad hoc, ut essent; sed quantum ad hoc ut aliorum causæ essent.*

Rursùs quemadmodum si militudo intentionalis Petri pro diversitate speculorū diversimo dē participatur: sic pro di versitate causarum diverso modo participatur similitudo divinę virtutis.

124. Respondeo tertiò quod sicut similitudo intentionalis Petri pro diversitate speculorum, quibus imprimitur, diverso modo participatur, ita ut in speculo magno similitudo Petri appareat magna, & in parvo speculo parva, & denique in exiguâ pupillâ oculi similitudo Petri appareat minima; quod quidem non oritur ex ipsâ naturali dispositione Petri, quæ semper eodem modo se habet; sed solùm ex diversitate subjectorum, in quibus recipitur, juxta illud axioma: *Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*: Ex quo principio videmus mirabilia illa, quæ ars facit perspectiva juxta varios modos quibus subjecta disponit ad hujusmodi intentionales rerum similitudines recipiendas

Bens illud esse incōpletum; receptum tamen in causis 2. ut à Deo moveantur.

recipiendas. Sic & ad hunc modum similitudo divinæ virtutis à diversis causis diverso modo participatur; à liberis liberè, & cum indifferentiâ ad utrumlibet; à necessariis necessariò; à debilibus, debiliter; à fortibus, fortiter: & sic juxta sanctissimum, sapientissimumque illum divinæ Providentiæ ordinem attingit mediis causis secundis à fine usque ad finem fortiter, sed servato causarum modo, suaviter omnia disponit.

LECTIO III.

Rem duplici conclusione diluimus.

Sit 1. conclusio. Cõcursus quo Deus liberum movet arbitrium, est prævius prioritate naturæ ad operationem arbitrii.

125. SIt ergo prima conclusio nostra. Concursus divinus, quo liberum arbitrium nostrum movetur à Deo, est prævius, antecedensque prioritate naturæ in voluntate ad operationem ipsius liberi arbitrii. Ita Sanctus Augustinus, & Sanctus Thomas, quibus supra relati Doctores adhærent. Probatur primò conclusio authoritate Magni Augustini, qui sermone 13, de verbis Apostoli ait: *Tutè vis agere? A te ipso vis agi? Non qui spiritu suo aguntur; sed quot Spiritu Dei aguntur, hi Filii sunt Dei. Dicet mihi aliquis: ergo agimur, non agimus. Respondeo: Imò agu, & ageris; & tunc benè agis, si ab eo agaris: Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor est.* Ita ibi. Ex quibus validum hunc efformo discursum. Liberum arbitrium agitur à Deo ut agat, ut clarè edocet Sanctus Augustinus. Sed id quod agitur, non se habet activè: sed solùm passivè, ut etiam patet ex interrogationibus Sancti Doctoris, scilicet *Tu te vis agere? A te ipso vis agi?* Ergo liberum arbitrium aliquid recipit à solo Deo, quo movetur, & agitur ad operandum. Sed hoc vocamus concursum prævium. Ergo hic est omninò concedendus. Idem Sanctus Doctor cap. 10. de Prædestinat. Sanctor. sic ait: *Quia etsi faciant homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse tamen facit, ut illi faciant quod præcipit, non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit.* Ita ibi. Tunc sic. Hic modus arguendi est legitimus ex Sancto Augustino: *Deus facit, ut homines faciant*, & non è contrà homines faciunt, ut Deus faciat. Ergo solus Deus facit, ut homines faciant. Sed hæc actio solius Dei antecedit prioritate saltem naturæ & causalitatis actiones hominum, nec actio solius Dei esse valet simultanea, Ergo debet esse prævia, aliàs non Deus faceret, ut homines faciant.

Probatur ex S. Th. q. 3. de potent. a. 7.

126. Probatur secundò ex Angelico Doctore, ut constat ex omnibus ejus authoritatibus, quas hactenus dedimus, præcipuè quæst. 1. & 2. & quæ non obscurè; sed clarissimè probant motionem Dei esse prævian in libero arbitrio. Ulteriùs tamen potest ostendi primò. Quia quæst. 3. de Potentiâ, artic. 7. *In operatione quâ Deus operatur movendo naturam non operatur ipsa natura.* Ita ibi. Sed implicat quod Deus operetur movendo naturam, non operante naturâ, & quod concursus Dei sit simultaneus: aliàs daretur operatio, quæ simul esset ab uno operante, & ab alio non operante; quod est implicatorium. Ergo concursus Dei est prævius, & non simultaneus.

Rursùs ex 1. 2. q. 109 art. 1.

127. Secundò. Quia prima secundæ quæst 109. artic. 1. ait Præceptor Angelicus: *Primum autem movens in ordine corporalium est corpus cœleste. Unde quantumcunque ignis habeat calorem perfectum non alteraret nisi per motionem corporis cœlestis, manifestum est autem quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum movens corporale; ita omnes motus tam corporales, quàm spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus, & ideo quantumcumque natura aliqua, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo.* Et 1. part. quæst. 2. artic. 12. in corpore hoc ipsum clariùs edocet, dum ait, *Moventia secunda non movent, nisi per hoc, quod sunt mota à primo movente.* Ita ibi Sanctus Thomas. Tunc sic. Sed omnes causæ corporales non aliter moventur à causis superioribus cœlestibus, nisi in quantum aliquam recipiunt impressionem prævian, quâ in suos proprios effectus moveri dicuntur, ut ex communi Philosophiâ supponitur. Ergo si Deus hoc modo applicat, & liberum movet arbitrium, & omnes res corporales, ac spirituales ad agendum, non potest hoc fieri nisi per aliquem concursum prævium, quo juxta ipsarum creaturarum naturam moveantur, & applicentur ad suas operationes.

3. Probatur efficaci discursu quem SP. Ignatius firmavit in illâ aureâ obedientiæ epistolâ.

128. Probatur tertiò efficaci discursu, quem Sanctissimus meus, juxta ac Sapientissimus Parens Ignatius in hunc modum firmavit. Igitur in aureâ illâ obedientiæ Epistolâ, ut subjectionem subordinationemque quam cujuslibet Communitatis rectus ordo postulat, & quæ inter superiorem, & inferiores, opus est, intercedat, nobis persuaderet, sic ait: *Dixi eam* (scilicet obedientiam) *omninò necessariam: nam ut in corporibus, globisque cœlestibus ut alius alium afficiat, moveatque, sive ut inferius corpus cœleste recipiat motum & influxum à cœlesti corpore superiori requiritur, ut certâ quâdam obedientiâ & ordine inferior orbis superiori subjiciatur; sic in hominibus cum alter alterius authoritate movetur, quod per obedientiam fit, oportet, ut hic qui ab alterius nutu pendet, subserviat, & obsecundet, ut virtus ab imperante, ad eum derivetur, & influat.* Et paulò infra, ut eandem subordinationem, & statutum ordinem

commendet, ait: *Quorum conversiones ac motus ab uno movente supremo gradatim omnes usque ad infimos ritè proveniunt.* Ita profundissimè Parens noster Ignatius.

Vude cũ magis sub ordinẽtur creaturæ Deo quã globus cœlestis inferior superiori.

129. Et ex ejus sapientissimâ authoritate sic arguo. Ex eo, quod globus cœlestis inferior subjiciatur, subordineturque alteri globo cœlesti superiori, rectè probat Sanctissimus Parens, quod inferior recipiat motum, & influxum à corpore superiori, omnes deducendo motus ad unum usque supremum. Sed æquè, imò magis subjiciuntur, subordinanturque in operari omnes causæ secundæ Deo ut supremo movente, primæque omnium causæ, quam unum corpus cœleste alteri superiori. Ergo omnes causæ secundæ, ac proindè liberum arbitrium, debent recipere motum, & influxum à Deo ad hoc, ut ab ipso motæ operentur: aliàs sicut prævio influxu sublato in globis cœlestibus inter se connexis & subordinatis tollitur idem ordo; sic sublato Dei concursu, omninò tolluntur, omninòque invertuntur subjectio, ordo, & subordinatio inter causam primam & secundas. Quare sicut Sanctus Ignatius hac doctrinâ benè instructus, non meminit, imò nec ipsi venit in mentem, quod unum corpus cœleste, & superius moveat, & concurrat eodem solo ac simultaneo concursu sui inferioris, sed solum agnoscit concursum, & influxum prævium, quem inferius corpus recipit à superiore, ut alterum sibi infimum moveat: sic concursus Dei simultaneus sistens in ipsâ actione causæ secundæ, non est sufficiens ad salvandum ordinem, subjectionem, subordinationemque, quæ evidenter demonstratur inter causam primam & secundas.

4. A ratione. Nequit enim aliter salvari dependentia creaturæ à Deo in operando.

130. Probatur quartò à ratione. Omnis causa secunda, ac proindè liberum arbitrium dependet in esse à Deo. Ergo dependet in operari à Deo. Sic Adversarii nostri, & sic nos communiter contra Durandum. Atqui ut salvetur dependentia, quam in essendo habet causa secunda à Deo, requiritur, ut esse, sive existere causæ secundæ supponat priùs, saltem prioritate naturæ, esse, sive existentiam Dei. Ergo ut salvetur dependentia, quam in operari habet causa secunda à Deo, requiritur, ut operari causæ secundæ supponat priùs, prioritate saltem naturæ, operari, sive operationem, vel actionem Dei. Primum Enthymmema supponitur ut communiter verum, communiterque receptum ex illo principio; scilicet quod *modus operandi sequitur modum essendi.* Minor est certa, nec potest ullo modo negari. Quia etiamsi causa secunda habuisset esse ab æterno, semper etiam ab æterno supponeret esse Dei priùs saltem prioritate naturæ ad salvandam independentiam Dei, & creaturæ dependentiam non mutuam: alias quo pacto demonstrabitur primum esse primaque causa, si omnem prioritatem tollas? Consequentia verò legitimè infertur. Quare sicut simultas naturæ in ratione essendi destrueret prioritatem, & independentiam Dei in esse primi entis, sive primi existentis. Sic operationis, sive operandi solùm simultas destruit prioritatem, & independentiam Dei in ratione primi moventis, primæ causæ, primique operantis.

5. Quit Deus solo impedi re potest causarum 2. actiones quamvis omnia ad sive in illa ad operandum requisita.

131. Sed probatur quintò conclusio. Deus se solo potest impedire actiones causarum secundarum, etiamsi adsint requisita in illis ad agendum, ut constat ex miraculo ignis Babylonici. Ergo Deus se solo potest facere ut omnis causa secunda operetur. Atqui non potest id præstare Deus, nisi se solo ità moveat causas secundas ad operandum, ut ejus cõcursu posito ipsæ operentur vel liberè, vel necessariò juxta earum naturas. Ergo. Primum consequens est omnium ferè Doctorum contra Durandum. Patet consequentia. Quia ratio, quare Deus impedivit, ne esset combustio in igne Babylonico, eam tunc postulante & exigente naturâ, non est alia juxta Adversarios, imo juxta omnes Doctores, nisi quia Deus suum concursum ita negavit, ut interroganti, cur in illo casu ignis combustio non extitit. Rectè & à priori respondeatur: non fuit combustio, quia non fuit concursus Dei. At nisi concursus Dei prævius concedatur, quo posito ignis comburat; & quo ablato, ignis non comburat. Illa ratio redditur inutilis. Ergo. Probatur minor, arguendo sic contra Adversarios. Cõbustio in igne Babylonico non fuit realiter, quia non fuit concursus Dei, sed concursus Dei per vos est realiter ipsa combustio. Ergo non fuit combustio, quia non fuit combustio. Ecce clarissimam petitionem principii, quam facilè effugimus in sententiâ nostrâ, ut ex nostris principiis apparet.

Vel ergo Deus potest omnẽ liberam actionem impedire vel non?

132. Firmatur ulteriùs. Quia vel posi- tis in voluntate requisitis omnibus ad volendum, vel nolendum potest Deus omnem liberam actionem impedire vel non? Hoc ultimum esset Deo denegare potentiam & virtutem ad hoc præstandum miraculum, quod præstitit in casu Ignis Babylonici. Primum autem, nisi ponatur concursus prævius soli Deo competens, nihil speciale Deo tribueret. Ergo. Quod antecedens sic probo. Quia Deus non alio modo omnem liberam impediret actionem in voluntate, nisi quia in sententiâ contrariâ Deus est absolutè liber ad suspendendum concursum partialem cum voluntate, & in hoc esset miraculum. At hoc ipsum miraculum posset tribui voluntati, quæ cum sit libera, etiam Deo volente cum illâ concurrere, suum partialem concursum suspendere posset. Ergo ut hoc inconveniens vitetur, Deo concedendus est modus, quo possit se solo facere, ut voluntas liberè

liberè operetur, ideſt cum indifferentiâ ad utrumlibet, & ſe ſolo impedire, ne libera operatio fiat. Cogita jam concurſum iſtum in ſententiâ de ſolo concurſu ſimultaneo, negato concurſu prævio: ſi enim ad extrinſecam Dei voluntatem confugias, Durandus tibi facilè ſuam ſalvabit ſententiam, dicendo, quod Deus ſuâ extrinſecâ voluntate (quam nec negavit, nec negare potuit) impedire poteſt creaturarū actiones, & abſque concurſu immediato facere, ut cauſæ ſecundæ operentur; nec ullam vim ſortiri argumentum, quod in Scholis contra ipſum formatur de poteſtate impediendi creaturarum actiones. In noſtrâ verò ſententiâ modum facilem exhibemus, quia poſito concurſu prævio Dei in cauſis ſecundis, facit Deus tanquam cauſa prima, ut ipſæ operentur vel liberè, vel neceſſariò; eo autem ablato, ipſarum impediret actiones. Hìc ergo eſt ſatis congruens, ac conſentaneus modus efficiendi miracula per ſui concurſùs ſuſpenſionem: aliàs ſi rem expendas, in ſententiâ contrariâ; argumentum plurimum negotii faceſſit.

6. Probatur à paritate motionis moralis, non ſimultaneæ, ſed prævіæ ad actus voluntatis.

132. Probatur ſextò Concluſio. Sicut intellectus dicitur movere voluntatem per modum finis, ſive ex parte objecti, ſive per modum proponentis, vel, ut alii dicunt moraliter; ſic Deus dicitur movere voluntatem & quamlibet aliam cauſam per modum efficientis, & primi agentis. Atqui motio ſive moralis, ſive intentionalis, ſive quocumque modo explicetur, quâ voluntas movetur ab intellectu, ſemper eſt prævia ad actus voluntatis, nec ullus hactenus dixit, talem motionem ipſam eſſe ſimultaneam voluntatis operationem, aut in iſtius operatione conſiſtere, quia motio ex parte objecti ſemper eſt prior & antecedens ad amorem voluntatis circa objectum. Ergo motio illa, quâ Deus per modum cauſæ primæ, primiq; efficientis movet voluntatem, ſemper eſt, & debet eſſe prævia, & prior prioritate naturæ, & cauſalitatis ad ipſum actum voluntatis.

7. A paritate voluntatis prævіæ applicantis potentias inferiores ad ſuos actus

133. Probatur ſeptimò. Quia plus ſubordinantur liberum arbitrium, & reliquæ cauſæ ſecundæ Deo in operari, quàm potentiæ inferiores, ut potentia loco motiva, & aliæ ſubordinantur voluntati in operari. Sed voluntas movet & applicat potentias inferiores concurſu & motione prævіâ ad ſuos actus. Ergo potiori jure Deus tali concurſu movebit liberum arbitrium, & reliqua agentia creata in ſuas operationes: cùm inferiora agentia majorem habeant dependentiam in operariâ Deo, quàm inferiores potentiæ à voluntate. Minor probatur. Quia nullus Doctor (ſaltem quem viderim) aſſerit voluntatem concurſu ſimultaneo concurrere cum potentiâ viſivâ ad viſionem, cum loco motiva ad localem motum, ita ut iſtæ actiones ſint æquè voluntatis, ac illarum potentiarum. Ergo ſicut hic non ſalvatur, quod voluntas moveat alias potentias ad executionem mediorum ob finem intentum per concurſum ſimultaneum, à fortiori non poterit ſalvari, quod primum movens in eſſe efficientis applicet & moveat alias cauſas ſecundas ſolo concurſu ſimultaneo. Patet conſequentia à paritate rationis. Quia ſicut voluntas noſtra movet, & applicat potentias inferiores ſibi: quia ejus dominio ſubduntur in operari: cùm Deus perfectiùs habeat dominium in noſtram voluntatem, & alias cauſas, à fortiori iſtæ debent à Deo moveri, non concurſu ſimultaneo, ſed prævio.

8. Quia omne movens aliquid, agit in mobile omne autē mobile aliquid patitur, & recipit à ſuo movente.

134. Probatur octavò. Deus eſt primum movens, & liberum arbitrium movetur à Deo; ſicut quælibet cauſa ſecunda, Sed omne movens aliquid, agit in mobili, & omne mobile aliquid patitur & recipit à ſuo movente. Ergo cùm Deus movet liberum arbitrium, & reliquas cauſas, Deus aliquid agit in illis, ut operentur. Major eſt evidens. Minor probatur. Quia omne mobile in potentiâ dum movetur, reducitur de potentiâ paſſivâ ad actum. Sed liberum arbitrium ante ſuam operationem ſe habet ut mobile à Deo. Ergo dum actu movetur à Deo, reducitur de potentiâ ad actum. Tunc ſic. Sed nulla res tranſit de potentiâ paſſivâ in actum, niſi per aliquid formale, quod ponitur ex parte mobilis: ſive potentiæ, quæ movetur. Ergo dum liberum arbitrium actu movetur à Deo, per aliquid movetur, quod Deus operatur in illo, & quod jam ex Divo Thomâ ſatis ſupra explicavimus. Major patet in omnibus moventibus, & motis. Nam ſi cauſa cœleſtis movet omnes inferiores, hoc non fit, niſi cauſa inferior recipiat aliquem influxum qui ſolet dici impreſſio. quemadmodum aqua maris recipit aliquid à Lunâ, quo movetur per fluxum & refluxum. Similiter ſi calamus movetur ad ſcribendum, hoc etiam non fit, niſi priùs recipiat aliquid, quo movetur ad ſcriptionem. Ergo ſi liberum arbitrium eſt mobile à Deo, ſivè in potentiâ, ut ab ipſo moveatur ad ſuas operationes, opus eſt ut reducatur in actum motionis per aliquid, quod ei addatur participatum à Deo, ut eas eliciat.

Dices hæ eſſe, ſed non requiri, quod aliquid reale fiat prævium in libero arbitrio; cum motio paſſivè ſumpta non diſtinguitur à virtute naturali, quæ movetur; activè verò, non diſtinguitur à Deo; quemadmodum diximus in Philoſophiâ, actionem creativam paſſivè ſumptam eſſe ipſum terminum creatum, prout dicit reſpectum ad Deum; activè verò, Deus non

135. Reſpondebis primò verum eſſe, Deum movere liberum arbitrium, ac proinde alias cauſas motione prævіâ, prævioq; concurſu; ad hoc tamen non eſſe neceſſarium, quod aliquid reale fiat prævium in libero arbitrio; eo quod motio illa paſſivè ſumpta non diſtinguitur à virtute naturali, quæ movetur; activè verò, non diſtinguitur à Deo; quemadmodum diximus in Philoſophiâ, actionem creativam paſſivè ſumptam eſſe ipſum terminum creatum, prout dicit reſpectum ad Deum; activè verò, Deus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non distingui ab ipsâ Dei substantiâ.

Contra 1. Quia contradicit Angelico ubi supra dicenti, illud à Deo factũ in causâ creata esse ut intentionem solam, quem admodum colores in aere.

136. Sed contra primò. Tum quia hæc solutio expresè contradicit Divo Thomæ sic ubi supra dicenti: *Sed id, quod fit à Deo in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola habẽs esse quoddam incompletum ad modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.* Sed id, quod à Deo fit in re naturali, non est res naturalis, nec est ipse Deus: similiter Deus, nec ipsa virtus naturalis, quæ à Deo movetur, se habet ut intentio sola, sive forma intentionalis, nec habent illud esse incompletum, ut est certum. Ergo talis motio, prævius que concursus non potest non distingui à Deo, & virtute naturali.

Contra 2. Quia capi nõ potest quod causa 2. physicè moveatur à Deo, quin aliquid recipiat.

137. Contra secundò. Quia Deus adest per essentiam, præsentiam, & potentiam, v. g. lapidi, etiamsi ab ipso non moveatur localiter lapis: demus autem, quod talis lapis à Deo moveatur de uno in alium locum, quemadmodum ab aliquo homine jacitur: in hoc igitur casu imperceptibile est, quod verè, physicè, & propriè moveatur lapis à solo Deo, Et quod lapis non recipiat aliquid à Deo, quo moveatur: hoc enim videtur esse contra omnia naturalis rationis principia. Ergo imperceptibile est etiam, quod causa secunda moveatur à primâ physicè, & realiter, quin aliquid recipiat: nam idem in quantum idem, semper est natum facere idem. Deus enim non mutatur intrinsecè. Ergo est semper idem. Causa item secunda non mutatur intrinsecè; cum nihil recipiat. Ergo est eadem sicut antea. Quomodò igitur eisdem omninò, & eodem modo se habentibus, causa secunda poterit jam moveri ad suas operationes? Quod principium ostendimus in Tractatu de Sacramentis in genere, & Tract. de Virtute Pœnitentiæ.

Contra 3. Quia summa est disparitas inter motionem, & creationẽ quippe creare angelum nõ est ipsum ex nihilo movere.

138. Contra tertiò. Quia latissimum intercedit discrimen inter creationem, & motionem, quâ Deus movet causas secundas. Tum quia creare Angelum, non fuit movere Angelum ex nihilo; aliàs supponeretur Angelus ante creationem Angeli, sicut supponitur mobile existens ad motionem, quâ movetur; quia omne mobile supponitur existens in potentiâ, ut moveatur; motus enim est actus entis in potentiâ, ut patet ex communi Philosophiâ. Tum quia motio, sive concursus primi moventis supponit aliquid, in quod tendat: at verò creatio supponit nihilum; ad nihil autem nihil tendit. Tum denique quia sicut Angelus est aliquid, quod fuit nihil, ita actio creativa, quæ concedi solet, est aliquid, quod fuit nihil. Sed Deus extraxit de nihilo actionem sine sine aliâ actione; aliàs procederetur in infinitum. Ergo sicut creari, & produci actionem ex nihilo, intelligitur sine medio inter Deum, & nihilum; sic potest intelligi, creari ex nihilo Angelum, quin inter Deum, & nihilum mediet aliquid.

Respondebis 2. Deum, & creaturas eadẽ actio ne concurrere, nec requiri in Deo aliam prioritatẽ, quam excellentiæ.

139. Respondebis secundò, ex aliquibus nostris Recentioribus, liberum arbitrium, & quamlibet causam secundam optimè intelligi, quomodo moveatur à Deo, Deusque sit prior in operari; ex eo quod Deus, & creatura concurrant solùm eâdem numero actione, nec in actione primi moventis requiri aliam prioritatem, nisi eam, quam vocant excellentiæ, & dignitatis. Sed hæc solutio non satisfacit. Unde.

Verùm hæc solutio repugnat Philosopho, & SS. Th. & Bonaven.

141. Contra est primò. Ex dictis alibi, quæ datam solutionem optimè impugnant, ubi reperies Divi Thomæ & Sancti Bonaventuræ testimonia contra hanc responsionem clarissima. Secundò. Quia ut ait Aristoteles 4. Metaphysicæ, textu 23. *Movens naturâ prius est moto*, & clariùs Sanctus Thomas 3. contra Gentes cap. 149. ubi ait: *Motum moventis præcedit motum mobilis ratione, & causâ.* Sed idem non præcedit se ipsum ratione, & causâ. Ergo alia est motio moventis, & alia est motus mobilis. Atqui Deus est primum movens respectu liberi arbitrii utpotè secundi agentis liberi. Ergo Motio Dei præcedit ratione, & causâ ad motum liberi arbitrii, ac proindè non sufficit illa prioritas excellentiæ & dignitatis; Imo nec ista potest benè explicari, nisi actio Dei præcedat ad actionem causæ secundæ. Tertiò. Quando duæ causæ simul simultate, & idoneitate actionis influunt in eundem effectum per talem concursum, una non dicitur movere aliam; sicut quando duo trahunt eandem trabem, unus non dicitur movere alium; sed uterque dicitur movere trabem. Ergo si Deus, & ignis eâdem actione utriusque propriâ calefaciunt lignum, uterque dicitur movere lignum; non verò dicetur movere ignem ad operandum. Ergo de primo ad ultimum per eundem modum concurrendi, scilicet concursu simultaneo tantùm, nunquam salvatur primum movens, quod moveat causas secundas sibi subordinatas in operari, sicut ei subordinantur in esse.



LECTIO IV.

Illustratio & Probatio secundæ Conclusionis.

2. conclusio. Concursus prævius ex naturâ suâ indifferens est & determinabilis à libertate nostrâ ad hunc potiùs actũ, quã illum.

141. SIt iam secunda conclusio. Concursus prævius, quo voluntas movetur à Deo, est naturâ suâ indifferens ad volitionem vel nolitionem; & ita subditus libertati nostræ ex se, ut sit ab illâ determinabilis ad hunc potiùs actum, quàm alium. Ita etiam Sanctus Augustinus, Sanctus Thomas, Cardinalis Toletus. & alii supra citati. Explicatur conclusio. Ex dictis supra constat, motionem Dei prævium esse omninò necessariam in libero arbitrio, sive in voluntate creatâ, ut illa possit proximè, & expeditè suos actus exercere; ne enim ex prioritate sive antecedentia divinæ actionis, vel in minimo lædatur humana libertas, hoc, vel illud proximè operandi; dicimus in hac conclusione, actionem illam Dei licet moveat voluntatem ad agendum; non tamen movere ad hoc agendum determinatè ex vi motionis; sed in potestate, & integro voluntatis dominio esse determinare illam ad hunc, vel illum effectum, sive actum, ita ut quamvis voluntas sine illâ prævià motione nec possit proximè velle hoc, nec possit proximè velle illud, sive quod idem est consentire, & dissentire; tamen positâ motione Dei, est proximè & completè potens velle hoc, vel illud taliter, ut voluntatem agere hoc potiùs quàm illud, non oriatur ab ipsâ Dei motione; sed ab ipsâ voluntate, quæ se ipsam, & motionem Dei in se receptam determinat ad agendum hoc potiùs, quàm illud.

Illustratur exemplo calami sine motione prævià artificis non potentis litteras efformare.

142. Rem trito exemplo illustramus. Quamvis calamus absque prævià motione artificis non possit litteras efformare; tamen quod litteræ aliquando majores, aliquando minores efformentur, non oritur â motione artis; sed à majori, vel minori acumine in calamo temperato: unde si calamus sit minori acumine, paulò minores exarantur litteræ; si verò sit majori acumine, grandiores litteræ efformantur. Quare ex diverso calami temperamento sub eâdem artis motione diverso modo formantur litteræ ut ipsa experientia ostendit: quia cùm motio artis calamum moveat juxta modum, & naturam sui temperamenti quod habet, indifferenter se habet, & compossibilis est cum hâc, sive cum illâ litterarum formatione. Undè si posset contingere, quod in calamo simul esset temperamentum ad hanc, vel diversam formationem litterarum in eodem instanti, in quo est minor litterarum formatio, sub eâdem quidem motione posset, illâ relictâ, esse alia diversa formatio litterarum, quia motio artis solùm est ad scribendum juxta regulas generales artis; non verò ad scribendum hoc, vel illo modo; & sic licet sine motione artis prævià in calamo, nullo modo possint efformari litteræ: tamen eâ motione positâ, quod hoc potiùs, quàm illo modo formentur, oritur non ex motione; sed ex calami temperamento determinante motionem artis ad hanc potiùs, quàm aliam litterarum formationem. Hanc igitur doctrinam non erit difficile transferre ad nostram voluntatem, cujus Deus juxta suam naturam contulit temperamentum ad utrumlibet, scilicet ad velle, & nolle: unde quamvis sine motione Dei non possit ullo modo operari; tamen quod voluntas, positâ eâ motione Dei, velit potiùs, quàm nolit, vel è contra nolit potiùs quàm velit, non oritur præcisè ex tali motione; sed ex voluntate, quæ se ipsam, Deique motionem ad hoc potiùs, quàm illud determinat. His ita.

Probatur 1. cõclusio ex S. Aug. lib. de Sp. & Litt. cap. 34.

143. Probatur primò conclusio ex authoritate Sancti Augustini loco citato, nimirùm lib. de Spiritu, & litterâ cap. 34. dicentis; *In omnibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi, vel ab eâ dissentire, propriæ voluntatis est.* Sic Sanctus Doctor, ubi utrumque clarè edocet, scilicet & concursum prævium, ut patet ex illis verbis, *prævenit nos*, & talem concursum esse determinabilem à voluntate, vel ad consensum, vel ad dissensum, quia eo posito, est proprium voluntatis consentire, vel dissentire.

Deinde ex S. Th. ubi supra dicente Deũ movere ut universalẽ motorem ad universale objectum &c.

144. Probatur secundò ex Sancto Thomâ, qui ut constat ex authoritate supra pluries datâ, ait: *Deus movet voluntatem ut universalis motor ad universale objectum, & sine hac motione homo non potest aliquid velle; sed homo determinat se per rationem ad volendum hoc, vel illud.* Sic Sanctus Thomas. Ex quibus sic arguo. Homo sine motione Dei non potest se determinare ad hoc, vel illud; quia sine motione non potest aliquid velle, & positâ tali motione, se determinat ad volendum hoc vel illud. Atqui positâ motione Dei, homo non se determinaret per rationem ad hoc, vel illud, nisi motio se haberet indifferenter ex naturâ suâ ad volendum hoc vel illud. Ergo motio Dei, sive quod idem est, ejus concursus prævius ex naturâ suâ indifferenter se habet, ut per dominium particulare voluntatis determinetur ad hoc, vel illud. ac proinde talis concursus est ex se conjungibilis vel cum volitione hujus, vel alterius objecti: sic autem concursum Dei prævium conjungi cum volitione hujus objecti potiùs quàm cum alterius objecti volitione, non oritur ex naturâ divini concursûs, qui cùm sit universalis, & primæ causæ moventis unumquodque juxta suum peculiarem modum, & servantis naturam ipsius,

non magis est ad hoc potiùs volendum, quàm illud; sed oritur ab ipsius voluntatis dominio se ipsam, ipsumque concursum determinantis ad hoc potiùs quàm illud. Accedit breviter & alius locus Sancti Doctoris quæst. 5. de veritate artic. 9. ad 10. ubi ait: *Per causam secundam determinatur quodammodò actus primæ causæ ad hunc effectum.* Ergo Deus ut causa universalis exhibet suum concursum à causâ secundâ determinabilem.

3. Quia concursus causæ universalis debet ex naturâ suâ esse indifferens.

145. Probatur tertiò à ratione. Concursus, quo Deus liberum movet arbitrium, & omnes causas secundas ad suos effectus, sive operationes, est concursus causæ universalis & primæ. Sed concursus causæ primæ, & universalis ex naturâ suâ petit se habere indifferenter, & accommodari virtuti causarum secundarum. Ergo. Probatur minor. Eo quod concursus sive influxus causarum superiorum & cœlestium, sine quo juxta veram Philosophiam operari non valent causæ secundæ sublunares & inferiores, sit universalis, se habet indifferenter, & semper ex naturâ suâ idem, sive ejusdem rationis in movendo hæc inferiora. Ergo multò magis concursus Dei ut universalissimæ causæ. Antecedens ostenditur ex experientiâ. Etenim recens arbor uberiores, grandioresque producit effectus, quod si longæva fiat & vetusta, ipsamet edocet experientia, quod si det fructus, non illos det ita uberes, nec ita grandiores; sed minusculos. Sisto hîc, ut quædam hujus diversitatis facillima ratio assignetur.

Quod enim arbor recens, & vetusta minores fructus producat, non cœlestium influi tribuitur, sed solùm majori vel minori virtuti arboris.

146 Certum est, quod in utroque casu sive planta sit recens, sive sit debilis, & vetusta, sine influxu prævio causarum superiorũ non producat, nec generet; sed quod in uno casu grandiores producat fructus, & in alio casu minores, non tribuitur influxui causarum cœlestium, sed solùm majori, vel minori virtuti plantæ; cùm Sol & aliæ causæ cœlestes in influendo semper se habeant ut recentes, & novæ, quin ullum suæ virtutis defectum patiantur; aliàs in cœlis darentur peregrinæ impressiones contra dicta in Philosophiâ. Ergo concursus causæ superioris semper eodem modo se habet ac proinde indifferenter, ut cum plantâ novâ fortiores fructus producat, & cum debili debiliores. Ergo cùm concursus causæ primæ sit longè universalior, non solùm indifferenter; sed magis indifferenter, & universaliter se habebit. Minor probatur. Quia roganti cur planta debilis & vetusta det fructus ita debiles; cùm ipsa quando recens, & nova uberiores protulisset? Non benè, imò contra veritatem scientiæ naturalis responderetur sic, scilicet quia Sol debiliter modò concurrit, & modò fortiter agit: cùm enim Sol non sit modò debilis, nec modò fortis, sed semper eodem modò se habeat, non est unde colligamus concursum Solis modò debilem, & modò jam fortiorem. Vera igitur ad interrogatum illud responsio est, fructus plantæ modò esse debiles, & antea fortiores; quia virtus plantæ modò est debilis, & anteà ipsa virtus vegetior erat, recens, & nova.

147. Similiter ut ad rem veniamus, interroganti, cur voluntas modò eliciat volitionem, posteà verò actum nolitionis? Non potest responderi: quia Deus concurrit hoc modo nunc, & postea diverso modo. Hoc autem non potest dici: quia in actu pravo materiale liberum peccati reduceretur in Deum; cùm autem hoc sit inseparabiliter connexum cum formali malitiâ peccati, Deus veniret judicandus author peccati. Vera ergo responsio ex Divo Thomâ est, quod licet voluntas sine influxu, & concursu prævio causæ primæ non possit elicere volitionem, nec nolitionem, item nec actum bonum, nec entitatem physicam actus mali; tamen quod modò volitionem eliciat, posteà verò nolitionem, & idem de aliis; non oritur ex prævio Dei concursu: quia cùm Deus titulo causæ universalis, & primæ eodem modo se habet in utroque casu, consequenter ejus concursus generalis eodem modo se habet indifferenter: sed totũ hoc provenit ex eo, quod posito influxu Dei subdito determinationi voluntatis, & in ipso secundùm ejus naturam, & modũ voluntatis recepto voluntas modò se determinat per rationem adhoc, & modò per rationem ad illud secundùm dominium immediatum, & particulare ipsius.

Quod interrogatas modò volitionē, posteà verò nolitionem eliciat, tribuitur Deo hoc, vel illo modo concurrenti.

148. Denique hanc secundam conclusionem efficaciter probant omnia illa, quæ adduximus supra Quæstione primâ contra physicam prædeterminationem, quæ tamquam propriæ hujus puncti rationes, prò hâc conclusione sunt adducenda, præter alia plura, quæ in præjactis manent eventilata.

LECTIO V.

Utraque conclusio ab impugnationibus expeditur.

149. HÆc igitur est natura medii, ut de utroque extremo limitem attingat: accedit hoc sententiæ nostræ quæ media est inter Prædeterminatores & simultaneos; quorum primi per excessum peccant, ita ut libertatem arbitrii de medio tollant; & in hunc scopum collimarunt benè & fœliciter semper totius nostræ Societatis nervosa jacula. Secundi verò deficiunt per defectum ita ut supremum & immediatum Dei dominium excluderent è medio, nec dignitatem primæ causæ in operando

Media est sententia nostra inter Prædeterminatores, & Simultaneos, illi per excessum per defectum peccant.

operando, & subordinationem, dependentiamque secundi agentis à primo satis consulant. Nos verò consilium illud supra adductum, scilicet; *Inter utramq; tene, media tutissimus ibis*, planè & omninò amplectimur; putamusque, hanc fuisse viam Divi Augustini, & Angelici Thomæ omnium difficultatum tricis, & tribulis expeditam, ut passim constat ex solutione datâ ad Prædeterminantium argumenta quæst. 1. & partim quæstione antecedenti ad objectiones pro concursu simultaneo. Unde argumenta ibi pro utrâque sententiâ formata & solutâ, sola sunt, quæ hîc possent militare; hîc tamen breviter unum, vel alterum, attingam.

Ex prævio Dei cõcursu non sequitur Deũ esse authorem peccati.

150. Arguitur primò contra primam conclusionem. Si concursus Dei esset prævius, Deus esset causa & author peccati. Hoc implicat. Ergo & primum. Sequela probatur. Quia si est prævius & antecedens ad operationem voluntatis, talis concursus non determinarur à creaturâ; sed à Deo. Sed qui determinatus à se, influit in materiale peccati, est causa, & author peccati. Ergo. Hoc argumentum valdè urget Prædeterminatores, ut ex dicendis constabit; contra nos autem nullius est momenti. Respondeo igitur negando sequelam. Ad probationem distinguo majorem: talis concursus non determinatur à creaturâ per modum causæ particularis, nego majorem. Est dicere. Voluntas non est in causâ quod Deus ponat illum concursum prævium, nec in eo, quod ipsa illum recipiat; est tamen in causâ quod ille concursus Dei deserviat ad entitatem actûs mali, vel ad esse peccati, potiùs quàm ad entitatem, vel ad esse actûs boni: tum quia concursus Dei ut pote universalis solùm est ad dandum esse universaliter, & indifferenter; non verò ad dandum esse huic actui potiùs, quàm alteri: hoc enim est peculiare, & proprium nostræ voluntatis, licet non sine Deo ipsam movente: si autem concursus Dei indifferens quantum ad hoc, determinatur ad materiale peccati à solâ voluntate potiùs, quàm ad entitatem actûs boni; in hoc stat peccatum; non verò in primo. Videatur solutio à nobis in Physicâ data ad argumentum Durandi.

An quando voluntas non operatur circa objecta proposita nõ habeat sufficiens principium illa videndi

151. Arguitur secundò. Si ad omnem actionem liberi arbitrii, ac proinde cujuscunque causæ secundæ esset necessarius prævius Dei influxus in causam, sequeretur, voluntatem creatam, quando non operatur circa objecta proportionata & sibi proposita, non habere sufficiens principium illa videndi, nec posse revera circa illa operari; atque adeò non esse imputandum illi ad culpam, si non operetur. Sequela probatur. Nam quando voluntas non operatur prævium Dei influxum non habet, qui est necessarius ad operationem; nec est in potestate voluntatis talem influxum habere, cùm ejus operationem antecedat. Ergo quando voluntas non operatur, revera non potest operari.

Difficultas premit prædeterminatores dicentes, influxum illum non esse necessarium ut voluntas possit, sed ut actu operetur.

152. Hoc argumentum malè torquet Prædeterminatores: cui non satisfacit solutio, quam adhibent Magistri Alvarez, & Gonetus cum illo, prævium scilicet influxum illum non esse necessarium, ut voluntas possit operari. Quæ solutio loquendo de potentiâ proximè applicatâ, proximèque expeditâ, ac omninò necessariâ ad salvandum proximum voluntatis dominium, nobis supra fusiori calamo impugnata: estque, ut diximus, contradictoriè opposita his Sancti Thomæ verbis: *Et sine hac motione homo non potest aliquid velle.* Tunc sic. Hominem sine universali motione Dei non potest aliquid operari, & non posse aliquid velle sunt Synonyma. Ast juxta Divum Thomam homo sine universali Dei motione non potest aliquid velle. Ergo non potest aliquid operari. Ecce Divum Thomam immediatè contradicentem Sapientissimis his Dominicanorum Magistris.

Nego suppositum nempè dari casum quo voluntas circa objectum sibi sufficienter propositũ nõ operetur.

153. Nos verò facilè expedimur negantes suppositum; dari scilicet casum, in quo voluntas circa objectum sufficienter propositum, non operetur, vel illud amplectendo, vel illud nolendo: quia cùm Deus titulo causæ primæ ex suâ bonitate, plenoque dominio paratus sit adjuvare, & movere causas secundas in debitis circumstantiis; semperque movet voluntatem circa objectum, sufficienter sibi propositum ut operetur, non tamen ut operetur potiùs hoc, quàm illud: hoc enim, adhuc posito illo concursu, in voluntatis potestate relinquitur; cùm talis concursus non sit prædeterminatio ad unum, ut volunt Patres Dominicani; sed ad utrumlibet se habeat indifferenter, ut ex Divo Thomâ cum Sancto Augustino defendimus.

Arguit Magnus Suarez quia indifferentia voluntatis est potentiæ activæ habentis ex se vim integram producendi varios actus.

154. Arguitur tertiò ex Patre Suario: Primò, quia indifferentia voluntatis non est indifferentia potentiæ passivæ; sed solùm indifferentia, & indeterminatio potentiæ activæ habentis ex se sufficientem, & integram vim producendi varios actus. Ergo ad faciendum proprium, & determinatum actum, non indiget prævia motione, aut prævio Dei concursu. Secundò quia voluntas, vel indiget tali prævio concursu propter imperfectionem virtutis agendi, ut per illum compleatur quoad unum actum de terminatum solum, vel indiget illo, ut voluntas determinetur quoad exercitium actûs? Sed ad neutrum requiritur prævius ille concursus. Ergo. Probatur minor quoad primam partem. Quia illa voluntatis indifferentia non est ex imperfectione; sed ex eminentiâ activitatis, & dominii ad suos actus. Ergo propter

propter defectum virtutis non indiget prævio concursu; sicut divina voluntas indifferens est ad varios effectus, & non indiget extrinsecâ motione prævia. Quia illa indifferentia oritur ex eminentiâ suæ virtutis. Probatur quoad secundam partem. Quia aliàs Author naturæ frustra humanæ voluntati dedisset virtutem illam eminentialem quoad suorum actuum specificationem, & exercitium, si postea nunquam illâ uti posset, nisi priùs ab agente extrinseco determinaretur. Sic eximius Doctor, & ex illo plures Recentiores.

Ad 1. dico indifferentiam proximam voluntatis cõstitui & compleri per concursum prævium.

155. Verùm licet hæc in Dominicano tum sententiâ difficultate non careant; nostræ verò nullam vim inferunt. Respondeo ad primum, indifferentiam voluntatis vel posse sumi remotè, vel posse sumi proximè. Si primo modo sumatur, indifferentia voluntatis dici potest activa, & passiva; activa quidem, quia est in ordine ad agendum vel remotè: passiva verò, quatenùs indiget moveri à Deo ut causa prima, & cui in operando etiam subjicitur, sine quâ non est omninò completa, nec expedita ad agendum; sed incompletè: nec alio modo completur, nisi recipiendo causæ primum influxum, sive concursum; quemadmodum instrumentum artis licet sit ad artificialiter agendum, nihilominùs indiget motione artificis, eam recipiendo, ut sit potens proximè agere. Si autem proximè voluntatis indifferentia sumatur, tunc est proximè completa, & expedita per motionem & concursum Dei, nec alio novo concursu indiget: quia ut sic habet promptum, proximum, & perfectum dominium ad volendum hoc, vel illud.

Ad 2. dico voluntatẽ consursu prævio in digere ob suæ virtutis imperfectionẽ, illo tamẽ approximari determinatè ad unum, sed expediri ad utrumlibet.

156. Ad secundum respondeo, voluntatem tali prævio indigere concursu ob suæ virtutis imperfectionem, quæ utpotè creata non potest dare aliquod esse, nisi ut subordinata, & mota à Deo propter dependentiam quam à Deo habet in ipso operari: sicut instrumentũ artis nõ potest dare esse artefacto, nisi moveatur ab artifice, ut constat ex suprà dictis. Illo tamen concursu non completur, nec approximatur voluntas ad unum; sed expeditur ad utrumlibet: non enim est concursus iste prædeterminatio, quam propugnant Dominicani Patres. Plura alia congerit Magnus Suarius suo ingenio digna: quæ tamen non urgent concursum prævium; sed prædeterminantem ad unum, ut ipsum legenti facilè constabit.

157. Arguitur quartò contra secundam conclusionem. Primò. Quia si concursus Dei est indifferens, sequitur, quod creatura determinet actionem primæ causæ. Sed primum efficiens non potest determinari à secundo efficienti. Ergo. Secundò Quia modus concurrendi ad voluntatem indifferentem est imperfectus; cùm in suâ efficaciâ dependeat à voluntate creatâ. Hoc non est dicendum. Ergo, Probatur minor. Quia inde fieret, quod creatura esset causa, cur esset actus bonus potiùs, quàm malus: nam concursus Dei cùm indifferenter se habeat, non potest esse causa talis discretionis. Ergo. Tum etiam quia ad perfectionem divinæ Providentiæ requiritur, quod omnia velit, eaque præfiniat, quæ fiunt in tempore. Hæc autem non posset perficere per concursum indifferentem. Ergo.

Respondeo ad 1. creaturi ut causam particularem determinare actionem causæ primæ.

158. Respondeo ad primum, distinguens majorem: quod creatura determinet actionem causæ primæ per modum causæ universalis, nego: per modum causæ particularis, quantum ad esse hujus effectûs potiùs, quàm alterius, concedo majorem. Et in hoc nullum est inconveniens, quid enim est aliud, quàm quod creatura, sive voluntas priùs mota & determinata à Deo per concursum universalem ex se indifferentem exerceat quod est in suâ potestate: nimirùm velle hoc, vel illud.

Ad 2. nego suppositũ Deum scilicet concurrere per voluntatem indifferentem.

159. Ad secundum negamus suppositum, Deum scilicet concurrere per voluntatem indifferentem; quia voluntas divina si sit consequens circa actus bonos juxta infra dicenda, semper est efficax, & absoluta: circa actus verò pravos permissiva est. Arguens verò confundit efficaciam divinæ voluntatis cum efficaciâ intrinsecâ auxilii positi in voluntate: primam efficaciam planè concedimus suo loco, secunda verò est de subjecto falso supposito quia in concursu divino licet sit efficacia ad hoc ut operetur voluntas; nõ tamen ut operetur hoc potiùs, quàm illud quod est diversum. Quo enim pacto possit fieri quod divina voluntas sit efficax circa actũ bonum, indifferentem exhibendo concursum; est reconditum efficaciæ gratiæ mysterium, quod Deo dante, alibi illustrabimus: nec ullam in sententiâ nostrâ difficultatem patitur, quam eandem non subeant, qui concursum simultaneum propugnant, cùm semper defendant auxilium ex se indifferens, & quidem prævium.

Ad 3. nego id non posse fieri per cõcursũ prævium

160. Ad tertium concessâ majori, nego minorem. Sicut enim per contingentes causas Deus facit effectus suæ Providentiæ certos, quin ad eorum certitudinem, & infallibilitatem talium causarum obstet contingentia; sic potest eos certos facere per concursum indifferentem, quo influit in causas secundas: quo tamen pacto id contingat, hujus loci non est, & infra latè disputabimus.

Opponit iterùm, quia cùm concursus prævius non sit actio erit determinatus ad actum.

161. Arguitur quintò. Voluntas est libera ad agendum, & non agendum. Sed concursus prævius, & indifferens non est ad non agere, quia non actus non requirit concursum nec universalem, nec particularem. Ergo concursus Dei est determinatus ad unum extremum; scilicet ad agere solùm. Confirmatur. Quia concursus Dei est, quo

movetur

movetur voluntas. Sed ad non agere non movetur. Ergo ad non agere non datur concursus, sive motio divina. Ergo solùm datur ad agere determinatè.

Quid respondeant, puram omissionē immediatè liberam admittentes.

162. Qui puram omissionem immediatè liberam, & culpabilem defendunt, fortè poterunt respondere, distinguendo minorem: Concursus indifferens non est ad non agere per modum principii influentis, concedent: per modum principii formaliter complentis potentiam, ut non agere imputetur voluntati, negabunt. Quia quando voluntas est completa, sive expedita divino concursu ad agendum, si non agat, non agere imputatur ei: cùm nihil ei deficiat ad proximè agendum: sicut quando voluntas est completa in ratione potentiæ per habitum charitatis ad diligendum Deum, omissio dilectionis imputaretur ei, licet ille habitus non se habeat per modum principii ad omissionem charitatis, eo quod nihil deficiat, posito etiam generali Dei concursu ad diligendum Deum super omnia.

Argumentū magis urget prædeterminantes.

163. Adde, majorem vim habere argumentum in aliis sententiis, quia in sententiâ Prædeterminantium, ad omittendum purè non datur physica prædeterminatio: Ergo jam datur aliquod libertatis exercitium sine physicâ prædeterminatione, Patet consequentia. Quia in instanti quo voluntas omittit, non datur physica prædeterminatio ad omissionem; quia ad non agere physica prædeterminatio non datur nec est necessaria. Sed in illo instanti non datur prædeterminatio ad agere; aliàs in instanti, quo datur præderminatio ad agere, daretur non actio; quod implicat in contrariâ sententiâ, ut ex dictis constat. Ergo.

Similiter premit Simultaneos.

164. Similiter in sententiâ concursûs simultanei. Ad omissionem liberam non datur concursus simultaneus; quia hic est positivus, & omissio privativa. Ergo jam voluntas habet aliquod exercitium, quin Deus nec prævie, nec simultanè concurrat: quod valdè difficile puto: tribuere nempè creaturæ exercitium aliquod suæ potentiæ absque omni Dei concursu sive prævio, sive simultaneo. In meâ tamen sententiâ, quàm in Cursu Philosophico brevi calamo insinuavi, argumentum omni ex parte nullum est; supponit enim falsum principium; esse scilicet puram omissionem possibilem liberam, sive culpabilem, sive non culpabilem, sive meritoriam, sive non meritoriam. Unde concursus Dei prævius, & generalis, ex naturâque suâ indifferens, semper habet positivum effectum, illum scilicet, ad quem se determinaverit voluntas ex dominio suo particulari, quod obtinet circa suos actus.

LECTIO VI.

Consequentia Doctrinæ, & mirabilis sententiæ nostræ connexio.

165. EX à nobis hactenùs disputatis, ut rem totam breviter, & compendio agam, facilè deduco hanc viam mediam, quam paucis compertam hîc aperuimus, esse omninò tenendam, ut salventur plura, quæ aliarum sententiarum Sectatores non facilè expedient.

1. Salvatur liberum arbitriū & altissimū Dei dominium.

166. Primò enim salvatur liberum arbitrium, & altissimum Dei dominium, quia sine illâ prævîâ motione homo non potest aliquid velle, ut ex Scripturâ, Sancto Thomâ, & Patribus constat. Salvatur etiam secundò dominium perfectum agentis liberi creati, quod necesse est fateri ex eâdem Scripturâ, Conciliis, & Sanctis Patribus: quia licet non possit aliquid velle sine illâ motione, aut prævio Dei concursu: tamen eo posito ob sui dominii perfectionem ita se determinat ad hoc potiùs quàm illud, ut sub eâdem motione Dei proximè, & facilè possit in contrarium erumpere.

Item genuina mēs Angelici & potentia proximè libera & cōpleta ad utrumlibet.

167. Tertiò salvatur etiam legitima Divi Thomæ mens, qui utrumque, ut supra ostensum est, clarissimè edocet. Quartò salvatur potentia proximè libera, & completa ad utrumlibet actum: quia utraque motione positâ scilicet ex parte Dei ut primi efficientis, & ex parte intellectûs ut proponentis objectum, ita agit, & vult mota à Deo, & intellectu in instanti A, ut loco volitionis possit in eodem instanti *A* ponere nolitionem: non quidem eam cum volitione componendo: ad hoc autem nulla datur libertas nullaque potentia; sed componendo nolitionem cum utraque motione Dei scilicet, & intellectûs moventis per modum finis, sive ex parte objecti, quo pacto est verissimus sensus compositus, & divisus, v.g. Voluntas priùs prioritate naturæ, & causalitatis mota utrâque illâ motione, est proximè, perfectè, completèq; potens ad ponendum, vel componendum in instanti *A* cum utraque motione prævîâ volitionem, divisam tamen à nolitione, vel è contra: ita ut *sensus compositus* dicat & involvat coexistentiam voluntatis, utriusque motionis, & volitionis à nolitione divisæ in instanti A, vel coexistentiam in eodem instanti *A* nolitionis divisæ à volitione, cum voluntate, & utrâque motione. *Sensus* verò *divisus* solùm involvat, & dicat divisionem vel separationem volitionis à nolitione, quando volitio est cōjungiblis, vel de facto conjungitur cum voluntate & utrâque

motione in instanti A. Et idem est, factâ comparatione volitionis ad nolitionem.

Rursùs quomodo prævius Dei cõcursus nõ tollat libertatem arbitrii.

168. Quintò salvatur, quomodo motio, seu prævius Dei concursus non tollit libertatem arbitrii: Tum quia, ut dictum est concursus ille divinus cùm sit juxta modum, & naturam voluntatis liberæ (non quidem è medio ejus tollendo modum, ut facit physica prædeterminatio, ex naturâ suâ ad unum prædeterminando; sed modum libertatis servando, ut præstat concursus indifferens:) Concursus, inquam, ille Dei non ponitur in voluntate, ut vi illius voluntas amet, aut velit determinatè, nec ponitur, ut potiùs nolit determinatè, quàm velit: hæc enim determinatio tam volitionis, quã nolitionis in voluntatis potestate relinquitur; cùm talis determinatio non pertineat ad causam universalem; sed solùm ad particularem, quæ est voluntas; cujus est proprium, & speciale ratione suæ specificæ libertatis, se ad hoc potiùs, quam illud determinare, ut ex Sanctis Augustino, & Thomâ, & Tridentino clarè deducitur: sed solùm ponitur in voluntate, ut illo concursu se determinet vel ad volendum, vel ad nolendum, sine quo ipsa nec est proximè potens velle, nec potens proximè nolle: Quare voluntas, tali posito Dei concursu, unum ex his, vel aliis extremis necesse habet eligere: at quod unum actum potiùs, quàm alium eliciat, non est necesse; sed omninò liberum; & in hoc est libertas proxima illo posito prævio divino concursu.

Præterea salvantur circa actus nostros tam universale Dei quàm particulare nostræ volũtatis dominium.

169. Sextò salvatur circa nostros actus liberos utrumque dominium; dominium scilicet universale Dei, & dominium particulare nostræ voluntatis: illud quidem ut supremum, & perfectissimum; istud verò ut inferius, & minùs perfectum: illud ut supremum, & perfectissimum; quia ejus concursus, & causalitas à Deo solo procedit, quin voluntas se ad illam habeat activè, sed solùm passivè: Sicut omne mobile, non activè; sed passivè se habet respectu actionis, sive motionis, quâ ab alio superiore movetur. Illud verò dicitur inferius, & minùs perfectum: Tum quia nequit suam libertatem exercere absque illo prævio Dei concursu. Tum quia causalitas liberæ voluntatis est à voluntate motâ a Deo: ast divina causalitas est à Deo non moto ab alio, nec indigente alio, ut operetur tamquam causa prima, & universalis. Tum quia in operando est creatura subjecta operationi propriæ Dei, sive ipsi Deo, à quo in operari dependet; ast Deus non est ullâ ratione subjectus in operando ipsi creaturæ. Nec valet si dicas, Deum ex suâ bonitate in operari nobis esse subjectum; hoc enim post condemnationem illarum propositionum ab Innocentio XI. dicere non audemus.

170. Aliud namque est, quod Deus, qui se solo potest producere omnes creaturarum effectus, ex suâ bonitate velit, quod ipso eas movente, & adjuvante tanquam causâ primâ illæ etiam eos efficiant: & aliud, quod ex suâ bonitate velit suam eis omnipotentiam parare, & ita subjicere, ut eam ad propriam Omnipotentiæ operationem creaturæ determinent: primum enim Deum Optimum, Maximum non dedecet, utpotè divinâ Bonitate dignissimum; quia nihil aliud est, quàm uti causis secundis, eas movendo ad dandum suis effectibus esse, quod esse non cõtinetur principaliter in causâ creatâ, nisi hæc participet motionem, & prævium causæ primæ concursum, ut supra latè probavi: sicut in ordine gratiæ licet Deus se solo gratiam habitualem omnibus conferre possit; suâ tamen bonitate dignum extitit uti Sacramentis velut instrumentis ad gratiam conferendam; nec ex hoc putavit aliquis, Deum esse ex suâ libertate & bonitate subditum Sacramentis ad justificandum homines.

171. In secundo autem non divina Bonitas; sed maxima relucet indignitas primæ causæ repugnans: quia idem est, ac si Deus dicat: volo non ex necessitate; sed ex meâ voluntate, quod creata voluntas me ad agendum determinet; sicut voluntas ipsa habitum à me liberè infusum, ad agendum determinat: hæc enim est quædam Deiad creaturam voluntaria subjectio, quæ non solùm Deo repugnat, sed dedecet.

Tandem Deum immediato & universali gaudere dominio circa omnes creaturarũ actiones & illas immediatè operari.

172. Ultimo salvatur, Deum immediato & universali gaudere dominio, immediatèque operari per modum causæ universalis ad omnes creaturarum actiones: quod quidem pluribus in locis clarè edocuit Sanctus Thomas; nam quæst. 3. de potentiâ artic. 7. ait: *Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cùm conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, & quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ; sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusâ operatione voluntatis & naturæ.* Ita Sanctus Doctor. Ex quibus constat D. Thomam non postulare alium immediatum concursum in Deo, nisi quod, ipse immediatè operetur in quolibet operante: quod quidem salvari solùm potest per concursum prævium. Cujus immediationem ut sciunt omnes, Durandus denegatur.

Ita S. Th. q. 3. de poten. a. 7

Item in 3. contra gentes c. 70.

173. Deindè 3. contra gentes, cap. 70. ait: *Sicut igitur non est inconveniens, quod una actio producatur ex aliquo agente, & ex ejus virtute, Ita non est inconveniens, quod producatur idem effectus ab inferiori agente, & Deo, ab utroque immediatè, licet alio, & alio modo.* Et infra. *Patet autem, quod non sic idem effectus causæ naturali, & divinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat*

fiat; sed totus ab utroque secundùm alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus. Sic Divus Thomas. Ex quibus constat, quod ibi trepidârunt aliqui, ubi non erat timor. Aliud enim est quod Deus non concurrat immediatè per concursum simultaneum: quem immediationis modum impossibilem esse, satis probavimus: & aliud, quod Deus non habet alium modum immediatè concurrendi, quem clarè edocet Doctor Angelicus, cujus nos secura vestigia terimus.

Hujus nostræ doctrinæ laborem Superiorum censuræ subjicio.

174. Hæc habui, quæ in gravissimo hujus controversiæ puncto suggererem quàm demississimè, unum tamen dissimulare nolim, quod vel in plerisque opinionibus nostris, vel saltem non in unâ solâ: sed communiter in pluribus ab aliquibus malè probatas inaudivimus: ast quid indè? Hoc unum nobis solatium suppetit, quod non omnes libri arrident omnibus, & optimi quique Authores suos experti sunt Aristarchos: nec ideò qui in veritate certamus, in querelas effundimur, quinimò Magistrorum nostrorum judicio, imò & correctioni doctrinæ laborem nostræ libenter subjectum volumus, ita tamen ut si contra quid nobis officiat quod hucusque non vidi, repellendum alibi remittamus. Interim his Magni Augustini verbis modum ponamus, & componamus controversiam: *Si quid hîc inconditè, atque incultè dictum legeris, vel si totum ita esse perspexeris, doctrinæ da operam linguæ veniam.* Sic Magnus Antistes, & sic nubibus atris anteà condita pulchriùs effundunt sydera lumen.

OPUS-

OPUSCULUM II.

De Usu, & Abusu Scientiæ Mediæ.

Hujus Opusculi scopus.

1. RATUM est apud omnes, quantum sit Scholæ nostræ præsidio, Scientiæ Mediæ illustratio adversùs Assertores physicarum prædeterminationum; ita ut omnia eorum tela ad hoc scientiæ mediæ antemurale cassato impetu, innoxia semper hactenùs defluxerint. Idcircò post physicam prædeterminationé, ut propugnatur ab illustri Prædicatorũ Familiâ, efficaciter à nobis in præsenti Opusculo ex Divi Thomæ doctrinâ impugnatam, necessum habui in materiâ de Gratiâ, & libero arbitrio superstruere, & variis præmunire Thesibus hoc scientiæ mediæ præsidium, quo nostri Magistri libertatis exolutæ propugnatores acerrimi tuentur certitudinem divinæ scientiæ, efficaciam divinæ gratiæ, infallibilitatem æternæ Providentiæ: quæ omnia nutarent, imò absque scientiâ mediâ prorsùs everterentur. Jam verò cùm præfixus in hoc Opere susceptí laboris scopus eo ab ipsius limine collimaverit, ut Orbi Litterario constet, doctrinam Doctoris Angelici nec peregrinam, nec ab Scholis Societatis alienam fore, præsertim in remotissimis illis Americæ Academiis, immeritòque R. P. Procuratorem Dominicanæ Familiæ, Tum Sanctissimi Innocentii XI. Tum supremi Indiarum Senatûs animum imbuisse, solerti illâ, minusque sincerâ relatione, quâ in Occiduis Indiarum plagis; Novi scilicet Regni Granatensis, & Quitti, palam dicebatur, periculum & quidem ingens imminere, ne Divi Thomæ doctrina penitùs exularet. Idcircò cum eo fermè tempore ferè omnia, quæ sparsim in hoc Volumine continentur, in Xaverianâ Academiâ Discipulis dictaveram; æquum duximus hîc attexere Opusculum hoc de Scientiâ Mediâ, ut vel in hoc puncto, Thomistis communiter infenso, Scholam Jesuiticam maximè Doctoris Angelici inhærere principiis, palam inclarescat.

QUÆSTIO I.

Nonnulla præmittuntur pro Scientiæ Mediæ illustratione Præludia.

DIFFICILIA adeò sunt, quæ agitantur in hoc divinæ scientiæ certamine, ut undequaque Scholasticum labyrinthum videamur incurrere, quin occurrat aditus evadendi: idcircò ut caliginem omnem dispellam, præludiorum divisione utar, quæ lucem rebus confusè cognitis solet afferre.

PRÆLUDIUM I.

Diversum esse creaturarum, & Scientiæ Mediæ divisio explicantur.

2. UT omnem Scientiæ Mediæ abusum vel ab ipso disputationis limine declinemus, notare prius oportet principium illud, quod ex Tract. de Animâ in pluribus hujus Operis dissertationibus latè prosecuti sumus, ut maximè & omninò necessarium ad expediẽdas difficultates quæ aliter vix possunt explicari. Principium igitur est, res ipsas duplici esse gaudere: alio scilicet physico, & proprio; alterò verò intentionali, sive objectivo, aut intelligibili. Esse igitur proprium & physicum dicitur illud, quod in propriâ naturâ habent: tale dicitur esse, quod nos habemus, & alia entia, quæ operatione naturæ extra suas causas naturales existunt. Præter hoc autem esse proprium, & physicum datur aliud intentionale, & quod habent in aliquo intellectûs conceptu, vel quâvis aliâ specie intentionali; quæ est veluti expressio, aut imago, sive formalis similitudo rei, in quâ ipsam cognoscimus

Res duplex esse habent, physicum vel proprium, & aliud intentionale & objectivum.

cognoscimus repræsentatam, ut efficacibus rationibus, & exemplis in Opusculo prævio de modo, quo intelligimus, & Opusculo de Universalibus, & sæpè alibi passim ostendimus, & fusiori calamo probavimus.

Antequàm res sit in propriâ naturâ potest habere esse objectivum. Et patet in domo ab artifice faciendâ.

3. Undè potest contingere, ut priusquàm res fiat, & habeat esse in propriâ naturâ, accipiat esse objectivum & intentionale. Sic domus facienda ab artifice, antequam executioni in propriâ naturâ mandetur, habet esse intentionale in mente artificis, aliquo mediante conceptu, sive idæâ mentali, in quâ domum faciendam contemplatur, & cognoscit artifex, non quidem in se ipsâ, & secundùm esse proprium; cùm nondum habeat physicum ante executionem artis: eam tamen solet cognoscere secundùm omnia particularia, quæ in sui formatione habitura est, determinatur mediâ illâ idæâ, sive conceptu, qui tam domum, quàm modum sui artificii clarissimè repræsentat. Hinc est, quod si artifici, postquam operam domûs executioni dedit, dixeris, utrum aliquid de novo post domum factam didicerit, quod antea non noverat? Respondebit profectò, se nihil didicisse de novo quantum ad scientiam, sive notitiam artis: quia omnia, quæ de domo illâ oculis apparent, mente jam noverat, cognoscendo prius, & contemplando domum, in suâ mentali domo, sivè idæâ efformatâ. Relinquitur ergo, quod domus A, v. g. habet duplex esse, aliud physicum, & artificiale; illud nimirùm, quo utuntur homines ad victum, & habitationem; alterum verò intentionale & improprium, quod solùm habet in verbo, idæâ, sive conceptu artificis, in quo iste contemplatur domum ipsam faciendam, antequam fiat. His ita.

Id suadetur ipsû in Deo mundum cognoscente factum, antequam fieret.

4. Venio ad Deum, & rogo, an Deus mundum cognoverit factum, antequam fieret? si affirmes: Contra sic: ergo Deus cognovit factum, quod factum non erat? consequens autem est implicatorium, & falsum: quia cognitio, quâ judicatur factum, quod nondum est factum, falsa est. Si neges: Contra etiam est: Ergo Deus non habuit scientiam de mundo facto ante mundum factum? Ergo habuit scientiam de mundo facto post mundum factum? At mundus non fuit factus ab æterno, ut est de fide. Ergo Deus non habuit scientiam de mundo facto ab æterno. Rursus: mundus fuit factus in tempore: Ergo Deus habuit scientiam in tempore de mundo facto. Ergo Deus habuit scientiam in tempore de aliquo objecto, de quo non habuit scientiam ab æterno. Ex quo fit, Deum aliquid in tempore de novo scire, quod ab æterno ignoravit. Consequens autem absurdum, & impiissimum est.

Scientia igitur non debet esse necessariò de re in propriâ naturâ, sed secundùm esse objectivum & intentionale.

5. Certè vix te ab his, & aliis tricis expedies, nisi ad præfatum principium confugias dicendo, scientiam non debere esse necessariò de re secundùm suum physicum, & proprium esse, sed de re secundùm esse intentionale, & objectivum: sicut ut artifex habeat certam de fabricandâ domo notiam, non requiritur, quod priùs fiat in executione domus; sed sufficit, quod in suo conceptu, sive idæâ formatâ domum faciendam, aut factibilem contempletur. Ad hunc igitur modum dicendum est, mundum habere duplex esse; aliud proprium, & physicum, quod oculis cernimus; aliud verò intentionale: primum quidem in tempore habuit secundùm suam propriam naturam: secundum verò habuit ab æterno in mente divinâ, quæ est similitudo, & formalis omnium rerum expressio. Jam verò ad hoc ut Deus dicatur ab æterno scire mundum, opus non est, nec quod ab æterno mundus existat secundùm suum esse proprium, & naturale; nec quod existat tempus: fuit tamen maximè necessarium, quod ab æterno in mente divinâ esse intentionale, & objectivum haberet. Si enim Deus speculo mihi ante oculos obsistenti; hîc & nunc imprimeret speciem propriam Anti-Christi; certè veram & propriam notitiam de Anti Christi facie, & ejusdem propriâ figurâ modò haberem, quamvis nunc ille non existat secundùm suum esse proprium, & naturale: ad talem enim notitiam comparandam, sufficit, quod Anti-Christus existeret in illâ specie speculi secundùm esse intentionale, & per sui similitudinem: imò de facto contingere potest, quod quis habeat certam notitiam de staturâ, facie, aliisque proprietatibus Petri, antequam illum videat secundùm suum esse proprium, & naturale, quod ipsi competit; ut si antea ipsum in specie, aut imagine ab ipso Petro impressâ alicui speculo, conspiceret; tunc enim Petrum videret non in esse proprio; sed solùm mediante illâ specie, sive imagine speculi.

Deus intuens in se rerum omnium perfectissimâ similitudinem detet minatur ad ipsarû essentias, ad objecta contingentia, & ad absolutè futura cognoscendum.

6. Jam verò cùm certum sit ex communi Theologiâ, in Deo esse expressam & perfectissimam omnium rerum similitudinem, similiterque in Deo dari idæas, quæ sunt veluti formæ, & rationes ad omnia entia cognoscenda: Fit primò, quod Deus intuendo in se hanc similitudinem, determinetur ad cognoscendum simplici quâdam intelligentiâ ea objecta, quæ dicimus necessaria, sive rerum essentias. Fit secundò, quod determinetur etiam ad objecta contingentia, quæ nos sub aliquâ conditione explicare solemus, ut infra ostendam. Fit tertiò, determinari etiam Deum ad cognoscenda objecta quæ pro suâ temporis differentiâ juxta propositum divinæ rationis sunt absolutè futura. Sub hoc ergo principio, quod ab ipsius Philosophiæ cursu cum Magistro Angelico latè prosecutus sum (ut ex locis supra citatis constat) veniunt plura digna notatu, quæ

si maturo expendantur examine, ut vitetur abusus, rectum scientiæ mediæ usum illustrabunt.

Omnes creaturarum perfectiones cõtinentur in Deo sive ratione divinæ essentiæ, sive omnipotentiæ, tãquam in causâ.

7. Notare oportet secundò, ex communi etiam Theologiâ, omnes creaturarum perfectiones contineri in Deo, sive ratione Essentiæ divinæ, sive Omnipotentiæ tanquam in causâ effectivâ; seclusis tamen imperfectionibus, quas contrahunt creaturæ, dum in suo esse proprio & naturali existunt. Suppositio hæc apud omnes certa videtur, & facilè probatur. Quia Deus est infinita, & perfectissima rerum omnium causa. At in causâ infinitè perfectâ continentur omnes perfectiones effectuum absque ullâ imperfectione; aliàs non esset causa infinitè perfecta. Ergo omnes rerum perfectiones continentur in Deo sive ratione Essentiæ, sive ratione divinæ Omnipotentiæ, seclusis imperfectionibus. Hinc.

Non solũ illæ cõtinentur in divinâ essentiâ tanquam in causâ, sed in esse intelligili & intentionali.

8. Notandum est tertiò, in essentiâ divinâ contineri omnes perfectiones creaturarum, non solùm ut in causâ efficienti, sed etiam in esse intelligibili, sive secundùm esse intentionale. Hæc etiam suppositio verissima est, & probatur primò. Quia unum continere aliud in esse intelligibili, & intentionali, aliud non est, quàm esse medium alicujus potentiæ, vel actûs ad hoc, ut potentia, vel actus intelligat, vel cognoscat, quod in illo continetur, vel repræsentatur. Atqui essentia divina determinat divinam cognitionem, ut ipsâ mediante, omnes creaturarum perfectiones intelligat. Ergo tales perfectiones continentur in illâ in esse intelligibili, & intentionali. Probatur secundò. Quia speciem intentionalem speculo immissam à Petro, ipsum Petrum continere, non quidem in esse suo naturali, sed solùm in esse visibili, & intentionali, nihil est aliud, quàm ipsam speciem visivam determinare potentiam ad hoc ut eâ mediante, vel in ipsâ tanquam in medio ipsum Petrum videat; cùm talis species sit expressa & clara actualis Petri similitudo. At essentia divina est expressa, & substantialis omnium rerum, & perfectionum similitudo. Ergo ipsa sola divinam cognitionem determinat, ut tales perfectiones intelligat. Sed hoc est, eas contineri in Deo secundùm esse intelligibile, & intentionale, sive objectivum. Probatur tertiò. Etenim si per impossibile Angelus, homo, leo, &c. non continerentur in essentiâ divinâ secundùm esse intelligibile, & intentionale, modo explicato, Deus nullam haberet, nec posset cognitionem habere de Angelo, homine, & reliquis creaturis. Ergo. Antecedens ostendo primò. Quia imperceptibile est, quod, Petro nec in suo esse proprio, & naturali existente, nec in aliquâ sui specie, aut imagine, detur nihilominùs visio aliqua de illo: quod adeò verum est, ut non solùm visus quidquam videre, sed nec intellectus possit quidquam intelligere, nisi priùs verbum aliquod, sive conceptum rei expressivum efformet, in quo talis res existat secundùm esse intelligibile, sive repræsentativum, sive intentionale; vel nisi Deus aliquam speciem desuper infundat. Sed Angelus, homo, &c. saltem ab æterno non habuerunt esse proprium suæ naturæ, ut est fide certum; nec ex factâ hypothesi haberent esse intelligibile, & intentionale. Ergo ut Deus creaturarum perfectiones cognoscat necesse est, in Deo, sive in essentiâ divinâ præcontineri omnes illarum perfectiones secundùm esse intelligibile, & intentionale.

9. Probatur quartò. Implicat etiam in Deo cognitio, & scientia, implicante objecto motivo, & specificativo. Sed ex eâdem hypothesi imperfectâ, tale motivum, seu determinativum objectum non esset. Ergo. Major est certa. Minor probatur primò. Quia in Deo non esset motivum; nam, ut supponimus, non contineretur in Deo secundum esse intelligibile: quemadmodum species Petri in speculo est objectũ motivum determinans ad videndum Petrum, non verò Paulum: quia solùm Petrus continetur intentionaliter in tali specie secundùm esse visibile. Ergo si in Deo non cõtinerentur secundùm esse intelligibile & intentionale, Angelus, homo, & reliquæ creaturæ, in Deo non esset objectum motivum determinans ad cognitionem illorum. Probatur secundò illa Minor. Quia tale objectum extra Deum non esset, tum quia implicat, quod aliquid extra Deum scientiam ejus primò, & per se determinet; hoc autem manifestè arguit imperfectionem in Deo. Tum etiam quia quod propriè, & simpliciter non est, non potest propriè, & simpliciter determinare ad sui cognitionem. Atqui Angelus, homo, &c. ab æterno nec habuerunt esse proprium, & naturale, quale nunc habent: nec extra Deum habuerunt esse in aliquâ specie, aut eorum similitudine, quale concipimus, & affirmamus habere Petrum in specie speculi; ut experientiâ ostendit. Ergo de primo ad ultimum, si Angelus, & reliquæ creaturæ non continerentur in Deo secundùm esse intentionale, Deus nullam de illis scientiam aut cognitionem haberet. Hinc venit aut rejicienda omninò, aut saltem modicùm temperanda quorumdam Recentiorum cogitatio, qui splendore, & sui ingenii acumine ducti, meditantur extra Deum creaturas possibiles actu distinctas à Deo, in quas ipse tendat: quemadmodum (tamen imperfectione seclusâ) nos tendimus ad videnda alia extra nos objecta in aëre, vel simili modo, quam opinationem tum in Cursu Philosophico, tum in Tract. Metaphysico multis rejecimus. Præterea.

Scientia divina dividitur in practicam & speculativam.

10. Notandum quartò, quod licet divina scientia simplicissima sit, & illimitata, ita ut nullam ex parte Dei divisionẽ patiatur,

ast ex parte creaturarum, & varietate objectorum, quæ perfectissimè attingit, multiplex à Theologis consideratur: propterea ex communi omnium Theologorum sententiâ prima, & satis communis scientiæ Dei divisio est in scientiam speculativam, & practicam. Scientia speculativa in Deo dicitur illa, quâ Deus cognoscit res, quæ nec sunt secundùm esse propriæ naturæ, nec fuerunt, nec item futuræ sunt. Sed talis scientia versatur propriè circa res purè possibiles, quas Deus potest producere, sed nec facit, nec facturus est. Ita sentit Doctor Angelicus 1. part. quæst. 14. artic. 16. & in pluribus aliis locis. Practica verò scientia dicitur illa, quæ non solùm cognoscit objectum in essentiâ divina; sed etiam illud efficit extra sivè effectivè, sive directivè, juxta varias Doctorum explicationes. Dividitur secundò Scientia in necessariam, & liberam, in quo etiam omnes ferè Theologi cõveniunt; quamvis modus, quo explicatur divinæ scientiæ libertas, non sit ita facilis, ac pluribus apparet; nec quare scientia Dei subeat denominationẽ liberæ; cùm talis denominatio sit propria actus voluntatis, de quo alibi. Scientia necessaria dicitur illa, quæ cognoscit objecta antecedenter ad decretum, & liberam determinationem voluntatis. Undè prædicta scientia non attingit existentiam rerum in propriâ suâ naturâ; sed solùm earum essentias, & quidditates cognoscit. Scientia verò libera illa dicitur, quæ versatur circa res existentes, vel pro suis differentiis temporum extituras.

Deinde in necessariâ & liberâ.

Præterea in scientiâ simplicis intelligentiæ & visionis.

11. Tertiò dividitur scientia in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: quæ divisio celebris, & communis est apud omnes Theologos de quâ Sanctus Thomas 1. part. quæst. 14. artic. 9. & part. 3. quæst. 10. artic. 2. ad 2. & 1. contra Gentes, cap. 66. & 69. & 1. Sentent. distinct. 38. artic. 4. Scientia ergo simplicis intelligentiæ ex mente Divi Thomæ, & propriè loquendo, est illa, quæ versatur circa res, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futuræ sunt. Constat hæc explicatio ex Angelico Præceptore in 1. Sentent. artic. 4. ubi supra. Ibi: *Esse autem rei potest tripliciter considerari, vel prout est in propriâ naturâ ex suis principiis educta, vel prout est in potentiâ alicujus causæ, vel prout est in apprehensione cognoscentis: Omnia ergo illa, quæ habent esse in suâ naturâ secundùm quodcumq; tempus, Deus scivit non tantùm in cognitione suâ, vel potentiâ alicujus causæ: sed etiam in esse naturæ, videndo ea esse: res autem illas, quarum esse in nullo tempore est in propriâ naturâ, cognoscit esse in potentiâ causæ, vel creaturæ deficientis, sicut mala; vel in potentiâ operativâ suâ, sicut bona: scit tamen ea esse in cognitione suâ, in quantum scit, se cognoscere ea, & posse ea facere, quantum ad bona: vel posse contingere ex defectu creaturæ, quantum ad mala. Et hic modus cognitionis nominatur scientia simplicis intelligentiæ: in quantum scilicet per modum istum cognoscitur ipsa simplex natura rei, quæ potest esse: tamen non cognoscitur ipsum esse simplex, cujus propriè est visio; sed secundùm quid tantùm.* Hæc Sanctus Doctor, ex quibus ferè tota hujus præludii doctrina comprobatur.

12. Unde scientia visionis erit illa, quæ versatur circa res, quæ sunt, fuerunt, vel erunt. Dicitur hæc scientia visionis translatitiè à potentiâ visivâ: sicut enim oculus intuetur objecta sibi præsentia: sic Deus dicitur videre res pro suâ differentiâ temporis sibi præsentes. Quod quidem satis expressit, Angelicus Doctor quæst. 2. de Veritate artic. 9. ad 2. dicens. *Dicitur scientia visionis in Deo ad similitudinem visûs corporalis, qui res extra se positas intuetur.* Denique hæc scientia visionis dividitur in scientiam approbationis, & improbationis. Scientia approbationis est, quæ circa bona versatur quæ approbantur divinæ voluntatis decreto. Scientia verò improbationis, aut reprobationis est ipsamet scientia visionis. prout versatur circa mala, & peccata, quæ non approbat divina voluntas; sed tantùm permittit. Unde scientia approbationis fundatur in illo Psal. 1. testimonio: *Novit Deus viam justorum:* Scientia autem reprobationis in illo Lucæ 13. *Discedite à me operarii iniquitatis, nescio vos:* Cùm aliundè certum sit: Deum malos, & mala cognoscere. An autem Dei scientia admittat divisionem scientiæ mediæ, ut nostri Doctores quasi peculiari Scholâ defendunt. fusiori calamo infra constabit.

Quid sit scientia visionis.

PRÆLUDIUM II.

Illustratur modus, quo Deus omnia contingentia certò, & absque ullâ contingentiâ cognoscat.

13. PRæmittitur doctrina hujus Præludii, ut ex eâ omnis scientiæ Dei abusus faciliùs excludatur. Pro cujus clariori notitiâ suppono primò, quod licet scientia Dei præcedentes divisiones admittat, ut modò dicatur necessaria, modò libera, jam scientia simplicis intelligentiæ, jam scientia visionis: perfectio tamen divinæ scientiæ ex conceptu suo sic est indivisibilis, ut nullam divisionem etiam per nostros conceptus patiatur, saltem cum fundamento in re: non enim dicimus, in Deo aliam esse perfectionem scientiæ simplicis intelligentiæ, aliam scientiæ visionis, & aliam scientiæ conditionatæ, sive mediæ. Ratio est. Quia divisio scientiæ habet in

Nihilominùs scientia Dei est ita simplicissima, ut cum fundamento in re nullâ adhuc per nostros conceptus divisionem patiatur.

Deo fundamentum ex ipsâ objectorum diversitate juxta diversum esse, quod creaturæ possunt habere vel in re intelligibili, vel in esse proprio, & naturali extra suas causas. Unde Theologi communiter dividunt scientiam penes diversitatem objectorum, circa quæ ipsa versatur. Jam verò cum scientiæ divinæ perfectio nullo modo accipiatur ab objectis creaturarum, sive rerum, circa quas versatur, sed solùm ab ipso Deo, sive à primario, & unico motivo divinæ essentiæ, in quâ tanquam in medio infinito continentur omnes creaturæ secundùm esse intelligibile & intentionale; cùm essentia divina sit una, simplicissima & indivisibilis, consequenter perfectio divinæ scientiæ semper erit una, & indivisibilis necessariò existens in Deo. Hinc est, quod si Deus noluisset (ut potuit) unquam creare mundum, nec quamlibet aliam creaturam, Deus in tali casu non haberet scientiam visionis, quam modò ipsi tribuimus circa creaturas existentes, vel futuras: & nihilominùs tota perfectio scientiæ visionis, quæ modò datur in Deo, esset in ipso independenter ab omni creaturarum existentiâ & futuritione. Ergo ideo est, quia divinæ scientiæ perfectio nec variatur, nec sortitur divisionem, nisi penes objectorum diversitatem. Unde.

14. Suppono secundò, ut distinguamus res secundùm esse intelligibile & intentionale, quod habent in divinâ essentiâ vel etiam in divino verbo; ab ipsis rebus secundùm esse proprium & physicum, quod habent hìc & nunc, dum in propriâ naturâ existunt, aut extituræ sunt extra suas causas; opus esse discursum nostrum elevare, ut duplicem mundum, vel eundem dupliciter consideremus; alium, qui cum Boëtio, & Divo Thomâ potest dici idæalis, & archetypus, in divinâque mente secundùm esse intentionale, & objectivum existens; & quidem secundàm totam rerum & temporum seriem, & circumstantias: alterum secundùm esse proprium, & physicum, qualis est quem oculis cernimus, & in quo vivimus. Mundum idæalem, & secundùm esse intentionale, quod habet in divinâ essentiâ, pulchrè & sapientissimè insignis ille Theologus Boëtius 3. de Consolat. metro 9. hoc carmine decantavit.

ex Boëtio 3. de consol. met. 9 depingitur idçalis

Cuncta superna
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similiq́, in imagine formans.

Ac si præclarus Theologus diceret: ex ipsâ infinitâ pulchritudine Dei oritur, quod Deus necessariò ab æterno gereret in mente, sive essentiâ suâ hujus mundi pulchritudinem; ita ut mundum in suâ mente cerneret efformatum, veluti in specie, & imagine omnium rerum, quæ extra causas esse poterant, & non esse.

15. Unde mundus archetypus, & secundùm esse intentionale, & intelligibile existens necessariò in Deo, nihil aliud est, quàm clarissima imago, & expressa hujus mundi substantialis similitudo, quæ est essentia divina, & propterea sæpè sæpiùs ab Angelico Magistro dicitur quod in esse intelligibili essentia divina est species infinita intelligibilium omnium expressiva. Demus exemplum, Dum Petrus se in speculo videt, vel ipsum in speculo, aut per speculum videmus, duplex esse Petri consideramus; aliud proprium, & naturale: aliud verò improprium, & intentionale: hoc habet Petrus in illâ specie impressâ speculo, quæ ut ipsa experientia ostendit, nihil aliud est, quàm expressa similitudo, aut imago Petri; ita ut quamvis nõ videamus Petrum in se ipso, & in suâ propriâ naturâ: est tamen sufficiens medium ad comparandam de Petro notitiam. Quod adeò verum est, ut quamvis Joannes non videret Petrum in se ipso aut transeuntem, aut intrantem in domum aliquam: si tamen videret ipsum per speciem ipsius Petri in speculo, posset juramento affirmare, Petrum pertransiisse, aut intrasse talem domum. Illud autem esse proprium & naturale habet Petrus naturaliter extra speculum.

Mundus ergo archetypus & 2. esse intentionale in Deo necessariò existens est illius clarissima & substantialis similitudo,

16. Quia tamen juxta Apostolum invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, ab ipsâ creaturarum cognitione necesse est, nos quasi manu duci, ut quasi per speculum, & in ænigmate intelligendo divina, de illis saltem dignè loquamur. Dicimus ergo primò exemplum speculi, quo in pluribus hujus Operis controversiis cum Angelico Magistro usi sumus, aptissimè ostendere modum, quo Deus res universas cognoscit, & quo res ipsæ habent esse in divinâ mente; nam teste Sacra Pagina, ut Spiritus Sanctus homines instrueret, & naturam divinam Verbi manifestaret, simili exemplo utens, ait, esse speculum sine maculâ, & divinæ bonitatis imaginem. Ecce nostri speculi metaphoram ipso divino Oraculo translatum ad Deum: ut facilius intelligamus, Verbum divinum, quia imago Patris est, & expressa similitudo omnium rerum, quæ secundùm esse intelligibile, & intentionale continetur in essentiâ divinâ; præcontinere etiam omnia objecta, ac proindè mundum cum totâ suâ rerum & eventuum serie habere esse intentionale in divino Verbo tamquàm in expressâ & infinitâ cognoscibilium omnium similitudine; non minùs, imò longè perfectiori modo, ac Petrus habet esse objectivum & intentionale in specie speculi; cùm similitudo hæc sit accidentalis, finita, & citò transiens; illa verò substantialis sit, infinita, & in æternum permanens. Id dixerim, ut aliquibus Recentioribus nostræ Xaverianæ Academiæ constet, minimè despiciendum illud speculi exemplum, ut difficultates

Aptissimè est nobis frequens speculi exemplum ad ostendendum modum quo Deus res universas cognoscit, & ipsæ habent esse in divinâ mente

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

cultates sive Philosophiæ, sive Theologiæ, quæ sub hoc principio frequenti concertationum incursu ventilantur, etiam faciliter expediantur: quando enim veritas in se ipso non apparet, prudenter quæritur medium, in quo eam attingamus: nec ullum aptius pro hâc, & aliis difficultatibus, quàm illud à materialis speculi metaphorâ ductum.

Mundus idæalis nihil est aliud est, quâ ideæ divinæ quas Deus habet de singulis rebus, operationibus, casibus, &c, & quas PP, vocât creaturarum rationes.

17. Dicimus secundò hunc mundum idæalem, sive secundùm esse intentionale, in divinâ essentiâ, ac in divino Verbo contentum, aliud non esse, quàm divinas illas idæas, quas Deus necessariò habet in se de singulis rebus, operationibus, casibus, & hujus mundi circumstantiis, quæ quidem à Sanctis Patribus creaturarum rationes vocantur; quia ut sunt practicæ, constituunt in Deo artem producendi creaturas. Ut ergo doctrina hæc magis, & solidiori fundamento inclarescat, authoritate Sanctorum Patrum eam, æquum est, præmuniri. Ducat agmen Ecclesiæ illud Augustini lumen, lib. 83. quæst. ubi inquit: *Omnia ratione sunt condita, nec eâdem ratione homo, quà equus: hoc enim absurdum est existimare: singula igitur propriis creata sunt rationibus.* Damascenus lib. 1. de fide, cap. 13. his verbis: *Deus omnium Author est: ergo omnium, quæ sunt, rationes in se, & causas, hoc est, idæas præhabet.* Iterùm Magnus Augustinus lib. 12. de Civit. Dei: ibi: *In una Dei sapientiâ esse immensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam visibilium & mutabilium, quæ per istam facta sunt: quia Deus non aliquid nesciens fecit; quod nec de quolibet rectè dici potest: porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.*

Hæ rerum rationes cõsistunt in divinâ essentiâ ut à creaturis infinitè & diversimodè imitabili.

18. Dicimus tertiò, has rerum omnium rationes sive idæas, quæ communi Theologorum consensu tribuuntur Deo, ex mente Divi Thomæ consistere in ipsâ divinâ essentiâ, ut infinitis & diversis modis est imitabilis à creaturis: nam 1. part. 15. artic. 1 ad 2. ait: *Essentia divina habet rationem idææ, secundùm quod ad alia comparatur.* Et artic. 2. ad 1. ibi: *Idæa non nominat divinam essentiam in quantum essentia, sed in quantum est similitudo, vel ratio hujus, vel illius rei.* Videatur Sanctus Thomas in quæstionibus de Verit. & 1. Sentent. & 1. contra Gentes, cap. 5. ubi docet modum, quo intellectus potest conceptam formam intelligere. Unde expresè ait: *Deus intelligendo essentiam suam ut imitabilem per modum vitæ præcisè; accipit propriam idæam, & rationem plantæ.* Cùm ergo præter plantam in hoc mundo visibili innumerabiles sint rerum causæ, actûs, potentiæ sive liberæ, sive necessariæ, earum actus, & operationes, variæque rerum vices, & circumstantiæ: consequenter dicendum est, Deum intelligere suam essentiam ut ab omnibus creaturis, & rebus imitabilem, juxta modum naturæ cujuscumque rei competentem. Unde essentia divina quatenùs cognitioni divinæ objicitur, ut imitabilis à plantâ, dicitur ratio, & idea plantæ: & quatenùs imitabilis ab Angelo, idæa Angeli: quatenùs verò imitabilis, ab homine idæa hominis; & sic in infinitum quatenùs in infinitum imitabilis est.

Illæ creaturarum rationes in Deo vel sunt actu practicæ, vel practicæ, quasi in potentiâ, & habitu.

19. Dicimus quartò hujusmodi rationes sive idæas dupliciter posse in Deo considerari: primò quatenùs sunt actu practicæ; secundò, prout sunt quasi in potentiâ, & in habitu. Actu practicæ dicuntur, quando ex decreto Dei comparantur ad creaturas, quæ vel sunt, fuerunt vel erunt. Si verò comparentur ad ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec in aliquâ temporis differentiâ futuræ sunt, dicuntur practicæ non actu; sed habitu, & quasi in potentiâ. Unde quamvis independenter à Decreto, & divinæ voluntatis proposito Deus non cognoscat practicè actu creaturas, nec idæas creaturarum practicas actu habeat; certissimum est Deum independenter ab omni decreto formaliter cognoscere creaturas, quæ ex naturâ suâ possunt esse, & non esse: ac proindè earum habere idæas, non quidem actu practico, sed solùm virtualiter, & quasi potentiâ, ratio hujus est. Quia per decretum divinæ voluntatis decernentis creaturas producere, comparatur divina essentia ad ipsas creaturas ut actu imitabiles: at verò independenter à decreto Deus necessariò cognoscens rerum omnium naturas in suâ essentiâ tanquam in similitudine, & medio earum expressivo, consequenter cognoscit, tales naturas posse imitari ipsam divinam essentiam, & istam esse imitabilem potentia ab ipsis creaturis.

Afferet explicationem illustrat Angelicus q. 3. de verb. art. 6.

20. Quam explicationem valdè illustrat Angelicus Doctor quæst. 3. de veritat. artic. 6. ubi inquit: *Idæa recipit practicam cognitionem non solum habitu, sed actu; Unde cùm Deus de his, quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, habeat cognitionem virtualiter practicam; relinquitur, quod idæa posit esse ejus: quod nec est, nec fuit, nec erit: non tamen eo modo, sicuti est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea, quæ sunt, vel eruut, vel fuerunt, producendo, determinatur ex proposito divinæ voluntatis; non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; & sic hujusmodi habet quodam modo indeterminatas idæas.* Ita Sanctus Thomas. Undè sicut artifex creatus non solùm format idæam de re; aut domo, quam actu exercet, aut opere exercere, aut fabricare contendit; sed etiam de illâ quam potest facere, licet eam nolit efficere: sic Deus necessariò habet idæam non solùm rerum existentium, aut quæ extituræ sunt; sed etiam rerum purè & merè possibilium; licet hujusmodi idææ. cum ex divino decreto non sint applicatæ ad agendum, non possint

dici actu; sed solùm virtualiter, & in potentiâ, vel quasi in potentiâ practicè. Unde independenter ab omni decreto sunt in Deo ideæ formaliter; non tamen actu formaliter practicæ.

Mundus potest cõsiderari vel ut objectum scientiæ Dei independenter ab omni decreto vel post illud ut in propria natura existens.

21. Dicimus quintò, Mundum hunc juxta duplicem modum, quo in essentiâ divinâ considerantur ideæ, posse etiam in mente essentiâque divinâ considerari: primò, ut est objectum divinæ essentiæ independenter ab omni decreto: Secundò, ut est objectum ejus post decretum, in quantum est existens in propriâ suâ naturâ physicâ, vel futurum est pro sua temporis differentia. Si Mundus hoc secundo modo consideretur, est objectum contingens; si primo modo accipiatur, mundus est objectum necessarium. Ratio primi est. Quia contingens dicitur, quod potuit esse, & non esse. Sed mundus secundùm esse physicum, & naturale, & proprium suæ naturæ, potuit esse & non esse, ut est certissimum. Ergo mundus, qui est, aut posito Dei decreto, futurus erat, est objectum omninò contingens. Est ratio secundi certissima. Quia mundus ante omne decretum, & independenter ab omni decreto consideratus, est objectum scientiæ necessariæ, & quod solùm habet esse intentionale, & intelligibile in Deo. Sed objectum scientiæ necessariæ, nõ potest esse, & non esse intentionaliter in Deo; sed necessariò immutabiliter, & æternaliter habet esse intentionaliter in Deo, & in ejus divinâ essentiâ. Ergo mundus consideratus tanquam objectum divinæ scientiæ ante omne decretum, & independenter ab omni decreto, est objectum omninò necessarium.

Non de divinâ loquor essentiâ, sed de ipso mundo simplici quâdam intelligentiâ à Deo cognito in illâ.

22. Nec putet aliquis, cùm dixerim, mundum, ut est objectum scientiæ necessariæ, esse immutabile, & æternum: me loqui de essentiâ divinâ, in quantum essentia divina est species, & expressa similitudo mundi, & eorum omnium, quæ pro hâc rerum serie eveniunt in mundo; nec de essentia, ut est imitabilis à creaturis; sed solùm de mundo, qui independenter ab omni decreto simplici quâdam intelligentiâ cognoscitur à Deo in essentiâ divinâ tanquam in medio necessario inducendi ejus cognitionem. Unde aliud est quod essentia divina sit substantialis repræsentatio mundi: & aliud mundus, qui mediante tali repræsentatione tanquam in medio cognoscitur: quemadmodùm in speculo aliud est species, sive imago expressiva Petri; & aliud Petrus, qui in tali imagine, sive specie videtur: si enim consideretur mundus secundùm esse, quod habet in Deo in esse intentionali, & intelligibili; sic non est objectum simplicis intelligentiæ; sed est ipsa essentia divina mundi expressiva: si autem consideretur secundùm esse naturale, & physicum, quod ex nihilo & extra causas habet; sic etiam cum sit objectum contingens, non potest esse objectum simplicis intelligentiæ; cùm hoc debeat esse immutabile, & necessarium. Restat ergo, quod mundus secundùm se, & speculativè sumptus, sit objectum scientiæ necessariæ, & simplicis intelligentiæ.

Deus se independenter ab omni decreto, cognoscendo mundum, cognovisse omnia, quæ in mundo geruntur & fiunt, tam necessaria, quàm libera & contingentia; non quidem contingenter; sed necessariò. Ratio est. Quia Deus ab æterno, & independenter ab omni decreto cognoscit scientiâ necessariâ ea omnia, quorum est expressa similitudo. Sed essentia divina est expressa similitudo rerum & causarum, quæ secundùm esse naturale, & physicum sunt necessariæ; & etiam earum quæ secundùm tale esse sunt liberæ & cõtingentes: nec solùm effectuum, & actuum necessariorũ, sed etiam effectuum & actuum liberorum, & contingentium. Ergo omnia quæ in hoc mundo geruntur, & fiunt, sive necessaria, sive libera, & contingentia, Deus prænovit scientiâ necessariâ. Major est certa. Quia implicat, quod intellectus attingat objectum motivum, & expressivum alicujus rei, quin rem illam cognoscat, quæ in tali objecto motivo, & expressivo repræsentatur. Deus autem attingit suam essentiam, quæ est objectum motivum, & infinitè expressivum omnium intelligibilium. Ergo. Minor verò primi syllogismi probatur. Quia essentia divina est similitudo substantialis Solis, Ignis, illuminationis, calefactionis, & sic de aliis causis, & effectibus; qui secundùm esse physicum & naturale pro necessariis habentur: similiter est expressa similitudo voluntatis Angelicæ & humanæ, liberi arbitrii, consensûs, dissensûs, volitionis, nolitionis, pluviarum, tempestatum, & aliorum effectuum, quos liberos, & contingentes, earumque causas liberas, & contingentes appellamus: quæ omnia representantur in divinâ essentiâ modo longè meliori, & perfectiori, ac si Deus mirabili suæ sapientiæ arte utens formaret in quodam speculo speciem integram, & totalem hujus mundi, in quâ clarè repræsentarentur rerum & temporum vices, causæ necessariæ, & liberæ, effectus, & actus talium causarum, circumstantias, occasiones, congruentias, & casuum hypotheses, quibus hi, vel illi effectus, isti aut illi actus producuntur, aut non producuntur.

Deus se mundum cognoscens, cognovit & omnia quæ in illo fiunt & necessariò quidem & contingenter, sed necessariò.

Id potest in Deo, scientiam & futurorum species infirmi denre Prophetis.

24. Nec mirum & operosum hoc videri debet; cùm Deus, aut scientiam infusam, aut species Viris Sanctis & Prophetis infundat, in quibus futurorum eventus repræsentantur, ut eos, antequam fiant, enuntient: imò ut ex Evangelio constat, ipse Diabolus veluti in quadam mappæ, aut prototypi imagine Christo Domino omnia mundi regna, &

& eorum ostenderit gloriam. Ex quibus patet, hunc mundum independenter ab omni decreto, & divinæ voluntatis proposito, fuisse Deo ab æterno præsentem in infinito illo speculo suæ essentiæ divinæ, in quo necessariò prænovit omnes causas tam necessarias, quàm liberas. ac proindè earum effectus, & actus sive liberos, sive necessarios; eâ necessitate, & certitudine, quâ suammet essentiam, in quâ omnia repræsentantur, infallibiliter, & immutabiliter cognoscit. Quem modum discurrendi in hoc perdifficili Theologiæ examine, ita certum & ex mente Magni Augustini, & Doctoris Angelici existimo, ut si rectè ejus termini apprehendantur, ei non dubitem suffragari Doctores utriusque Scholæ; Thomisticæ scilicet, & Jesuiticæ: quia tamen ab ejus intelligentiâ, & veritate verus difficiliorum quæstionum pendet intellectus, proderit, iterùm utramque mundi acceptionem; scilicet secundùm esse intentionale in Deo, & secundùm esse physicum, & naturale in hoc rerum ordine, authoritate, & ratione magis illustrare in sequenti Præludio.

PRÆLUDIUM III.

Nova præcedentis doctrinæ illustratio ex præclarâ Magni Augustini authoritate.

Doctrina præjacta fulcitur 1. ex August. tr. 1. super Joan. 1.

25. QUantum Orbis Litterarius Magno Augustino debeat, meritò Catholicorum nullus diffitetur; cum ad expediendas divinæ gratiæ, scientiæ, & prædestinationis implexas controversias, vix liceat vel latum unguem ab ejus vel acumine, vel lumine, absque errandi periculo declinare tantisper. Sanctus igitur Doctor, ut huic, & aliis difficultatibus aditum aperiret, hujus mundi fabricam quoad utrumque, intentionale videlicet, & physicum esse, sequenti exemplo delineavit, dum ad illa Joannis 1. verba, tractatu 1. sic discurrit: *Quod factum est, in ipso vita erat? Quid est hoc* vita erat. *Facta est terra; sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: est autem in ipsâ sapientiâ spiritualiter ratio quædam, quâ terra facta est: hæc vita est.* Et paulò infra: *Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam, si enim in arte arcam non haberet, non esset, unde fabricando eam proferret.,...,... Attende ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt: sed quidquid factū est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra; cœlum vides; est in arte cœlum: Solem & lunam vides; sunt & ista in arte; sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.* Sic S. Augustinus.

Subscribit S. Thom. lect. 2. in 1. c. Joan.

26. Menti Augustini subscribit Doctor Angelicus lect. 2. in 1. cap. Joannis, ibi: In ipso vita erat. *Res enim dupliciter considerari possunt; secundùm quod sunt in se ipsis, & secundùm quod sunt in verbo: Si considerentur, secundùm quod sunt in seipsis, sic non omnes res sunt vita, nec etiam viventes; sed aliquæ carent vitâ, & aliquæ vivunt: sicut facta est terra, facta sunt etiam & metalla, quæ nec vita sunt, nec vivunt: facta sunt animalia, facti sunt homines, quæ secundùm quod sunt in seipsis, non sunt vita: sed vivunt solùm: si ergo considerentur secundùm quod sunt in verbo, non solùm sunt viventes, sed etiam vita: nam rationes in sapientia Dei spiritualiter existentes, quibus res factæ sunt ab ipso Verbo, sunt vita; sicut arca facta per artificem, in se quidem nec vivit, nec vita est: ratio verò arcæ quæ præcessit in mente artificis, vivit quodammodo in quantum habet esse intelligibile in mente artificis.....Et ideò quidquid est in Deo, non solùm vivit, sed est ipsa vita: quia quidquid est in Deo, est sua essentia: unde creatura in Deo est creatrix essentia: Si ergo considerentur res secundùm quod in Verbo sunt, vita sunt.* Ita S. Thomas.

Unde sequitur roborari duplicem illâ mundi cõsiderationem in esse physico, & intentionali

27. Ex his, quæ altiori sensu, providâque speculatione duo Scholasticæ Theologiæ Principes posteris commendarunt, facilè cuicumque constabit, doctrinam à nobis in præcedentibus exaratam; non de proprio cerebro meditatam; sed de ipsorum mente absque ullo offendiculo procedere; ut ex sequentibus innotescet. Sequitur ergo primò ex doctrinâ Sanctorum Augustini, & Thomæ, mundum, & omnia, quæ in eo sunt, posse considerari: primò secundùm esse naturale, & proprium, quod in seipsis habent in hoc rerum statu: Secundò, secundùm esse intentionale, & intelligibile, quod habent in Deo: sicut arca habet esse in mente artificis, & rursùs habet esse in opere externo, ut jam manet explicitum. Sequitur secundò, ex vi necessariæ consequentiæ, omnes causas sive liberas, & contingentes in operando, sive naturales, & necessarias habere esse non solùm continentiæ; sed etiam intentionale, & intelligibile in ipso Deo; & similiter ejus effectus, & actus sive liberos, sive necessarios, præter illud esse contingens, quod modò habent in seipsis secundùm propriam naturam in esse physico & naturali.

Omnia entia quæcumque creata secundùm esse quod habent in Deo, sunt ipse Deus.

28. Sequitur tertiò. Omnia entia creata sive contingentia, sive necessaria secundùm esse, quod habent in Deo, esse ipsum Deum, ut constat ex Angelico Doctore supra dicente: *Unde creatura in Deo est creatrix essentia.* Ex quo fit, quod entia, sive causæ contingentes, & liberæ ex quidditate suæ essentiæ,

tiæ, similiterque actus liberi Angelorum, & hominum, si considerentur secundùm esse quod habent in Deo, esse necessaria, & immutabilia. Undè licet pœnitentia Divi Petri, & conversio Sancti Pauli secundùm esse physicum, & naturale, quod eis competit in hoc rerum statu, fuerint contingentes: ast secundùm esse intentionale, & intelligibile, quod habent in essentiâ divinâ, aut Verbo divino, omnem contingentiam excludunt, eandemque divinæ essentiæ necessitatem induunt. Ratio hujus est. Quia pœnitentia Petri, & conversio Pauli secundùm esse, quod habent in essentiâ divinâ, nihil aliud sunt, quàm ideæ, sive rationes substantialiter expressivæ pœnitentiæ Petri, & conversionis Pauli. Sed hujusmodi rationes sunt ipse Deus, sive essentia divina, ut imitabilis ad extra. Ergo secundùm tale esse excludunt omnem contingentiam, & eandem induunt divinæ essentiæ necessitatem. Major patet ex Sancto Augustino ubi suprà dicente: *Terram vides, est in arte terra: Cœlum vides; est in arte cœlum: Solem & Lunam vides; sunt & ista in arte; sed foris* (hoc est extra Deum, & in hoc rerum ordine) *corpora sunt; in arte vita sunt.* Quia tamen hæc adducuntur in exemplum, reliqua omnia quæ continentur in eadem ratione, comprehenduntur, ejusdem Sancti Doctoris paritate sequens discursus non minùs certò, & efficaciter procedit. Liberum arbitrium, sive Angelicum, sive humanum vides: liberum arbitrium, sive Angelicum, sive humanum est in arte divinâ: consensum Divi Petri, & dissensum, sive impœnitentiam Judæ vides; consensus Divi Petri, & dissensus, sive Proditoris impœnitentia sunt in arte divinâ: Cognoscit sacra Pagina pœnitentiam Tyri & Sydonis in illis circunstantiis quas refert Textus Sacer: Tyri & Sydonis pœnitentia est in arte divinâ. Denique quoscumque actus liberos, quoscumque effectus contingentes, in quibuscumque occasionibus, & circumstantiis cognoscas: imò quæcumque intra rerum possibilium mediteris sphæram, sunt in divinâ sapientiâ & arte: sed foris, hoc est, dum existunt in sua propria natura extra causas habent esse contingens, & unumquodque juxta conditionem, & modum suæ naturæ.

Deinde ex S. Thom. nuper citato.

29. Firmatur ulteriùs major illa præcedentis discursus ex verbis Divi Thomæ, ubi nuper, ibi: *Facta sunt animalia; facti sunt homines: quæ secundùm quod sunt in se ipsis, non sunt vita, sed vivunt solùm: Si verò considerentur, secundùm quod sunt in verbo, non solùm sunt viventes; sed etiam vita: nam rationes in sapientiâ Dei spiritualiter existentes, quibus res factæ sunt ab ipso Verbo sunt vita.* Ex quibus etiam fit, Deum habere rationes, sive ideas non solùm omnium entium præteritorum, præsentium, & futurorum hujus mundi; sed etiam omnium, quæ non sunt, nec erunt; sed etiam purè & merè possibilia dicuntur. Ratio est. Quia Deus est infinitus & supremus artifex omnium factibilium. Sed de ratione artificis est formare rationem, sive ideam eorum, quæ sub arte cadunt, & quæ ab ipso opere externo conficiuntur, vel confici possunt; & quò perfectior est artifex, eò perfectiores rationes, & ideas efformat. Ergo cùm Deus ex infinitâ perfectione divinæ essentiæ necessariò sit artifex summè, & infinitè perfectissimus, non potest non habere infinitas rationes & ideas omnium agibilium, in quibus infinita entia contempletur, primò speculativè, & solùm practicè in potentiâ; Secundò practicè in actu ea omnia, quæ juxta propositum divinæ voluntatis foris, & extra pro suis temporum differentiis in sua propria natura fieri decrevit, juxta ea, quæ in Præludio antelapso notavimus; ubi me vide.

Insuper Deus in illis Ideis quasi in medio cognoscit omnia factibilia.

30. Sequitur ergo quartò. In Deo ulteriùs observari oporteer ante omne suæ voluntatis decretum, & independenter ab illo, non solùm ideas, & rationes omnium factibilium; sed insuper in illis quasi in medio, & motivo cognoscere necessariò omnia factibilia, quorum tales rationes sunt ideæ expressiones & similitudines: Cujus cognitio non est cognitio, sive scientia visionis necessariæ, nec visionis contingentium; sed solùm cognitio & scientia necessaria simplicis intelligentiæ; ita ut per hanc cognitionem, & scientiam solùm cognoscat naturas, & rerum omnium quidditates secundùm se, & quasi præcisas ab omni esse intentionali, & intelligibili in Deo; sive physicò, & naturali, quod habent, aut habere possunt per decretum in hac serie, & rerum ordine. Ratio primi est. Quia Deus necessario cognoscens suam essentiam ut infinitè imitabilem à creaturis, consequenter in eâ cognoscit rationes, & ideas expressivas omnium entium quibus Deus potest dare esse proprium, & physicum juxta conditionem uniuscujusque naturæ. Sed eò præcisè, quod Deus cognoscat hujusmodi rationes, & ideas, non potest non cognoscere simplici quâdam intelligentia infinita illa entia, quorum sunt expressæ similitudines: cognito enim objecto motivo, & expressivo alicujus rei, necessariò debet cognosci in illo veluti in medio res per ipsum repræsentata. Ergo. Major ex dictis certissima est, & simul ab inductione, & exemplis explicatur. Primò quia, ut constat ex pluribus nostri Operis controversiis, præsertim de Unitate universalis, de modo intelligendi, & sæpè alibi, verissimũ & proculdubio certissimum est principium illud quod cum Magistro Angelico expendimus: nimirùm intellectum nostrum pro hoc statu ex necessitate intelligendi sibi Verbum, sive objectivos

objectivos efformare conceptus qui, secundùm esse quod habent in intellectu, sunt expressiones, & formales similitudines rerum, in quibus directè, & primò intentionaliter intelligit res, quarum similitudines sunt; v. g. In verbo aut conceptu hominis cognoscit immediatè hominem secundùm se: in verbo, aut conceptu lapidis lapidem; & sic de aliis.

Ulteriùs idem cõprobatur intentum.

31. Secundò. Quia eò præcisè quod artifex formet verbum, rationem, aut idæam domus fabricandæ antequam ad opus progrediatur externum, contemplatur domum illam secundùm se, & prout abstrahit ab omni esse sive intentionali, quod habet in illo conceptu, ratione, aut idæâ; sive artificiali, & externo, quod postea habet in executione. Tertiò. Quia finge (quod non est chymæricum; sed valde possibile) quod Deus in aliquo speculo non solùm mentali; sed etiam visibili, & materiali formaret nobis species proprias eorum omnium, quæ futuris temporibus in die judicii sacrâ Paginâ præscripta sunt: puta speciem propriam Anti-Christi, species signorum in Sole & Lunâ, & eas, in quibus persecutiones, victoriæ, martyrium, mortuorum resurrectio, conventus omnium hominum in vallem Josaphat, adventus Christi Domini, sanctissimæ Crucis præeunte vexillo ad universale judicium, &c. Certè qui hujusmodi species impressas in illo mirabili speculo cerneret, non posset non videre, & tanquam sibi objecta haberet ea omnia quæ futuris temporibus eventura sunt, non minùs ac si hic & nunc agerentur, sicut modò videmus quamcumq; aliam rem per sui speciem materiali speculo immissam, & quidem non aliâ ratione, nisi quia in tali casu visus sibi præsentes haberet species, & quasi rationes expressivas earum rerum, quæ sibi in illis tanquam in videndi medio objiciuntur. Atqui Deus ex suâ infinitâ perfectione, quæ ad intelligendum nequit ab alio species emendicare, habet in suâ divinâ essentiâ sibi præsentes rationes, & quasi species substantiales omnium intelligibilium. Ergo non potest non cognoscere in illis, tanquam in medio perfectissimo, & necessario infinita illa entia, quorum tales rationes sunt expressivæ; veluti perfectissimæ eorum similitudines.

Præterea suadetur rerũ quidditates nõ esse objecta scientiæ visionis necessariæ, nec visionis contingentium.

32. Ratio secundi, & tertii: nimirùm quod illa entia, sive rerum quidditates non sunt objectum scientiæ visionis necessariæ, neque scientiæ visionis contingentium: facili negotio redditur. Tum quia objectum scientiæ visionis necessariæ est ipse Deus, sive divina essentia. Sed entia illa, quæ Deus simplici quâdam intelligentiâ cognoscit in suâ essentiâ ut infinitè imitabili, vel (quod idem est) in illis rationibus, & idæis, nõ sunt Deus; ut apud omnes Theologos certò certiùs est. Ergo. Tum quia objectum scientiæ visionis sive liberæ, sive necessariæ, est existens vel existentiâ propriâ & naturali, vel existentiâ intentionali, & intelligibili. Sed quando Deus ante omne decretum, & independenter ab omni decreto attingit illa entia; sive rerum quidditates simplici intelligentiâ, tales quidditates essentiæ, sive entia, aut creaturæ purè, & merè possibiles, considerantur absque ullâ existentiâ. Ergo non possunt esse objectum scientiæ visionis. Minor probatur. Quia non considerantur cum existentiâ intentionali reduplicativè, licet (ut supra visum est) eam in Deo habeant; sed solùm specificativè; v. g. essentiam hominis secundùm se, essentiam liberi arbitrii, sive Angelici, sive humani, ac proinde essentias, & quidditates actuum liberorum, eorumque occasiones, & circumstantias secundùm auxilia sive naturalia, sive supernaturalia quidditativè, & secundùm se, &c. Rursùs non cognoscuntur hæc omnia secundùm propriam & naturalem existentiam quam possunt habere, eam tamen non habent juxta dicta in Quæstionibus de Distinctione inter essentiam, & existentiam creaturarum. Ergo entia, sive creaturæ illæ possibiles, quatenùs terminant non extra, sed intra ipsum Deum cognitionem, sive scientiam divinam, quam communiter dicimus simplicis intelligentiæ, considerantur absque ullâ existentiâ sive intentionali, sive naturali, & propriâ, quæ ad solam scientiam visionis liberæ spectat. Relinquitur ergo, entia illa possibilia ante omne decretum & independenter ab illo, actu cognosci immutabiliter, & necessariò per scientiam necessariam simplicis intelligentiæ.

Illæ divinæ rationes ante omne decretũ sunt causæ rerum effectivæ.

33. Sequitur quintò. Ante omne decretum liberum Dei saltem terminativè, & in denominando, rationes illas, sive idæas creaturarum, quas ex necessariâ divinæ essentiæ perfectione Deus præcontinet, esse causas rerum effectivas: ita ut quamvis pro signo ante decretum non intelligamus creaturas ut terminos, & effectus divinæ causalitatis; nihilominùs non solùm virtus agendi, sed ipsa actio divina actu sit ex parte Dei in illis rationibus, sive idæis. Ratio est. Quia licet creaturæ secundùm esse proprium suæ naturæ sint termini & effectus contingentes producti per voluntatem, scientiam, & omnipotentiam Dei: actio tamen producendi creaturas, quatenùs se habet sive ex parte voluntatis divinæ, scientiæ, & omnipotentiæ, quatenùs se habet activè ex parte Dei, est perfectio necessaria. Sed omnis perfectio necessaria est, & intelligitur in Deo independenter ab omni decreto libero, saltem in denominando. Ergo actualitas agendi sive ex parte scientiæ, sive ex parte voluntatis est Deo omninò necessaria, ac proinde independens à divino decreto, saltem in denominando. Quæ do-

ctrina sequenti Præludio magis illustratur.

PRÆLUDIUM IV.

Causalitas divinæ Essentiæ, & diversus modus attingendi objecta, variis propositionibus expenduntur.

Pluralitas scientiarũ quam huc usque dedimus nõ se habet ex parte Dei, sed solùm nostros conceptus.

34. QUamvis Sanctis Patribus, & eorum vestigiis insistentes Theologi communiter doceant, in Deo esse plures rationes, & idæas creaturarum; consequenterque dividant scientiam Dei circa creaturas in scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, in scientiam conditionatam & in scientiam absolutam visionis; in cujus divisionem etiam universa Thomistarum Schola conspirat: certum tamen est, pluralitatem, quam rationibus illis, sive idæis, & scientiæ Dei tribuimus, nullo modo se habere ex parte Dei, cum in Deo ratio repræsentandi & cognoscendi creaturas, unica & indivisibilis sit perfectio: Unde pluralitas earum rationum, ac proindè scientiæ divinæ solùm se habet penes diversos nostros conceptus, qui juxta diversitatem creaturarum idæas, sive rationes earum expressivas partim, & divisim apprehendit; & ex diversitate objectorum, sive ex diverso modo ea attingendi, diversos efformamus conceptus, in quibus modo scientiam Dei, prout circa rerum quidditates, & essentias versatur, simplicis intelligentiæ dicimus, & in quantum res in propriâ naturâ existentes attingit, visionis scientiam appellamus; sicut scientiam conditionatam, prout in creaturas tendit sub conditione futuras: de cujus objecti naturâ, & existentiâ plura in hoc Opusculo restant severiori examine discutienda. His ita: priusquam in arenam cum Adversariis circa scientiæ mediæ punctum congressuri descendamus, sequentes propositiones proderit observari.

1. Propositio. Scientia Dei necessaria non solùm in actu primo; sed etiam in actu secundo est causa rerum contingentium.

35. Prima propositio. Scientia Dei necessaria non solùm in actu primo; sed etiam in actu secundo est causa rerum contingentium. Hæc propositio militat ex diametro contra Scholam Thomisticam. & eam communiter propugnant Societatis nostræ Doctores. Pro quibus mens Sancti Thomæ steterit; jus est in Scholasticis armis; vincet, & invalescet, qui poterit. Ante cujus probationem supponendum est id, in quo omnes conveniunt: nimirùm scientiam Dei esse rerum omnium causam. Constat primò ex Psalmo 103. *Omnia in sapientiâ fecisti.* Secundò, ex Psalmo 135. *Qui fecit cœlos in intellectu.* Tertiò, ex Epist. ad Ephes 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Quartò, ex Divo Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus: *Scientia divina omnium est artifex, & semper omnia componit, &c.*

Nunc probatur propositio.

36. Nunc verò probatur propositio: Actio illa, quâ causa creata producit extra suum effectum, est perfectio accidentalis, ut omnes Thomistæ tenent. Ergo actio Dei, quâ Deus sive per scientiam, sive per voluntatem sive per omnipotentiam creaturas extra se producit, est perfectio substantialis. Sed perfectio quælibet substantialis est Deo necessaria, & independens ab omni divino decreto inducenti terminum creatum, sive (quod idem est) independens ab omni decreto quoad denominationem contingentem. Ergo actio, quâ divina scientia causat extra res contigentes, est perfectio scientiæ necessariæ Dei. Ergo scientia Dei, quatenùs libera in denominando, non est causa rerum; sed solùm quatenùs necessaria. Patet consequentia Quia actu causare creaturas, vel est perfectio in Deo, vel non? Hoc secundum dici non valet: Tum quia in creaturis actu causare, sive producere est perfectio saltem accidentalis, Sed omnis creaturarum perfectio est in Deo, seclusis imperfectionibus: aliàs non esset participata à Deo. Ergo actu producere, sive causare in Deo, sive (quod idem est) actio, quâ Deus agit ad extra, non potest non esse ad extra. Tum etiam quia, ut constat ex disput. de actione creativâ, S. Thomas expresè asserit, actionem creativam activè sumptam, non distingui ab ipso Deo; ut constat ex 2. Sentent. distinct. 1. artic. 2. & ex distinct. 39. artic. 3. Ibi: *Dicendum quod creatio potest sumi activè, & passivè: si sumatur activè, cum creatio significet operationem divinam, quæ est essentia ejus, cum relatione quâdam; & sic creatio est substantia divina, &c.*

Unde efficax argumentum cõtra Thomistas subsumo.

37. Ex quibus sic efficaciter arguitur. Constans est apud Thomistas, Divum Thomam in eâ fuisse sententiâ, ut Deus omnia creaverit, & operatus fuerit per intellectum & voluntatem, per scientiam & volitionem. Sed Magister Angelicus expresè docet, creationem, sive operationem divinam, quâ Deus extra producit, esse ipsam essentiam, sive substantiam divinam: essentia autem, & divina substantia sunt perfectiones necessariæ in Deo, & omninò independentes ab omni effectu, & denominatione contingenti. Ergo ad scientiam necessariam Dei pertinet in actu secundo, & exercitè creaturas producere. Si verò dicatur primum: ergo propter eandem rationem solùm erit proprium scientiæ necessariæ, & naturalis in Deo causare creaturas. Patet consequentia. Quia quælibet divina perfectio, utpotè actus purissimus, concedenda est Deo independenter ab omni decreto libero quoad denomi-

denominationem, & terminationem liberam ad creaturas secundùm suum esse contingens, & naturale.

Rursùs probatur propositio ex SS. PP. Dionysio & Augustino.

38. Probatur secundò. Ex pluribus Sanctorum Patrum authoritatibus, quæ scientiæ divinæ perfectionem agendi tribuunt. Primò Sanctus Dionysius loquendo de rationibus, & idæis (in quibus consistit, aut quasi fundatur scientia necessaria creaturarum,) cap. 5. de divinis Nominibus, lect. 13. apud Divum Thomam, sic ait: *Exemplaria esse dicemus in Deo rationes subsistentificas, existentium prædeterminativas, & effectivas, secundùm quas supersubstantialis essentia omnia præfinivit, & produxit.* Sic ibi. Tum sic. Supersubstantialis essentia non pertinet ad scientiam Dei denominativè liberam, sed solùm ad scientiam necessariam. Sed juxta S. Dionysium supersubstantialis Dei essentia actu produxit quæcumque producta, & creata sunt. Ergo in actu secundo creationem agere, & producere solùm competit scientiæ necessariæ Dei. Secundò. Huic modo discurrendi consonat Origenes, tomo 1. in Joannem, ibi: *Opinor enim, sicut domus, & navis fabricantur, vel ædificantur juxta figuras & formas, mentibus eorum, qui structuræ præsident, conceptas: domo naviq; principium sumentibus ab his figuris, & rationibus, quæ sunt in artifice: Sic universa facta fuisse juxta rerum futurarum rationes; jam anteà à Deo manifestatas in sapientiâ: omnia enim in sapientiâ fecit.* Sic ibi Sapientissimus Origenes, qui ubi benè, nemo meliùs: licet ubi malè, nemo pejus.

Inde rationes in Adversarios efformo.

39. Tum sic. Universa facta sunt juxta rerum rationes anteà à supremo, & infinito Artifice manifestatas: quemadmodum domus, & navis factæ sunt juxta rationes & Idæas in mente artificis creati formatas. Sed rationes quas in suâ sapientiâ manifestavit Deus ad rerum futurarum fabricam, non sunt contingentes in essendo, nec liberæ; sicut sunt rationes, & idææ artificis creati. Ergo res futuras ad extra fabricare, pertinet sive in genere causæ efficientis, sive in genere causæ exemplaris, & directivæ ad rationes creaturarum expressivas, quæ sunt necessariò in Deo, ac proindè ad scientiam necessariam. Nec obstat, quod Origenes dixerit, rationes illas esse rerum futurarum, res autem futuras in scientiâ necessariâ non esse. Quia aliud est, res futuras non fuisse repræsentatas in essentiâ divinâ, & in illis rationibus, sive Idæis specificativè independenter ab omni decreto in denominando: & aliud, res futuras ut futuras non repræsentari in essentiâ divinâ ante propositum voluntatis divinæ. Hoc secundum est verissimum: aliàs res futuræ, & quæ existunt in tempore, producerentur à Deo necessitate naturæ: quod implicatorium & absurdissimum est. Primum verò est procul dubio falsum. Quia Deus omnia quæcumque fecit, præsentia, præterita, & futura prænovit independenter ab omni decreto, & proposito divinæ voluntatis determinativè, sive inferenti creationem mundi, & futuritionem creaturarum: aliàs sicut per decretum advenit, & contingit existentia & creaturarum futuritio: sic per decretum adveniret & contingeret Deo perfectio cognoscendi creaturas, quas per ipsum decretum operatur: fieretque Deum per decretum, aut post decretum scire, & ante decretum ignorare, quæcumque per decretum fiunt aut futura sunt; quod dicere, à viris Catholicis absit. Ut ergo Deus rerum futurarum scientiam perfectissimam necessariò habeat, sufficit quod res per decretum futuræ habuerint esse intentionale & intelligibile in Deo juxta ea, quæ in Præludiis antelapsis præscripsimus. Ratio est. Quia scientia propriè non est de existentibus, ut existentia sunt in propriâ naturâ: nec contingentibus, ut contingentia sunt; nec de futuris, ut futura sunt: sed solùm de existentibus, contingentibus, & futuris secundùm esse intelligibile & intentionale, quod habent in intellectu sapientis. Jam verò cùm omnia præsentia, præterita, & futura specificativè sumpta, ante & independenter ab omni decreto habeant esse in essentiâ divinâ, ut ab ipsis imitabili, sive in illis rationibus, & idæis, de quibus Sancti Patres clarè loquuntur, in illisque quasi in medio ea omnia Deus præsciverit, atque prænoverit nnumquodque juxta conditionem, & quidditatem suæ naturæ; evincitur planè, Deum de illis habere scientiam necessariam, eamque esse causam rerum non solùm in actu primo, ut Adversarii docent; sed etiam in actu secundo.

Firmatur exarata ratio ex S. Aug. l. 12. de civ. Dei

40. Firmatur ulteriùs prædicta ratio authoritate Magni Augustini lib. 12. de Civit. Dei, sic discurrentis: *In una Dei sapientiâ esse immensos quosdam, atque infinitos thesauros rerum intelligibilium. In quibus sunt omnes invisibiles, atque incommutabiles rerum etiã visibilium & mutabilium, quæ per istam factæ sunt: quoniam Deus non aliquid nesciens fecit: quod nec de quolibet Artifice rectè dici potest: Porrò si sciens fecit omnia, ea utique fecit quæ noverat.* Hæc Sanctus Doctor. Unde pro eâdem veritate hunc efformo discursum. Ex Augustino ea scientia in Deo est causa rerum in actu secundo, per quam res visibiles, & mutabiles factæ sunt. Sed talis scientia non est visionis, nec approbationis, quæ dicitur scientia libera. Ergo erit scientia necessaria. Major constat. Minor probatur. Quia scientia aut sapientia, in quâ sunt immensi & infiniti thesauri rerum intelligibilium, in quibus sunt omnes invisibiles, atque immutabiles rationes rerum, est, per quam factæ sunt res visibiles, & mutabiles. Sed scientia sive approbationis & visionis

ut talis est, non continet infinitos illos, & immensos thesauros rerum intelligibilium, nec potest esse rerum omnium scientia. Ergo. Probatur minor. Quia scientia visionis, sive approbationis solùm est scientia eorum quæ approbat, & videt existentia pro suis temporis differentiis. Sed scientia visionis in Deo nec approbat, nec videt illos immensos, infinitosque thesauros creaturarum, sive rerum intelligibilium in aliquâ differentiâ temporis existentes: ut est certum. Ergo solùm erit scientia necessaria, quæ dicitur simplicis intelligentiæ.

Probatur 3. propositio ex Aug. D. q. 2. de verb. a. 24 in corp.

41. Probatur tertiò ex Divo Thomâ quæst. 3. de Verit. artic. 24. in corpore. Ibi: *Inter scientiam Dei, quæ est causa rei, & ipsam rem creatam, invenitur duplex medium: unum ex parte Dei; scilicet divina voluntas: aliud ex parte ipsarum rerum, quantum ad quosdam effectus causæ secundæ, quibus mediantibus proveniunt res à scientiâ Dei.* Sic Sanctus Doctor. Ex quibus ratiocinium etiam hoc facilè contra Thomistas produces. Illa scientia Dei est causa rei in actu secundo, inter quam, & ipsam rem mediat divina voluntas, sive liberum divinæ voluntatis decretum. Sed inter scientiam approbationis & visionis, & rem creatam non mediat talis voluntas; aut decretum. Ergo. Major constat. Minor probatur. Quia scientia approbationis, & visionis vel sequitur ipsam Dei voluntatem, vel per respectum ad decretum efficax denominatur talis, &c. Ut ex communi Thomistarum sensu docet Magister Gonet disput. 3. de Causalitate scientiæ Dei, artic. 2. Sed nihil potest esse medium respectu illius quod vel aliquâ ratione posterius est ipso, vel saltem per ipsum in ratione talis existit. Ergo scientia, inter quam & rem creatam mediat divina voluntas, non potest esse approbationis, neque visionis. Igitur erit scientia necessaria simplicis intelligentiæ, ac proinde ex Divo Thomâ hæc erit causa rerum.

4. ex hoc dilemate. Quia vel scientia visionis addit aliquid actualitatis divinæ ad scientiam Dei necessariam vel non.

42. Probatur quartò efficaciter, Quia scientia approbationis, & visionis, ut talis est, vel addit aliquid actualitatis divinæ ad scientiam necessariam Dei, vel non addit? Si primum: ergo scientia necessaria creaturarum in Deo non erit purissimus actus in ratione agendi, & operandi: ac proinde habebit rationem potentialitatis admixtam: quod Thomistarum principiis maximè, & meritò dissonat. Si secundum: ergo scientia necessaria erit causa rerum non solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo. Patet consequentia. Quia ea scientia, in quâ stat, vel est actus purissimus operandi creaturas, est causa illarum in actu secundo. Sed talis est scientia necessaria Dei. Ergo hæc erit causa futurarum in actu secundo.

5, & 6. eadē propositio suadetur,

43. Probatur quintò. Quia positâ coexistentiâ divini decreti, scientiæ necessariæ, & creaturarum existentium, aut futurarum, perfectissimè accipitur ex parte voluntatis, & scientiæ necessariæ Dei causalitas creaturarum absque eo, quod quidquam superaddatur scientiæ necessariæ Dei: quodcumque enim additamentum implicat perfectioni infinitæ necessariæ Dei. Probatur sextò. Quia quod scientia Dei dicatur libera, approbationis, & visionis, sunt denominationes contingentes, quæ potuerunt Deo deficere, & ejus scientiæ necessariæ: Casu enim, quod Deus noluisset ullam creaturam producere, certè scientia necessaria Dei non denominaretur libera, nec approbationis, aut visionis, cum deficienti existentiâ naturali creaturarum, omninò deficeret effectus ad extra libertatis divinæ, approbationis divinæ, ejusque divinæ visionis, quo deficiente, nullum superest nobis fundamentum, ut Deo, ejusque voluntati, & scientiæ tribueretur denominatio liberi volentis, approbantis, aut videntis creaturas. Sed scientia Dei non potest habere perfectionem causandi in actu secundo â denominatione formaliter contingenti, & defectibili. Ergo perfectio causandi creaturas in actu secundo, solùm potest se habere ex parte scientiæ necessariæ, & nullo modo ex parte illius, in quantum denominatur approbationis aut visionis.

7. Quia Deus esse actualissimè liberè ad ponendas vel nō ponendas extra creaturas est perfectio necessaria

44. Probatur septimò. Quia ex dictis de voluntate Dei, Deum esse actualissimè liberum ad ponendas, vel non ponendas extra se creaturas, nullo modo est contingens, & perfectio æquè necessaria, ac est in Deo potentia necessaria ad producendum Verbum Divinum; quo principio supposito, efficaciter propositio nostra suadetur. Volitio necessaria Dei ex plenitudine sui dominii & potestatis est causa rerum in actu secundo absque eo quod ei superaddatur aliquid perfectionis ad producendum actu creaturas. Ergo scientia necessaria Dei erit causa rerum in actu secundo absque aliquo alio superaddito: Cùm nullum aliud sit excogitabile, per quod volitio necessaria, & scientia necessaria constituantur in ratione actu operandi creaturas: etenim terminationes illas liberas, aut denominationes, quas Magister Gonet, & Recentiores Thomistæ meditantur ad explicandos actus liberos Dei, absque ullo fundamento, & necessitate Scholæ Divi Thomæ intrusas, efficaciter præcitato Opusculo, Deo dante, probavimus. Denique cum seclusis verborum offuciis, & involucris, re ipsâ in totâ hac rerum serie nihil sit invenire præter Deum, & creaturas; coexistentiaque istorum solùm dicat existentiam Dei, & suarum perfectionum omninò necessariam, & existentiam creaturarum omninò contingentem; cùm hæc sit purè extrinseca, & omninò extranea Deo:

Cùm

Cùm intellectus noster per ea quæ facta sunt, invisibilia, & necessaria Dei cognoscat; nullum profectò fundamentum deprehendet ad tribuendum Deo aliquid, quod sive in ratione actu operandi, sive in ratione actu volendi, & sciendi, &c. non sit ei omninò necessarium. Mitto alia pro veritate hujus propositionis omninò videnda in nostris Doctoribus contra Scholam Thomisticam.

Aliqua pro argumentis solvendis no tantur.

45. Ut ergo satis eorum argumentis fiat, unum, vel alterum nota. Primum, non esse idem, volitionem necessariam, & scientiam Dei necessariam esse in actu secundo causas rerum, ac necessariò eas causare. Tum quia in Deo est actualissima potestas agendi, & non agendi omninò absoluta, & omninò independens à creaturis, quas ponit, vel non ponit in rerum naturâ, vel quas potest producere, & non producere de nihilo extra causas juxta placitum, & propositum suæ voluntatis: Tum quia tota contingentia se habet ex parte creaturarum, quàm oculatissimi Theologi est nullo modo refundere in Deum. Alterum erit intellectum nostrum ex limitatione suæ virtutis plures conceptus efformare de Deo, ex quibus resultant variæ denominationes, quibus Deum nominamus: quamvis denominationes plures Recentiores falso præjudicio ex non satis penetratâ principiorum connexione, ut intrinsecas Deo affingant, quæ si observentur, facilè constabit, rationes Thomisticas aut purâ æquivocatione laborare, aut nullum nobis negotium facessere; pluresque Sanctorum Patrum authoritates facilem sensum obtinere.

Propositio 2. Deus suâ sciêtiâ nullatenùs creaturas in se ipsis cognoscit.

46. Propositio secunda. Deus suâ divinâ scientiâ nõ cognoscit creaturas sive putè possibiles, sive conditionatè, sive absolutè futuras, sive existentes immediatè in se ipsis; sed quæcunq; scit, & cognoscit, ea in suâ divinâ scientiâ attingit, & cognoscit. Hujus propositionis veritas receptissima est inter plures Theologos tam antiquos, quàm modernos; multorum Sanctorum Patrum authoritate munita cum Doctore Angelico. Probatur primò, Ex Sancto Dionysio cap. 7. de divinis Nominibus, Ibi: *Deus ea, quæ sunt, cognoscit, non eorum scientiâ, sed sui ipsius, nec habet propriam, & separatam sui notitiam: Alterum verò rerum creatarum, sed per scientiam, quam habet de se ipso, res omnes alias cognoscit ..... non secundùm visionem singulis se immittit, sed secundùm causæ continentiam scit omnia.* Et hujus rationem ibidem assignat: *Etenim si secundùm unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundùm eandem causam sciet omnia, & non ex existentibus sumet eorum cognitionem.* Sic ibi. Certè ad propositionis probationem nihil clariùs, nec ullâ formæ syllogisticæ explicatione indigens.

Stat etiam pro nobis Aug. tr. 1. in Symb. c. 3.

47. Pro eâdem veritate stat Magnus Augustinus Tract in Symbolum cap. 1. Ibi: *Licet omnia cœlestia, terrestria, ac minima quæque prospicat Deus, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Et lib. 83. quæstion. quæst. 46. ait: *Sacrilegum est asserere quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* Quæ verba, & suam mentem Sanctus Thomas 1 part. quæst. 14. artic. 5 ad 1. luculentissimè expressit. Ibi: *Illa verba Augustini dicentis, Deum nihil extra se cognoscere, sic esse intelligenda; non quasi Deus nihil quod sit extra se, intueatur; sed quod id, quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso.* Et in fine corporis eodem artic. sic habet. *Igitur dicendum est quod Deus seipsum videt in seipso; alia autem à se, videt non in ipsis, sed in seipso.* Hæc doctrina ut melius intelligatur, exemplo esse potest modus, quo potentia nostra visiva videt Petrum extra se, & in se ipso; & quo videt in specie speculi. Cùm videt Petrum in se ipso, & immediatè extra se, visus fertur extra se in Petrum; & hic est proprius modus videndi, & cognoscendi rem immediatè in se ipsâ: quem modum videndi & cognoscendi rem immediatè in se ipsâ, Deo tribuere, meritò asserit Sanctus Augustinus, sacrilegum esse, propter dependentiam, & imperfectionem, quam in se involvit. Alter verò modus, quo visus ipsum Petrum mediante specie speculi impressâ, in quâ ei repræsentatur, licet pluribus sit admixtus imperfectionibus, propiùs accedit ad explicandum aliqualiter modum, quo Deus ea, quæ sunt extra se, videt, non quidem extra se, sed in se ipsos.

Unde ratione elevo ad illud immutabile divinæ essentiæ speculum.

48. Ratio est. Quia cùm visus videt Petrum repræsentatum in speculo, negari non potest, videre Petrum, qui in suâ propriâ naturâ existit extra speculum; at non videt Petrum immediatè extra speculum, sed intra illud. Jam verò cum divinâ essentia sit speculum, & veluti infinita species omnium intelligibilium, dicimus omnia intelligibilia, quæ in ejus essentiâ, rationibus, aut idæis repræsentantur, videri quidem à Deo non immediatè in se ipsis; sed ejus divinâ essentiâ mediante, sive in se ipsâ, Nec inde inferas, per hoc solùm probari, Deum dumtaxat videre se ipsum: cùm substantialis expressio, & similitudo omnium intelligibilium sit ipse Deus: Illatio enim hæc falso præjudicio laborat: quia sicut visus Petrum in speculo cernens, non solùm videt speciem illam, seu medium expressivum Petri; sed etiam ipsum Petrum, qui est extra speculum, quamvis illum, ut dictum est, non videat in se ipso immediatè extra speculum: sic Deus videns in suâ essentiâ ut infinitè imitabili rationes illas, & idæas omnium intelligibilium expressivas, non solùm eas videt, sed illis mediantibus,

& in earum medio omnes creaturas sive possibiles, sive existentes, sive absolutè futuras, sive conditionatè futuras, juxta modum sequenti propositione explicandum.

Variis rationibus eadē propositio probatur.

49. Potest à ratione propositio secundò probari. Primò. Quia eodem modo Deus intelligit creaturas quo repræsentantur intellectui divino. Sed creaturæ non repræsentantur in se ipsis, sed mediatè, & in alio. Ergo. Probatur minor. Quia species, quâ divinus intellectus intelligit, est divina essentia. Sed hæc Deo per ipsam intuitivè repræsentato repræsentat creaturas. Ergo Deus se ipsum intelligendo in divinâ essentiâ, in hac tanquam in medio creaturas exprimenti, ipsas cognoscit. Secundò. Quia modus cognoscendi creaturas non immediatè in se ipsis, sed mediatè, & in divinâ essentiâ, longè nobilior & perfectior est. Propterea dixit Magnus Augustinus lib. II. de Civit. Dei cap. 7. Ibi; *Cognitio creaturæ in se ipsâ decoloratior est, quàm cùm in Dei sapientiâ cognoscitur, velut in arte per quam facta est.* Tertiò. Quia, ut latè ostendimus in prævio Opusculo de modo intelligendi, de distinctione, & præcisionibus objectivis, & unitate universalis, intellectus noster saltem pro hoc rerum statu non cognoscit, imò non potest cognoscere res naturales in se ipsis immediatè, & ex necessitate intelligendi format verbum, sive conceptum, in quo attingit, & cognoscit rem immediatè, cujus est expressio, & similitudo tale verbum: idque ex multiplici capite probavimus; illo præsertim, quod res materiales propter suam materialitatem non sunt proportionatæ immaterialitati, & spiritualitati intellectus. Sed distantia proportionis inter Deum & creaturas, longè & infinitè major est, quàm ea, quæ inter nostrum intellectum, & res naturales intercedit. Ergo non potest Deus cognoscere & scire creaturas in se ipsis immediatè. Quartò. Quia ex objecto, & potentiâ paritur notitia. Sed impossibile est, Deum accipere notitiam, aut speciem ab ipsis creaturis ad intelligendum. Ergo solùm potest eas cognoscere, mediante divinâ essentiâ, quæ se habet veluti species infinita, & perfectissima omnium creaturarum: Si ergo species Petri speculo impressa est medium in quo videtur, & apparet Petrus potentiæ visivæ, nulla erit ratio denegandi hoc essentiæ divinæ. Unde si sensus, & mens Sanctorum Patrum, hujusque doctrinæ principia rectè penetrentur, vix erit aliquid in contrarium, quod quæstionem de puro nomine transiliat, sive pertranseat.

Propositio 3. Essentia divina est medium cognoscendi creaturas sive possibiles, sive existentes, sive absolutè futuras, sive conditionatè futuras

50. Propositio tertia. Essentia divina est medium cognoscendi creaturas sive possibiles, sive existentes, & absolutè, sive conditionatè futuras; alio tamen, & alio modo: nam respectu purè possibilium se habet ut medium cognoscendi eas necessariò independenter ab omni decreto libero determinanti existentiam, aut futuritionem creaturarum. At respectu creaturarum existentium non se habet ut medium necessarium; sed solùm ut medium voluntariū, & liberum. Ex dictis suprà facilè exhibetur ratio primi. Quia essentia divina ante & independenter ab omni decreto actu inferenti, & determinanti creaturis existentiam, aut futuritionem, habet necessariò esse imitabilem, & participabilem à creaturis; & ex vi infinitæ repræsentationis habet rationes & idæas omnium creaturarum possibilium; ut ex communi Theologiâ, & unanimi Sanctorum Patrum consensu supra demonstravimus. Sed non potest Deus attingere, & cognoscere necessariò suam essentiam ut imitabilem à creaturis, & ut medium expressivum earum, quin eas necessariò attingat secundùm earum quidditates, & secundùm naturam & conditionem uniuscujusque creaturæ. Ergo respectu creaturarum secundùm se, & secundùm earum essentias essentia divina est medium cognoscendi eas. Ratio secundi. Quia creaturæ non habent existentiam propriam suæ naturæ, nec futuritionem ex necessitate, sed solùm ex plenissimâ potestate, & dominio divinæ voluntatis. Ergo respectu creaturarum existentium, & futurarum non se habet ut medium necessarium; sed solùm voluntarium, & actu liberum, in quo eas extra se existentes, cognoscit non quidem immediatè in se ipsis; sed in suâ divinâ essentiâ juxta dicta in præcedenti propositione. Patet consequentia. Quia Deus non potest cognoscere, creaturas existere secundùm propriam existentiam nisi in medio determinanti earum existentiam. Sed hoc medium non potest esse divina essentia independenter à divino decreto determinanti, aut præfinienti creaturarum existentiam. Ergo medium, in quo Deus hujusmodi creaturas existentes cognoscit, solùm potest esse divina essentia ex proposito suæ voluntatis, suique supremi dominii determinanti, aut præfinienti earum existentiam, vel futuritionem.

possibiles, sive existentes, sive absolutè aut conditionatè futuras, alio tamen, & alio modo.

Propositio 4. Deus creaturas existentes cognoscēs nullā sibi addit perfectionem in ratione cognoscēdi, quā nō prǽhabuerit in suâ essentiâ divinâ ante omne decretum.

51. Propositio quarta. Quamvis Deus cognoscat creaturas existentes secundùm esse proprium, & formaliter contingens scientiæ necessariæ in essentia divina præfinienti earum existentiam: per hunc modum cognoscendi nihil novum advenit Deo, nec ulla perfectio in ratione cognoscendi creaturas, quam non prǽhabuerit in suâ essentiâ divinâ independenter à decreto existentiam, aut creaturarum futuritionem præfinienti. Hæc propositio, si rectè ejus termini apprehendantur, videtur certissima. Probatur primò. Quia plenissimum & actuale dominium Dei non est ad ponendum, vel non ponendum ullam perfectionem in Deo sive in ratione scientiæ, sive in ratione voluntatis, sive in ratione

ratione cujuscumque alterius attributi: sed solùm ad ponendum, vel non ponendum extra causas, & in propriâ naturâ creaturas, quas in suâ essentiâ necessariò præcontinet, & in eâ tanquam in medio necessariò prænovit; ita ut terminus & quasi objectum proprium divinæ voluntatis, ejusque plenissimi & actualis dominii solùm sit existentia contingens creaturarum. Sed per hoc, quod ponatur, vel non ponatur extra Deum existentia contingens creaturarum, nulla novitas inducitur Deo, nullaque perfectio ei advenit in ratione scientiæ aut cujuscumque alterius attributi. Ergo per hunc modum cognoscendi creaturas existentes, aut futuras, nulla perfectio, nullaque novitas Deo, ejusque perfectissimæ scientiæ advenit: sed tota novitas orta ex contingenti creaturarum productione, in creaturas refundi necesse est. Major est certa. Quia, ut constat ex Opusculo de Actu libero Dei, olim à nobis elaborato, & in publicis disputationibus propugnato; Deus non est liber indifferentiâ dominii ad habendum, vel non habendum suum actum liberum, nec ad habendum, vel non habendum actum ullum divinæ scientiæ; sed solùm ad ponendum, vel non ponendum; ad producendum, vel non producendum creaturas extra se in suo esse proprio, & naturali, tanquam proprium terminũ & effectum suæ libertatis, ex cujus perfectissimo, & actuali dominio omnia quæcumq; voluit, fecit, & potuit facere, & non facere, contingentiâ se habente ex parte creaturarum, & nullo modo ex parte Dei. Minor vero efficaciter probatur. Quia cùm Deus sit sibi sufficientissimus & perfectissimus absque ullius entis creati dependentiâ, etiamsi deficeret (ut pro suo libito potuit deficere) hujus mundi, & ejus creaturarum existentia, æquè perfectissimus, & cum omni suarum perfectionum cumulo maneret, ut nullus sanæ mentis Theologus diffitetur. Ergo in tali casu tantùm sciret, quantùm modò scit: aliàs Deus ignoraret ex non existentiâ creaturarum, quæ, positâ tali existentiâ scit, & cognoscit, Hoc autem quis non videat ex ipsorum terminorum primâ apprehensione, absonum & absurdissimum esse. Tum sic. Sed in tali casu non sciret, nec cognosceret existentiam, & absolutam crearurarum futuritionem. Ergo per hunc modum cognoscendi, creaturas existere in propriâ naturâ, earumque futuritionem absolutam, nihil novi advenit Deo, nec ulla perfectio ipsi noviter inducitur.

Deln aliâ ratione probatur eadẽ propositio.

52. Probatur secundò præjacta propositio. Quia tota hujus mundi visibilis series, ordoque causarum sive contingentium, sive necessariarum, earumque effectuum, actuum liberorum secundùm omnes circumstantias, congruentias, occasiones, &c. habent, & habuerunt esse intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, in ejusque rationibus, & idæis: ita ut omnia quæ fecit, & infinita alia, quæ non fecit, & potuit facere, Deus prænoverit, ut ex communi Theologiâ, & unanimi Sanctorum Patrum consensu supra probavimus; ita ut eorum omnium, quæ à principio mundi hactenùs contigere, & in ejus usque finem contingent, perfectissimam scientiam necessariam habuerit. Hæc autem nullatenùs deficeret, quamvis mundus, illiusque rerum ordo & & series deficeret secundùm esse physicum & naturale propriæ naturæ. Ergo per existentiam creaturarum, nec accrescit Deo aliqua scientiæ perfectio, nec ulla Deo inducitur novitas, nec ex earum defectu ulla posset Deo ignorantia tribui. Major patet. Minor verò suadetur. Quia, ut supra ostendimus, præsens hæc mundi machina, & omnia, quæ subillius ordine contingunt, habent duplex esse; aliud intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, cujus virtute Deus scientiâ necessariâ & simplici quâdam intelligentiâ ea omnia certò, & clarè cognoscit: quod quidem esse intentionale, & intelligibile est omninò necessarium, ut potè fundatum in necessariâ, & infinitâ perfectione essentiæ divinæ. Habent & aliud esse physicum & naturale in tempore, ex ipsâ hujus mundi creatione: quod quidem esse est formaliter contingens. Sed esse formaliter necessarium, & indefectibile, non potuit unquam deficere ex defectu essendi, sive existentiæ formaliter contingentis. Ergo scientia necessaria de iis omnibus, quæ contingenter fiunt in mundo nunquam deficeret, etiamsi eorum existentia physica, & naturalis formaliter contingens deficeret.

3. Quia contingẽs creaturarum existentia nõ immutat objectum scientiæ necessariæ Dei ac proinde nec modus ita cognoscẽdi scientiã immutabit.

53. Probatur tertiò. Quia existentia naturalis & formaliter contingens creaturarum nihil superaddit perfectioni scientiæ necessariæ simplicis intelligentiæ, quam Deus habet de creaturis, quas independenter ab omni decreto in medio suæ divinæ essentiæ cognoscit; nec talem scientiam imminuit, aut immutat. Ergo existentia naturalis, & formaliter contingens creaturarum nihil addit nec immutat objectum talis scientiæ in ratione scibilis & intelligibilis. Ergo per hunc modum cognoscendi creaturas existentes, aut futuras, nihil novi advenit Deo, nec ulla ejus divinæ scientiæ accrescit perfectio. Consequentia verò hæc multipliciter probatur primò. Quia non immutatis scientiâ Dei necessariâ, & ejus objecto in ratione scibilis, & intelligibilis, nullum est caput, ex quo scientiæ Dei aliqua perfectio accrescat ex existentiâ naturali, & formaliter contingenti creaturarum. Ergo. Probatur antecedens. Quia si aliqua ratio esset immutandi divnam scientiam: maximè quia creaturæ tranleunt de objecto necessario in objectum contingens

contingens formaliter per earum productionem, ex ejus transitu variari objectum, necesse est: cùm objectum formaliter contingens, & formaliter necessarium sint diversa objecta: scientia autem variatur juxta mutationem, & variabilitatem objecti. Sed hæc aliquorum imaginatio deludit potiùs, quàm urget. Ergo. Minorem probo per suas partes in sequelâ majoris inductas. Primo. Quia objectum necessarium, & æternæ veritatis nunquam transit, nec in suo esse intelligibili immutari potest; ut ex ipsis terminis patet. Sed creaturæ quatenùs intelliguntur in essentiâ divinâ, in ejusque rationibus, & idæis, independenter ab omni decreto eas præfinienti, sunt objectum necessarium. Ergo falsum est, creaturas per earum productionem transire de objecto necessariò in objectum formaliter contingens.

Præfacta ratio ultra promovetur.

54. Secundò. Quia necessitas, aut contingentia objecti in ratione scibilis, aut cognoscibilis mensuratur secundùm illud esse quod habet in medio, in quo cognoscitur: quia quod non est, non cognoscitur. Sed esse, quod habent creaturæ in Deo, est omninò necessarium, & immutabile; necessarium autem incapax est cujuscumque mutationis, aut transitûs. Ergo. Minor hæc probatur. Quia (ut constat ex primo Præludio) esse intentionale, quod habent creaturæ in Deo est ipsa divina essentia, in quantum est similitudo, & species infinitè expressiva omnium intelligibilium: sicut esse intentionale, quod habet Petrus in specie sui immissâ, & impressâ speculo, est ipsamet species, quæ nobis apparet ipsius Petri expressiva, ratione cujus verè dicimus, Petrum esse intentionaliter in speculo. Sed divina essentia est omninò necessaria, & immutabilis. Ergo creaturę, prout simplici quâdam intelligentiâ intelliguntur in essentiâ divinâ, tanquam in medio earum expressivo, sunt objectum omninò necessarium, immutabile, & invariabile. Jamverò major illa secundæ probationis, quod scilicet necessitas, & consequentia objecti mensurentur secundùm esse, quod habent in medio, in quo cognoscuntur, videtur certa. Tum quia verissimum est principium illud animasticum, intelligibile debere esse in actu, ut poscit objectum cujuscumque potentiæ: nam quod nullo modo est, nullo modo cognoscitur. Tum quia ideò Petrus perfectiùs, & magis permanenter videtur à nostrâ potentiâ visivâ in se ipso, & extra speculum, quàm dum in speculo, aut intra speculum apparet: quia esse, quod habet Petrus in se ipso, ut potè proprium, & naturale perfectius, & stabilius est, quàm esse illud intentionale, quod habet in specie, aut figurâ speculi: quia hoc esse cùm non sit fixum, & ratum in naturâ, solùmque consistat in specie illâ accidentali, & intentionali, quæ (ut experientia ostendit) quâcumque Petri declinatione ab speculo, confestim evanescit.

Creaturæ autem perfectius esse habent in essentiâ divinâ, quàm in se ipsis.

55. Ex quo principio omnia, quæ in hâc tertiâ probatione produximus, ulteriùs firmari possunt. Primò. Quia ultra dubium est, creaturas perfectius esse habere in Deo, ejusque essentiâ divinâ, quàm in se ipsis: quia illud est substantiale; illud autem accidentale, juxta dicta suis locis circa existentiam creaturarum: Istud est omninò necessarium; hoc autem formaliter contingens, & omninò defectibile. Cùm ergo perfectio objecti in ratione scibilis, aut cognoscibilis mensuretur secundùm esse, quod habet in medio, in quo cognoscitur; evincitur planè creaturas perfectiori modo cognosci in divinâ essentiâ, quàm in se ipsis: quapropter diximus suprà, Deum non videre creaturas possibiles, sive futuras, sive existentes in se ipsis. Et ulterior ratio potest esse. Quia cùm creaturæ in se ipsis solùm habeant esse contingens, & formaliter defectibile: impossibile est, Deum eas in se ipsis cognoscere; cùm mediùm formaliter contingens, formaliter defectibile indignum sit, imò implicatorium respectu scientiæ perfectissimæ, & necessariæ Dei.

Ex creatione mundi, & creaturâ temporali existentia nihil novi resultat comparativè ad scientiam Dei.

56. Secundò. Quia licet ex creatione mundi, & existentiâ creaturarum in tempore, resultent contingentia, mutabilitas, & aliquid novum in tempore, quod ab æterno non fuit: cùm totum hoc se habeat ex parte creaturarum in tempore: nihil novum resultat comparativè ad scientiam Dei. Ratio est, Quia Deus prænovit ab æterno independenter ab omni decreto præfinienti, hanc rerum contingentiam, temporum eventus, causas necessarias, & liberas, effectus necessarios, & contingentes, actus etiam liberos Angelorum, & hominum, eorumque libertatem, & contingentiam sub quâcumque hypothesi, aut conditione, in quibus absque contradictione considerentur à nobis; quin hæc creaturarum contingentia sive in essendo, sive in operando obstare aut contraire possit infinitæ perfectioni necessariæ Dei. Ergo ex novâ & temporaneâ rerum contingentium existentiâ, nullatenùs inducitur, nec infertur aliquod novum comparativè ad scientiam perfectissimam Dei. Probatur antecedens. Quia Deum esse supremum, & perfectissimum Artificem factibilium, est perfectio ipsius necessaria, ut una & concors est Sanctorum Patrum sententia, de quibus supra. Sed omnis perfectio necessaria competit Deo independenter ab omni decreto præfinienti creaturarum productionem. Ergo Deus independenter ab omni decreto præfinienti est supremus, infinitus, & perfectissimus artifex. Tum sic. Sed ut in superioribus ostensum est, de ratione supremi infiniti, & perfectissimi Artificis est, in se prærhabere infinitas rationes, aut idæas eorum omnium,

quæ

quæ ab ipso fieri possunt. Ergo Deus ut supremus artifex independenter ab omni decreto præfinienti prænovit hanc rerum contingentiam, temporum eventus, causas necessarias, liberas, earum actus, &c. Quæ omnia potuit facere, & pro libito suæ voluntatis fecit; & insuper infinita alia, quæ potuit facere, noluit tamen, ut fierent. Patet consequentia. Tum quia cùm infinitas illas rationes & idæas factibilium expressivas, sibi præsentes necessariò habeat, nõ potest non intelligere, & scire necessariò in illis omnia factibilia. Tum etiam quia si independenter ab omni decreto creaturas præfinienti, eas non præsciret, & modo dicto prænosceret, fieret, ut cœco modo, & ignoranter ad hujus mundi fabricam processisset. Cujus ratio est. Quia etsi per liberum Dei decretum præfiniantur creaturæ, nulla tamen ipsi Deo præfinitur, nec præfiniri potest perfectio scientiæ divinę. Ergo si Deus indepẽdenter ab omni decreto præfinienti nõ præsciret & prænosceret ea omnia, quæ per decretũ aut fiunt, aut fieri decrevit, Deus cœco modo, & ignoranter ad opus, & creaturarũ fabricã processisset, quod vel ab artifice creato meritò alienissimũ reputamus.

57. Jam verò secunda illius antecedentis pars, quod scilicet hæc creaturarum existentium contingentia sive in essendo, sive in operando, non possit obstare, nec contraire infinitæ perfectioni scientiæ Dei necessariæ, potest multipliciter ostendi. Primò. Quia res ex suâ naturâ contingentes, & liberæ, possunt certò & absque ulla contingentiâ cognosci, si detur medium necessarium earum expressivum, in quo habeant esse intentionale, & intelligibile. Sed essentia divina, sive rationes vel idææ, quas in eâ cum fundamento meditamur, & Deo tribuimus, sunt medium expressivum omnium contingentium, & liberorum: aliàs Deus respectu contingentium, & actuum liberorum non esset supremus, & perfectissimus artifex; cùm eorum rationes, & idæas non præcontineret. Ergo. Ostenditur secundò ex verissimo illo principio, quod Angelicus Doctor expendit ex præclarissimo Theologo Boëtio; nimirùm necessitatem, & certitudinem scientiæ, & cognitionis non esse regulandam secundùm facultatem, & cognoscibilitatem rei cognitæ; sed solùm secundùm facultatem & cõditionem potentiæ cognoscentis: Cujus principii veritatem pro hâc, & hujusmodi controversiis utilissimam, Sanctus Doctor luculenter illustrat supra Boëtium de consolat. lib. 5. prosâ 4. Ibi: *Notandum, quod ex litterâ formatur talis ratio; Omnis actus & operatio sequitur conditionem illius potentiæ cujus est actus, & operatio. Sed judicare & cognoscere est actus & operatio potentiæ cognoscentis, & non rei cognitæ. Ergo cognoscere & judicare sequitur modum & conditionem potentiæ cognoscentis.* In cujus probatione adducto exemplo sic discurrit, ibid. *Notandũ, quod simile est judicio sensûs & imaginationis respectu rationis, et rationis respectu illius intelligentiæ divinæ; nam sensui & imaginationi videtur quod ratio aliter non possit cõprehendere nisi sicut ipsa cõprehendit; quod tamen falsum est. Sic similiter videtur rationi humanæ, quod intelligentia divina non possit res incertas cognoscere aliter quàm ipsa cognoscit: quod falsum est. Nam quæ ratio humana incertè cognoscit, intelligentia divina certò cognoscit.* Ex quibus ad rem proposito Angelicè concludit: Ibidem: *Quod si cognitio sequeretur facultatem rei cognitæ, & non virtutis cognoscentis; tunc sicut ratio humana cognoscit futura contingentia incertè; sic similiter intelligentia divina incertè cognosceret; sed quia facultas cognitionum est secundùm facultatem virtutis cognoscentis; & intelligentia divina in cognoscendo excedit rationem humanam, poterit ipsa certè cognoscere, quæ ratio humana incertè cognoscit.*

Multiplicitèr suadetur creaturarum cõtingentiam tam in essendo quàm in operando non obstare infinitæ perfectioni Dei necessariæ.

58 Ex hoc Divi Thomæ principio, quamvis nullâ aliâ eget explicatione, hoc potest confici ratiocinium. Deus prænovit hanc mundi machinam secundùm causas liberas, & necessarias, & secundùm actus, aut effectus earum sive necessarios sive contingentes, & liberos, independenter ab omni decreto ea omnia præfinienti, quantum ad eorum esse, sive existentiam physicam, & naturalem. Sed scientia Dei non prænovit hujusmodi machinam secundùm modum & conditionem rei cognitæ: sed solùm secundùm facultatem & modum virtutis cognoscentis. Ergo quamvis hæc mundi machina ex suâ qualitate sit, & fuerit contingens ad esse, & non esse physicum, & naturale; & plures ejus causæ non solùm contingentes ad esse, & non esse naturale; sed etiam ad operari, & non operari juxta uniuscujusque modum, & conditionem; scientia tamen Dei non prænovit, nec præscivit hæc omnia contingenter, sed necessariò; nec incertè, sed certissimè. Major & minor ex dictis constant. Consequentiam verò efficaciter probo. Scientia Dei non prænovit ea omnia secundùm modum, & conditionem rei, sive objecti cogniti; sed solùm secundùm virtutem cognitionis, quæ consistit in essentiâ divinâ quæ est medium cognoscendi, & in intellectu divino, qui est potentia & facultas prænoscens. Sed essentia divina est medium necessarium, & certissimum cognoscendi, similiterque intellectus divinus est facultas, & potentia certissimè, & necessariò cognoscitiva. Ergo quamvis hæc mundi machina, ejusque rerum series sit, & fuerit contingens ad esse, & non esse physicum, & naturale, & plures ejus causæ non solùm contingentes in esse, sed etiam in operari; hujusmodi quidditativa rerum contingentia obstare nequit, quin Deus ea omnia independenter ab omni decreto præfinienti

Unde solidum sub sumo discursũ pro asserto fundamẽto.

nienti, necessariò, & certò prænoverit.

Ex pluriù nductione præjactum ratiocinium ultra promoveo.

59. Confirmatur ulteriùs prædictum ratiocinium ab inductione plurium, quæ procul dubiò certa asseruntur. Primò. Quamvis Deus sit substantia infinita, necessaria, & perfectissima: nihilominùs dum in viâ eum apprehendimus, non cognoscimus ipsum substantialiter; sed accidentaliter; non infinitè, sed limitato modo: non necessariò, sed contingenter; non perfectissimè, sed imperfectè: Imò quamvis Deus infinitus à Beatis videatur intuitivè in patriâ, non videtur nisi finito & limitato modo. Secundò. Quamvis homo, animal, equus, & leo, &c. sint substantiæ materiales, & singulares: tamen dum intellectus noster eos apprehendit & cognoscit, non cognoscit eos materialiter, sed immaterialiter modo, non singulariter, sed universaliter & præcisivè. Sed utriusque exempli ratio, & aliorum, quæ facilè congeri possent, alia esse non potest, nisi quia facultas scientiæ, & cognitionis non sequitur modum & conditionem objecti; sed solùm facultatem, & modum virtutis cognoscentis. Ergo.

Exemplo speculi materialis ostenditur scientia Dei, quâ indepẽdenter ab omni decreto scivit omnes res, actus & hujusmodi circumstantias.

60. Nec desunt exempla, quæ ostendant, quo pacto habuerit Deus etiam independenter ab omni decreto scientiam utique clarissimam & perfectissimam omnium rerum, & actuum hujus mundi secundùm omnium rerum seriem & circumstantias; quam quidem fœliciſſimè præhaberet, etiamsi per decretum mundus nunquam esset extiturus: sicuti modò in infinito illo suæ sapientiæ thesauro, clarissimam scientiam habet infinitarum rerum perfectiorum, & perfectiorum in infinitum, quæ nec sunt in propriâ naturâ nec fuerunt, nec futuræ sunt. Primò enim ab ipsâ materialis speculi experientiâ constat, nos videre res omnes, quas retrò habemus, intra ipsum speculum, eò solùm quod earum rerum species impressæ nobis opponantur, non aliâ ratione, nisi quia sunt medium expressivum ad videndum in illis ea objecta, quorum sunt imagines & similitudines: quod si non existentibus ipsis rebus in suâ propriâ naturâ, Deus eas species speculo imprimeret, eodẽ modo quasi intra speculum oculis cernerentur; ita ut eas res corporales visus attingeret non existentes secundùm suum proprium, physicum, & naturale esse, eòsolùm quòd haberẽt esse intentionale, & purè visibile in illis speciebus.

61. Secundò. Quia si Deus, ut visum est supra, formaret nobis speculum etiam materiale capax recipiendi species proprias omnium earum rerum, quæ in hujus mundi finem usque, & in diem ultimi judicii futuræ, & reservatæ sunt: & ad hujusmodi speculum nobis eorũ omnium species impressas objiceret; certè clarissimam de totâ illâ mirabili Scenâ notitiam ab ipsis speciebus præhaberemus; quamvis secundùm esse proprium & naturale ultima illa mundi Tragœdia non existeret: & quidem eâ notitiæ certitudine, ut quâdo eam ultimis futuris temporibus in se ipsâ secundùm existentiam naturalẽ & physicam videremus, nihil novum nobis accideret quantùm ad acquirendum notitiam eorum, quæ in tragico illo pereuntis mundi, & ejus universalis actù agebantur: solùmque posset dici in eo casu, nos modo perfectiori videre res illas in se ipsis, cum respectu visûs corporalis res materiales in se ipsis, & secundùm existentiam naturalem sint perfectius medium videndi, quàm ipsæ secundùm esse intentionale, quod in ipsis speciebus intentionalibus haberent.

Deinde ex Apoc. & S. Thom. in ejus proœmio.

62. Tertiò. Ex Sacrâ Paginâ multa de hâc re suppetit seges. Nam Apocalypseos revelatio facta Joanni Evangelistæ, est his visionibus plena, in quibus per imagines, & rerum varias species mirabilia arcana Deus ipsi manifestavit. Unde Angelicus Thomas in Proëmio Apocalypsis ait: *Vidit visione imaginariâ, & intellectuali secundùm diversos respectus: imaginariâ, in quantum vidit imaginem: intellectuali, in quantum illuminato intellectu intellexit, quæ videbat.* Et Glossa super 2. Corinth. 12. ait; *Quod visio spiritualis, seu imaginaria est, quando aliquis in extasi & somno videt, non corpora (intellige secundùm esse naturale) sed imagines rerum.* Mitto alia de Visionibus Prophetarum, quibus prænuntiabuut ea, quæ videbant secundùm esse intentionale sibi præsentia: in esse tamen physico & naturali solùm futura. Ex his omnibus præintentum discursum facilè recolliges. Tum sic: Atqui Deus independenter ab omni decreto naturalem rerum existentiam præfinienti, habet in clarissimo illo suæ divinæ essentiæ speculo imagines, rationes, sive idæas, in quibus repræsentantur clarissimè & certissimè, non solùm quæ in hâc mundi machinâ versantur; sed infiniti rerum factibilium thesauri. Ergo longè perfectiori modo, quàm in exemplis adductis; habet scientiam perfectissimam rerum omnium, quæ in hâc mundi machinâ geruntur; prout considerantur præintellecta à Deo scientiâ illâ simplicis intelligentiæ; ita ut quando vi sui decreti, & plenissimi dominii videatur de suæ Sapientiæ thesauro nova & vetera proferre, respectu divinæ scientiæ non sint nova, sed solùm vetera, hoc est, æterna & Deo necessaria; solùmque dicantur nova respectu rerum, quæ in tempore fiunt. Patet consequentia. Tum quia Deus creaturas existentes non in se ipsis; sed in divinâ essentiâ, posito præfinienti decreto, videt contingentia solùm se habente ex parte rerum productarum. Tum quia creaturæ existentes perfectius esse habent in Deo., quàm in se ipsis. Ergo perfectius videntur in ipso Deo, Hæc cùm ita sint, elevans mentis aciem

aciem ad illos divinæ sapientiæ, & scientiæ thesauros, meritò exclamat Apostolus ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.*

Propositio 5 nulla scientia Dei imponit necessitatem rebus contingentibus nec causis liberis. Et id probatur de scientiâ simplicis intelligentiæ

63 Propositio quinta. Nulla scientia Dei, sive necessaria, & simplicis intelligentiæ, sive visionis, sive conditionata, imponit necessitatem rebus contingentibus, nec causis liberis. Hæc propositio est de fide Catholicâ tenenda, sicuti ut talis à Sanctis Patribus, & omnium Theologorum & Canonicorum consensu defenditur: quamvis non sit in eâ explicandâ, & probandâ, una omnium mens: Sed rei difficultas eos in diversos dicendi modos distraxerit. Probatur primò de scientiâ necessariâ & simplicis intelligentiæ. Quia quod Deus in medio suæ divinæ essentiæ independenter à decreto determinanti, & præfinienti creaturas, earum contingentiam & libertatem intelligat, non facit, nec præstat, eas futuras esse, aut præfiniendas quantùm ad earum existentiam naturalem, & physicam: cum illis adhuc sic cognitis; liberum sit Deo eas producere, vel non producere. Ergo rectè cum hâc scientiâ componitur, quod causæ liberæ contingentes, & earum actus juxta Dei placitum nunquam existerent. Patet consequentia. Eadem scientia necessaria, quâ causas contingentes, & liberas hujus mundi prænovit, alias prænovit contingentes, & liberas alterius, & alterius mundi, & tamen istæ ex divinæ voluntatis proposito nec sunt, nec unquam erunt; aut fuerunt. Tum sic. Sed ex eo quod scientia necessaria Dei nullam imponat necessitatem essendi in propriâ, & physicâ suâ naturâ causis, sive rebus ex quidditate suâ contingentibus, & liberis, evidenter sequitur, nullam per ipsam scientiam imponi necessitatem operandi in propriâ, & physicâ naturâ: cùm operari sequatur ad esse, & necessitas operandi ad necessitatem essendi. Ergo ex scientiâ Dei necessariâ, quâ, ut vidimus, Deus independenter à suo decreto prænovit hujus mundi machinam, & universam rerum, & actuum contingentium seriem, nulla rebus contingentibus, & causis liberis necessitas imponitur.

Rursùs de scientia visionis ex S. Thom. super Boëtium.

64. Probatur secundò propositio de Scientiâ visionis ex verissimis Angelici Præceptoris principiis in pluribus locis, quæ quia passim tum à nostris, tum ex Thomisticâ Scholâ Doctoribus circumfertur, non est, quod hîc, cùm brevitati disputandi consulimus, repetamus: Unum tamen non omittam, quem Sanctus Doctor expendit super Boëtium de Consolat. ubi supra, prosâ 6. & ult. Ibi: *Quare hæc divina prænotio, quâ Deus novit futura illa, non mutat proprietatem rerum quoad necessitatem, & contingentiam, quia non imponit necessitatem rei, quæ contingens est; sed talia apud se spectat præsentia, qualia olim præcognovit futura, nec confundit rerum judicia, ut contingens, faciat, non esse contingens; sed unico intuitu mentis dignoscit tam necessaria, quàm non necessaria ventura, ideſt, futura. Quod declarat* (scilicet Boëtius) *in exemplo dicens: Sicuti & vos homines quando pariter, & in eodem instanti videtis hominem ambulare in terrâ, & Solem oriri in cœlo, licet utrumque simul sit conspectum, tamen discernitur hoc esse voluntarium; scilicet hominem ambulare in terrâ, & illud esse necessarium, scilicet Solem oriri: Ita similiter divinus intuitus cuncta despiciens, ideſt, deorsum aspiciens, minimè perturbat rerum qualitatem; scilicet contingentiam & necessitatem rerum.* Et paulò infra. *Ut si ponatur æternitas sicut centrum, & totum tempus sicut circumferentia; tunc circumferentia licet continuè moveatur, & pars tori succedat; tamen in comparatione ad centrum uniformiter se habet.* Ita Divus Thomas.

Unde multiplex discursus deducitur pro firmâ dâ propositione.

65. Ex quibus efformari potest multiplex discursus. Primò. Divina prænotio, imò nec divina præfinitio eorum, quæ Deus scientiâ necessariâ prænoverat independenter à decreto, non mutat proprietatem rerum quoad necessitatem & contingentiam: Sed qualia quidditativè necessariò præscivit, talia liberè præfinivit, ut fierent secundùm esse naturale physicum cuique conveniens. Atqui scientiâ necessariâ prævidit Deus naturam Solis, & Ignis, v.g. ut causas necessarias ad comburendum, & illuminandum; & humanum arbitrium ex suâ quidditate, & essentiâ cum potestate, & dominio ad volendum, & nolendum, ad consentiendum, & non consentiendum. Rursùs in hâc, & illâ circumstantiâ novit combustionem, & ortum Solis, ejusque illuminationem, ut actus necessarios; & volitionem in hâc circumstantiâ, & dissensum in aliâ, ut actus quidditativè liberos: quia sicut proprium est illorum actuum ut procedentium à causis naturaliter determinatis, esse necessarios; sic est proprium volitionis, dissensûs, consensûs ut procedentium à causis quidditativè indifferentibus, & liberis, esse contingentes & liberos. Ergo divina præfinitio præfinivit causas necessarias, ut suo tempore fierent, ut necessarias; & causas liberas pro suâ temporis differentiâ, ut liberas & contingentes in operando. Ergo nec decretum liberum Dei, nec scientia, quæ communiter dicitur visionis, imponunt contingentiam causis necessariis, nec contingentibus ullam necessitatem: sed immutatâ proprietate, & qualitate causarum, unamquamque discernit, & producit secundùm quidditatem suæ naturæ sive liberam, aut contingentem, sive necessariam. Major est certa. Quia ex eo quod Deus scientiâ necessariâ simplicis intelligentiæ prænoverit naturam Angeli ut immortalem, & incorruptibilem; & naturam hominis ut corruptibilem, atque mortalem

talem, easdem liberè decrevit, & produxit in esse secundùm proprietates, qualitates, & conditiones naturæ Angelicæ ut incorruptibilis, & immortalis, & naturæ humanæ ut mortalis, & corruptibilis. Ergo ex eo quod eâdem scientiâ necessariâ Deus prænoverit Ignem, & Solem ut causas necessarias & determinatas ad illuminandum, & comburendum; & liberum arbitrium sive angelicum, sive humanum ut causam liberam, & ex naturâ suâ indifferentem indifferentiâ dominii ad utrumlibet: scilicet velle, & nolle, dissensum, & consensum, tales causas præfinivit, & produxit in esse secundùm cujuslibet conditionem, & proprietatem.

66. Unde licet verum sit, quod natura Angeli habeat esse, & existentiam propriæ naturæ à scientiâ, & decreto Dei, ab his tamen non habet, quod sit immortalis, & incorruptibilis; sicut nec quod homo sit animal rationale; nec quod Sol illuminet necessariò. Ergo nec liberum arbitrium habet à scientiâ, & voluntate Dei, quod contingenter, & liberè operetur; cùm id habeat ex quidditate, & proprietate, & conditione suæ naturæ, quam Deus nec imminuit, nec ullo modo immutat. Meritò ergo notavit Sanctus Thomas ubi supra, quod *Deus non imponit necessitatem rei, quæ contingens est; sed talia apud se spectat præsentia, qualia olim præcognovit futura: nec confundit rerum judicia, ut contingens, faciat non esse contingens.*

Probat. 2. Quia si Deus in hujus mundi productione cœco modo procederet cõtingentia cõtingenter necessaria necessariò procederent.

67. Probatur secundò. Quia si Deus (quod absit) cœco modo, & absque providentiâ procederet in hujus mundi productione, & conservatione; nulli etiam imperitorum hominum apprehensioni posset esse dubium, quin liberum arbitrium in suis operibus liberè ageret: & quod omnia contingentia, & libera liberè, & contingenter procederent, sicut necessariò procedent necessaria: non aliâ ratione, nisi quia quælibet causa operaretur secundùm suam naturam, & conditionem. Sed evidens est, per scientiam, & decretum Dei non tolli quidditates & essentias rerum, quamvis à Deo accipiant esse, sive existentiam physicam. Ergo si ex imperitorum hominum apprehensione cum absurdâ illa Dei ignorâtiâ, & improvidentiâ absque inconvenienti, & difficultate conciliarentur liberum arbitrium, omnesque ejusdem operationes liberæ, contingentesq; aliarum causarum contingentium effectus, longè veriùs, & omninò certissimè componuntur hæc omnia cum divinâ providentiâ nec in minimo mutante naturas rerum, quas in esse produxit. Major constat ex Divo Augustino refutante Æthnicorum rationes, præsertim Ciceronis lib. 2. de Divinatione, de quo lib. 5. de Civitat. Dei, cap. 9. ait Magnus Ecclesiæ Doctor: Ibi: *Utrumque arbitrabatur esse non posse; sed si alterum confirmatur, alterum tolli: si eligerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium: si eligerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum: ipse autem ut vir magnus, & doctus, & vitæ humanæ plurimùm, ac peritissimè consulens, ex his duobus elegit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum, atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos.* Minor etiam ex dictis est certissima.

Probat. 3. quia quod Deus pro suâ differentiâ temporis præsentes habeat actus liberos, & cõtingentium causarum effectus, non minuit eorum cõtingentiam, & libertatem.

68. Probatur tertiò. Quia quod Deus pro suâ differentiâ temporis habeat sibi præsentes actus liberos, & reliquos causarum contingentium effectus, non potest ullo modo tollere & minuere eorum contingentiam, & libertatem. Ergo ex scientiâ visionis, & libero decreto Dei nulla causis contingentibus, & liberis necessitas imponitur. Probatur antecedens ex ipsâ ratione, & exemplo Divi Thomæ. Quia licet quis unico intuitu, & eodem instanti, aut tempore & simul, & præsentaliter aspiciat ortum Solis, Petrum deambulare, rectè discernit ortum Solis esse necessarium; deambulationem verò Petri esse contingentem, & liberam, non aliâ ratione, nisi quia intuitus noster non immutat naturam Solis, quæ est necessaria in suo ortu, & illuminatione; nec virtutem Petri, quæ est voluntaria, & libera in operando: unde de ortu Solis, quem sibi præsentem habet, rectè judicat esse necessarium; quia Sol non potuit non oriri, & illuminare ex determinatione suæ naturæ; de deambulatione verò Petri rectè discernit, esse contingentem & voluntariam; quia Petrus potuit non deambulare; cùm liber sit ad deambulandum, vel non deambulandum. Atqui intuitus Dei, qui sibi habet præsentes pro suâ differentiâ temporis ortum Solis, & deambulationem Petri, non immutat, sed potiùs supponit naturam Solis, quæ est necessaria in suo ortu, & illuminatione: nec virtutem Petri; sed eam supponit liberam, & voluntariam ad deambulandum, vel non deambulandum.

Confirmatur Angelici Doct. exemplo de æternitate.

69. Confirmari potest hæc probatio, & simul explicari exemplo illo Divi Thomæ supra, de æternitate Dei apprehensâ ad modum centri infinitæ durationis, & de toto tempore ad modum circumferentiæ concepto; sicut enim punctum centricum, supra quem circumferentia alicujus corporis sphærici rotat, immobiliter, æqualiter, & uniformiter se habet ad omnes partes circumferentiæ, quæ successivè spatium illud, intra quod movetur, decurrunt ita, ut ab illo puncto centrico, & immobili ducantur, aut duci possint tot lineæ, quot fuerint circumferentiæ partes, vel ab ipsis partibus tot lineas rectè ire in idem cẽtrum, mediis quibus rectè imaginamur centrum illud immobiliter esse præsens omnibus partibus circumferentiæ, unicuique per lineam, ei correspondentem; rectèq; deducimus, ut notat Angelicus, in

in eo casu circumferentiam, licet continuè moveatur, & pars parti succedat; tamen in comparatione ad centrum, uniformiter se habere. Sic & per eandem imaginationis speciem, si cum Divo Thomâ discursum Theologicum elevemus; si de Deo dignè sentire velimus, oportet sequentes à nobis meditationes formari. Prima est, æternitatẽ Dei esse veluti centrum immobile infinitæ durationis, ratione cujus excellentiæ & durationis eam veluti præsentem infinito tempori imaginario consideremus; ita ut si Deus tempus ab æterno creasset, ei esset præsens realiter secundùm infinitas ejus partes successivas; de cujus possibilitate in Metaphysicâ fusiori calamo pertractatum est. Unde

Deus est immobiliter præsẽs suo quasi centro æternitatis, & toti tẽpori reali à principio mundi usque in finem

70. Sequitur meditatio secunda, Deum scilicet esse præsentem immobiliter suo quasi centro æternitatis, toti tempori reali à principio creationis mundi ad ejusdem usque finem: quamvis tempus hoc reale respectu nostri, & quoad nos, & in se ipso sit compositum ex partibus præteritis, præsentibus, & futuris: non quod istæ partes sint præsentes æternitati Dei ab æterno; in quo maxima solet esse æquivocatio. Sed quod æternitas sit realiter & immobiliter præsens omnibus partibus hujus temporis finiti secundùm earum differentias: cùm totum hoc tempus quamvis continuò moveatur, & pars parti succedat, veluti circumferentia comparativè ad æternitatis centrum uniformiter se habeat.

Omnes quæcumque causæ & quicumque earũ effectus sunt simul simultate ex parte æternitatis, & divinæ cognitionis Deo præsentes ante decretum.

71. Tertia meditatio; omnes nimirùm causas sive necessarias, sive liberas, & contingentes in operando, ac proindè earum effectus, & actus, sive necessarios, sive contingentes & liberos eo pacto, quo fiunt, & succedunt in partibus hujus temporis circumferentiæ, simul simultate ex parte æternitatis, & divinæ cognitionis esse Deo præsentes ante decretum solùm intentionaliter, & secundùm esse intelligibile, juxta supra datam explicationem: posito tamen decreto præfinienti, sive determinanti hujus mundi machinam, non solùm præsentes secundùm esse intentionale; sed etiam secundùm esse reale, naturale & physicum. Ratio hujus est. Quia æternitas, & divina cognitio non sunt successivæ, sicut partes temporis & humanæ cognitiones: hoc enim maximam in Deo argueret imperfectionem: indignum quippe est sentire de Deo, quod sicut nos modò in parte temporis A præsens cognoscimus objectum aliquod: & posteà in parte temporis B aliud, &c. Sic Deus eâdem successione modò habeat unam rem præsentem, & posteà aliam; sic Deus præsentiam rerum eâdem successione mutabiliter attingat. Ergo licet res creatæ non simul, sed successivæ sint, & mutabiliter decurrant, Deus tamen non successivè, & mutabiliter; sed simul simultate ex parte suæ æternitatis, & cognitionis, eas præsentialiter attingit. Cujus altera ratio (de quâ suprà cum Boëtio, & Divo Thomâ) esse potest. Quia modus cognoscendi sequitur facultatem, & conditionem non rei cognitæ; sed virtutis cognoscentis. Sed virtus cognoscitiva in Deo est indivisibiliter tota simul, sicut ejus æternitas, ut in confesso est apud omnes Theologos. Ergo quamvis proprietas rerum, earumque conditio, & modus sint successivi, eas tamen non attinget præsentialiter juxta naturam & conditionem earum; sed juxta modum, & conditionem virtutis cognoscentis.

Deus sicut me habet præsentẽ, sic Adamum, sic Antichristũ, resq; futuras pro suis temporũ differtiis

72. Quarta. Ex his sequitur primò, quod Deus relativè ad nunc æternitatis; sicut me habet præsentem in hâc differentiâ temporis, & non in aliâ; sic habet præsentem Adamum, & homines, qui præteriêre in suis temporis differentiis, consequenterque habet Anti-Christum sibi præsentem pro suâ temporis differentiâ; sicut & reliquas res futuras. Ratio est. Tum quia licet hujusmodi res creatæ non sint præsentes simul simultate ex parte ipsarum, & comparativè ad partes temporis successivas, in quibus extiterunt, existunt, & extituræ sunt; tamen comparativè ad æternitatem & cognitionem divinam, quæ tota est simul, omnes partes temporis simul cõprehendens rectè dicuntur esse simul præsentes æternitati & cognitioni divinæ. Tum etiam quia Divus Thomas ubi supra, hoc ipsum alio apposito exemplo manifestat dicens: *Aliud exemplum ponitur de aliquo, qui vadit per viam, & non videt homines post se venientes: sed ille, qui de altâ turri respiceret videret totam viam, & homines per eam transeuntes, tam præcedentes, quàm sequentes: sic Deus de speculo suæ æternitatis respiciens omnia, præsentialiter videt tam præsentia, quàm futura.* Ita Scholarum Coriphæus. Quo exemplo manifestatur ut clarum id, quod ex confusione nostri modi cognoscendi cum modo cognoscendi divino, obscuram patitur inter aliquos æquivocationem. Nos igitur, qui deorsùm, & in hâc viâ temporis, & humanarum rerum serie deambulamus, solùm cognoscimus ut præsentia, quæ nobis pro hâc differentiâ temporis objiciuntur: reliqua verò, quorum durationes, & sui temporis differentias non spectamus; vel quia in viâ temporis cursim transière, vel quia nondum extiterunt, solùm ut futura, vel ut jam præterita dignoscimus. At verò Deus, qui non deorsum; sed de prælato illo suæ æternitatis speculo totam viam temporis, & res per eam transeuntes, suâ infinitâ cognitione secundùm omnes ejus partes & differentias simul comprehendit, penetrat, & clarissimè intuetur omnia hæc sibi præsentia, & in conspectu unico habet intuitu.

Deus certissimè cognoscit quę nobis sunt præterita, & futura, nõ tamen ut præterita, & futura respectu sui.

73. Quinta, quæ ex præcedenti deducitur. Deus certissimè cognoscit simul, quæ nobis sunt præterita, & futura; non tamen ea cognoscit ut præterita & futura. Ratio efficax esto. Quia ea, quæ nec sunt, nec erunt respectu nostri; sed solùm fuerunt, sunt verè & propriè præterita: similiter ea quæ nec fuerunt, nec sunt respectu nostri, sed solùm erunt futura dicuntur. Sed ex dictis constat, omnia, quæ hanc temporis viâ successivè decurrunt, respectu Dei esse, & existere realiter; cùm omnes differentias temporis, in quibus sunt, & existunt, simul cognoscat, simulque simultate ex parte æternitatis, & divinæ cognitionis sibi præsentes habeat. Ergo cùm dicimus, Deum certissimè cognoscere absolutè futura; sensus verè Theologicus, & legitimus debet esse, eum cognoscere illa, quæ verè, & propriè respectu nostri futura sunt, sive necessaria, sive contingentia, non quidem ut futura; sed ut præsentia: quamvis hæc, quæ sibi sunt præsentia cognoscat, respectu nostri esse futura, eo quod simul videat, ea non existere secundùm differentias temporis, quæ in hâc temporis viâ, in quâ modò exules versamur, nobis sunt præsentes. Ut ergo doctrina hæc magis elucidetur, nec aliquis falso præjudicio innitens, putet ex hoc præsentaneo rerum contingentium, & actuum liberorum esse respectu divinæ æternitatis, vel ex certitudine, & infallibilitate divinæ essentiæ ullam necessitatem rebus contingentibus, & actibus liberis fato quodam ineluctabili imponi: Unum, vel alterum, quæ contra opponi possunt, breviter attingam, & ut prolixam de hoc puncto disputationem omittam.

Quo pacto cùm præteritum & futurũ sint non ens, possint esse præsentia divinæ cognitioni?

74. Sit primum, quod sibi objecit Doctor Angelicus ubi supra ad interpretationẽ Boëtii. Non ens non potest esse alicui præsens. Sed præteritum & futurum non est ens. Ergo non potest esse præsens cognitioni divinæ. Cui argumento sic satis facit. Ibi: *Dicendum, quod duplex est non ens: quoddam, quod nullo modo est ens; & tale non est realiter præsens alicui: cùm nihil sit. Aliud est non ens, non simpliciter, sed quia actu non est ens: & licet hujusmodi non posit realiter coexistere tempori præsenti; tamen potest coexistere æternitati; quia æternitas cùm sit infinita excedit tempus præsens, se extendendo ad præteritum, & futurum: & sic præteritum & futurum sunt æternitati coexistentia præsentialiter: quia in æternitate non est successio. Unde non sequitur, si aliquid coexistit æternitati, quod pro tanto simpliciter existat: quia æternitas etiam se extendit ad non existens, sicut ad præteritum, & futurum ..... Notandum, quod Deo omnia sunt præsentia, & sibi nihil est futurum: Ideò scientia* (Dei) *non est dicenda præscientia, quæ sonat aliquid futurum, nec debet dici prævidentia propter eandem causam: sed debet dici providentia, quasi procul constituta à rebus inferioribus, omnia respiciens.* Sic Sanctus Doctor, & quidem clarissimè & acutissimè, ac si uno verbo diceret: *Futurum est non ens respectu nostri, & respectu nostri esse non ens certissimè cognoscit,* Est tamen ens pro suâ differentiâ temporis, quam Deus de prælato; infinito suæ æternitatis, & cognitionis speculo sibi præsentem habet, & in eâ est sibi præsens, quod respectu nostri est futurum: aliàs Deus successionem temporis spectaret, sicut & nos, ut res sibi præsentes haberet: quod quidem esset, res successivè cognoscere etiam ex parte suæ sapientiæ, & cognitionis: quod ut quid absonum, & Deo indignum absolutè putamus. Ex hoc autem nihil deducitur contra contingentiam, & libertatem rerum.

Quod à Deo prævisum est necessariò evenit necessitate ex suppositione, non absolutâ.

75. Sit secundum, Quod est provisum à Deo, necessariò evenit, aliter providentia divina esset fallibilis, & contingens. Sed effectus contingentes, & actus liberi providentur à Deo. Ergo ex divinâ providentiâ ineluctabilis necessitas imponitur contingentibus, & liberis. Major probatur. Quia Deus videt esse rerum contingentium & actuum liberorum, antequam fiant. Sed quod necessariò est, antequam fiat, necesse est esse. Ergo. Distinguo majorem. Necessariò evenit, necessitate absolutâ, nego: necessitate ex suppositione, concedo majorẽ. Hæc solutio in omnium sententiâ vera, & communissima est. Illam etiam tradit Divus Thomas in pluribus locis, præsertim ubi suprà super Boëtium, prosâ 6. & ult. Ibi: *Respondebo idem quod futurum est quoad nos, cùm refertur ad divinam notionem, cui ipsum est præsens, dico, necessarium esse; scilicet necessitate conditionatâ, scilicet ratione præsentis. Cùm autem idem futurum perpenditur in sui naturâ, ratione cujus habet futuritionem, & indeterminationem in sui causâ, necesse est videri liberum ..... Notandum, quod sicut illud, quod in se est contingens, quando est nobis præsens, ratione præsentiæ sortitur quandam necessitatem, quâ necesse est esse ipsum esse, dum præsens fit; quia omnia sunt Deo præsentia, ratione istius præsentiæ in ordine ad ipsam divinam cognitionem sortitur quandam necessitatem, licet in sui naturâ prorsùs videantur libera.* Hæc Sanctus Doctor. Unde sicut circumscriptâ, & omni scientiâ, & Dei providentiâ præcisâ, cum nobis est præsens deambulatio Petri, in eâ utrumq; cõponimus: esse scilicet necessariã, & esse liberam: necessariam quidem non necessitate absolutâ; sed solùm conditionatâ: hoc est, relativè ad sui præsentiam: quia res dum est, & præsens est necesse est esse: liberam tamen; quia comparativè ad voluntatem Petri deambulare, & non deambulare potentis, potuit esse & non esse: nec ex hujusmodi præsentiâ respectu nobis ulla absoluta necessitas tali imponitur deambulationi. Sic respectu scientiæ, & providentiæ divinæ nulla

nulla tali deambulationi, nec reliquis effectibus contingentibus & liberis imponitur necessitas absoluta, quamvis ea sint præsentia æternitati, & cognitioni divinæ, licet, ut benè Sanctus Thomas ex tali rerum contingentium, & actuum liberorum præsentia solùm sequatur necessitas conditionata, sive ex suppositione, quâ res, dum sunt, necesse est, esse: Deus enim utrumque comprehendit, & esse actuum liberorum ratione præsentiæ, & eorum causam, ratione cujus potuerunt esse, & non esse in quo potissima libertatis ratio, & natura consistit.

Deus igitur videt rerum, & actuum liberorum cõtingentiam antequã fiant respectu nostri, nõ autem respectu sui.

76. Ad reliqua argumenti, concessâ minori, neganda est consequentia. Ad probationem distinguo majorem: Deus videt esse rerum contingentium, & actuum liberorum, antequam fiant respectu nostri, concedo, antequam fiant respectu Dei, & suæ divinæ cognitionis de prælato suæ æternitatis speculo, videntis unico intuitu, & simul simultate ex parte suæ cognitionis omnes temporum differentias, & res quæ in eis aguntur, nego majorem. Et distinguo minorem: quod necessarium est ex parte causæ, aut alicujus principii intrinseci denominantis, aut prædeterminantis causam, antequam fiat, necesse est, concedo: quod necessariò est, antequam fiat respectu nostri, dummodò fiat & sit præsens respectu Dei, necesse est esse necessitate conditionatâ, & ex suppositione, rursùs cõcedo: necessitate absolutâ, nego minorem. Solutio constat ex nuper dictis, & ejus fundamentalis ratio esse potest. Quia sicut modus cognoscendi sequitur facultatem, conditionem, & modum virtutis cognoscentis, & non rei cognitæ: ex quo principio supra probavimus Deum, quæ incerta ex naturâ suâ sunt, certò cognoscere; & quæ ex naturâ suâ sunt contingentia, scientiâ simplicis intelligentiæ necessariò cognoscere: sic modus operandi creaturarum, sequitur naturam, conditionem, & modum suæ causæ operantis, & non causæ divinæ operantis, nec cognitionis divinæ cognoscentis, quæ nec in minimo immutat naturas rerum, nec modum quo operantur, præsertim in omnium Jesuitarum Scholâ. An autem hic modus operandi in causis liberis in Thomistarum Scholâ ita teneat; constat uberiùs ex Opusculo antecedenti de modo, quo Deus liberum movet arbitrium, ad operandum, & magis ac magis infra innotescet.

Opponitur Deum prævidentem futuram Petri deambulationẽ aut læsurum esse ejus libertatẽ, aut hunc frustraturum Dei providentiam.

77. Sit tertium. Si Deus videret deambulationem futuram Petri, antequam fieret respectu Petri, aut læderet libertatem Petri, aut Petrus posset frustrare, & falsificare providentiam, & scientiam Dei. Atqui sequela hæc quoad utramque partem est absurda; Cùm certum sit certitudine fidei, & Petrum esse liberum, & ipsum non posse effugere, & frustrare divinam providentiam. Ergo ex eo quod Deus certò futura cognoscat, antequam respectu nostri fiant, & sint nobis præsentia, imponitur necessitas rebus contingentibus, & actibus liberis. Major, in qua sistit difficultas, probatur. Quia Petrus, antequam fiat ejus deambulatio futura, quæ Deo præsens esse supponitur, pro suâ differentia temporis, quam sibi præsentem intuetur: vel est liber ad deambulandum, aut non deambulandum; vel tali caret libertate, & est solùm determinatus ad solam deambulationem? Si hoc secundum: tollitur è medio liberum arbitrium: quia jam deambulatio Petri fiet necessaria necessitate absolutâ. Si primum: ergo jam erit in potestate Petri non ponere deambulationem. Ergo jam deambulatio Petri poterit effugere, & frustrare providentiam & scientiam, quam supponitur Deum certissimè habere de illâ ratione potentiæ, & divinæ cognitionis. In hoc ergo difficultatis cardine quasi in limine vertitur & Hæreticorum insanientium audacia, & sit stolida Æthnicorum insipientia: quorum primi potestatem liberi arbitrii, ex ineluctabili divinæ gratiæ fato evertunt: Secundi verò futurorum contingentium providentiam Deo denegarunt: utrumque tamen hæreticum, & stolidum est.

Utrumq; sequelæ extremũ rotundè inficior.

79. Ut ergo ex nostro modo explicandi cum Sancto Thomâ evidentissimè constet potestatem liberi arbitrii penitùs illæsam, & certam erga futura contingentia Dei providentiam omninò indemnem, invicto fœdere conciliari: Respondeo ad argumentum, negando quoad utramq; partem majoris sequelam. Ad ejus probationem dico; quod antequam fiat deambulatio futura respectu Petri, hunc esse liberum ad deambulandum, & non deambulandum: esseque in Petri potestate non ponere deambulationem: & non tamen esse in voluntate aut potestate Petri impedire, ne Deus videat deambulationem suam pro illâ differentiâ temporis, in quâ actu est deambulatio, & quam Deus sibi præsentialiter habet: quia res dum est, necesse est esse; & ex suppositione, quod Petrus illâ differentiâ temporis deambulet, necessariò ambulat; non quidem necessitate absolutâ, & antecedenti, quia attentâ suâ naturâ, & attentis principiis juxta conditionem & modum illius cooperantibus, potuit eam impedire: quia tamen eam non impedivit, nec est impediturus, ut potuit, ideò nunquam potest frustrare, nec effugere certitudinem divinæ providentiæ, nec scientiæ Dei, aliàs esset in voluntate Petri, ne Deus certò sciat quod ipse ignorat, quid ab ipso futurum sit: quod planè absurdum est: cùm incerta respectu nostri, certissimè Deus cognoscat, nec Petrus, aliave creatura possit efficere, aut impedire, ne Deus simul simultate ex parte suæ cognitionis infinitæ & æternæ omnes partes successivas, & differentias temporum sibi præsentes compræhendat

hendat, simulque in ipsis præsentialiter attingat omnia, quæ in illis sive necessariò, sive liberè, & contingenter fiunt: hoc enim esset facere, ne Deus esset æternus, nec infinitus in cognoscendo. Quæ imaginatio ex imperfecto nostro modo cognoscendi translata ad Deum dementissima est. quare utriusq; extremi veritatem Deus certissimè cognoscit: scilicet in voluntate Petri contingentiam, & libertatem deambulationis, & necessitatem istius ex suppositione, sive conditionatam, pro differentia temporis, in quâ existit, & est præsens Deus.

Solutio patet ex Boëtio 5. de consol. prosa 6.

79. Hæc solutio aut est eadem, aut expressè colligitur ex Boëtio, & Angelico Præceptore ubi supra. Etenim Boëtius lib. 5. de consolat. prosa 6. sic discurrit: Ibi: *Quid igitur, inquies, ex meâ dispositione scientia divina mutabitur: ut cùm ego nunc hoc, nunc aliud velim, illa quoque noscendi vices alternare videatur? Minimè: omne namq; futurum divinus præcurrit intuitus, & ad præsentiam propriæ cognitionis retorquet, ac revocat; nec alternat, ut tu æstimas, nunc hoc, nunc illud prænoscendi vices: sed uno ictu mutationes tuas manens prævenit, atque complectitur, quam comprehendendi omnia, visendiq; præsentiam. non ex futurarum proventu rerum; sed ex propriâ Deus simplicitate sortitus est. Ex quo illud quoque resolvitur, quod paulò ante posuisti; indignum esse, si scientiæ Dei causam futura nostra præstare dicantur. Hæc enim scientia vis præsentariâ notione cuncta comprehendens, sive complectens, rebus omnibus modum ipsa constituit; nihil enim posterioribus debet.* Sic Boëtius.

Et ex S. Th. ibid.

80. Sequitur Glossa Magistri Angelici, Ibi: *Tu objicies contra solutionem: Si in potestate meâ est mutare propositum meum; scilicet currendo, & non currendo: Ergo evacuabo: idest frustrabo providentiam divinam, cùm ego mutavero illa quæ prænoscit esse futura.* Ipse solvit dicens: *Ego respondebo, te posse deflectere, idest mutare propositum tuum: sed veritas providentiæ illa intuetur, illud te posse; scilicet mutare propositum: Et an facias, quod propositum mutes; & intuetur, quo convertis tuum propositum: ideò scias te non posse vitare divinam præscientiam: sicut quamvis liberâ voluntate te convertas in varias actiones, tu non poteris effugere intuitum præsentis oculi ..... Nota, quod licet homo possit mutare propositum suum; per hoc tamen non effugit præscientiam divinam; quia Deus illam mutationem prænoscit: posito enim, quod Deus prævideret, te cras iturum ad forum, quamvis possis non ire, & proponas non ire, non tamen non ibis: quia Deus prævidet simul & propositum, & potestatem non eundi, & mutationem propositi, & actionem eundi: & ideò non potes aliquomodò effugere ejus præscientiam.* Hæc Sanctus Thomas: quæ valdè probant, & illustrant supra datam solutionem, suntque valdè notanda pro concordiâ liberi arbitrii cum scientiâ Dei, voluntate, & gratiâ, de quibus infra.

Recursus plurium ad virtuales divinæ æternitatis partes multiplicatus est necessarius, imò indignus ad cōcipiendam æternitatem.

81. Scio, Recentiores Thomistas (quibus ex nostris plures subscribunt) ut defendant præsentiam rerum contingentium in æternitate Dei, confugere ad partes virtuales divinæ æterninatis, ita ut per unam partem virtualem parti temporis, in quâ Anti-Christus, v. g. non existit; & per aliam alteri parti futuri tēporis, in quâ Antichristus existet, correspondeat; & sic quot sunt partes tēporis realis successivè formaliter, totidem, & plures partes virtuales in Dei æternitate meditantur, ut videri potest apud Gonetum disput. 4. de scientiâ futurorum contingentium artic. 7. §. 4. num. 220. & §. 8. num. 253. Verùm hæc meditatio, præterquam quod sit minimè necessaria, ad verum conceptum æternitatis divinæ videtur indigna. Tum quia ex eâ sequitur æternitatem divinam esse virtualiter successivam, habereq; partes successivas virtualiter, sicut tempus habet partes formaliter successivas. Sed habere partes formaliter successivas, est imperfectio formalis temporis creati. Ergo assignare in Deo partes virtualiter successivas, aliud non est, quam imperfectionem formalem durationis creatæ transferre virtualiter ad Deum. Undè dum Magister Gonet contendit Dei æternitatem exponere perfectissimam, eam efficit virtualiter imperfectā. Sed verum judico, quod ipse Magister edocet ibidem num. 243. videlicet res omnes creatas in propriâ duratione esse ab æterno, non in illâ ut in se; sed ut in æternitate tanquam in mensurâ superiori contenta, ac proinde æternitatem cùm in duratione sit infinita, posse per modum mensuræ res continere certas, nondum in propriâ mensurâ existentes: & num. 246. in fine, coexistere Deo, ab æterno convenire rebus temporalibus ratione modi essendi, quem habet in æternitate tanquam in mensurâ superiori, non tamen posse verificari de illis, prout sunt in propriâ mensurâ, & duratione.

Quid sit creatas res esse ab æterno in æternitate tanquā in superiori mensurā contentas.

82. Verùm hic de Scholâ Thomisticâ præclarè meritus Magister non videtur assequi, ut ipse putat, mentem Divi Thomæ: stemus simul. Primò res creatas esse ab æterno, in æternitate tanquam in mensurâ superiori contentas: clarè denotat, res creatas habuisse & habere esse ab æterno cum hac terminorum restrictione: scilicet in æternitate tanquam in mensurâ superiori. Vel ergo hoc esse, de quo loquitur Magister iste, est esse proprium & physicum creaturarum, quale nunc videmus habere res omnes præsentes pro suis propriis temporum differentiis: vel solùm esse objectivum, aut aliud esse eminentiale, sive virtuale? Si hoc ultimum: non defenditur mens Divi Thomæ asserentis res creatas esse & fuisse præsentes

præsentes realiter, & secundùm esse naturale, & physicum æternitati, & scientiæ Dei. Si primum: Ergo res creatæ fuerunt ab æterno secundùm esse proprium, & reale physicum suæ naturæ: hoc autem absurdum est: cùm fide Catholicâ constet, in principio creasse cœlum & terram: quod autem dicatur fuisse in æterno ab æternitate tanquam in superiori mensurâ, nisi hoc bono sensu explicetur, non enervat difficultatem.

quo pacto quidquid est Deo ab æterno præsens illi ab æterno coexistat.

83. Dices. Quidquid est præsens ab æterno, Deo ab æterno coexistit. Sed Divus Thomas, ut constat ex locis supra citatis, & sæpè alibi clarè edocet, res omnes, & futura contingentia fuisse, & esse præsentia realiter Deo ab æterno. Ergo coexistunt Deo ab æterno saltem in æternitate tanquam in superiori mensurâ. Major constat. Minor etiam patet ex verbis Sancti Doctoris 1. part. artic. 13. Ibi: *Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt ab æterno Deo præsentia, non solùm eâ ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes (ut quidam dicunt) sed quia ejus intuitus fertur ad æterno super omnia prout sunt in suâ præsentialitate.* Respondeo distinguendo majorem: quidquid est præsens Deo ab æterno, coexistit Deo ab æterno, coexistentiâ utriusque extremi se habente ab æterno, nego: coexistentiâ se habente ex parte unius extremi; scilicet Dei, concedo majorem. Ratio solutionis est. Quia aliud est Deum ab æterno esse præsentem, & coexistentê rebus omnibus creatis ex infinitâ suæ æternitatis, & divinæ scientiæ perfectione: & longè diversum est, præsentiam & existentiam creaturarû fuisse ab æterno in æternitate Dei, tanquam in mensurâ superiori. Primum est verissimum: quia cùm Deus nec successivè existat, nec successivè cognoscat, necesse est quod ex parte sui simul coexistat omnibus, simulq; simultate cognitionis omnia cognoscat. Unde negari nõ potest, Deum ab æterno habere sui præsentiam, existentiâ, & cognitionem divinam: quia talis præsentia, quâ Deus est præsens rebus creatis; & existentia quâ dicitur Deus creaturis coexistere, aut creaturas coexistere Deo; similiterque divina scientia, quâ omnia creata simul unico cognoscit intuitu, planè sunt ab æterno ut perfectiones infinitæ Dei.

falsum est creaturarû existentiã fuisse ab æterno præsentẽ in Dei æternitate tanquã in superiori mensurâ.

84. Secundum verò est falsum. Quia nulli potest esse dubium, præsentiam & existentiam physicam creaturarum fuisse in tempore, & nullo modo ab æterno; ut ex Sacrâ Scripturâ constat. Hinc est, quod si præsentia, & existentia creaturarum, quibus dicuntur esse præsentes, & coexistere Deo ab æterno, accipiantur ex parte ipsarum creaturarum, non tam esse dicendum, creaturas ab æterno esse, aut fuisse Deo præsentes realiter & physicè; quàm eas extempore, aut in tempore esse, aut fuisse Deo præsentes ab æterno. Ratio est. Primò. Quia ly *ab æterno*, propriè loquendo, denotat terminum sine termino, vel quasi terminum, *à quo*, sine principio; vel aliquid semper fuisse: Cùm ergo certum sit, rebus creatis id non competere non solùm essentialiter, sed nec actualiter; cùm suæ existentiæ realis, & physicæ principium referant; non potest in hoc sensu dici, creaturas ab æterno fuisse, aut esse Deo præsentes etiam in ejus æternitate, tanquam in superiori mensurâ. Secundò. Quia creaturæ solùm ex tempore, & in tempore sunt Deo præsentes ab æterno secundùm esse physicum, & reale: sufficit enim ad verificandum hoc, quod Deus ab æterno, & sine ullo principio simul simultate ex parte suæ cognitionis videat quasi à longè, & infinitè distantes creaturas: quemadmodum Sol ex suæ altitudinis eminentiâ partes inferiores terræ inter se, & ab ipso Sole distantes, dicitur sibi præsentes habere simul, quin earum partium inter se distantia, & ab ipso Sole, sive cœlo, in quo Sol est, impediat ullatenùs ipsarum præsentiam, & coexistentiam cum Sole.

Creaturæ in suâ propriâ durationè infinitè distãt à præsentiâ, existentiâ, & æternitate divinâ

83. Unde ut omnem ambiguitatis ansam præcidamus, ex hoc ultimo exemplo duo oportet considerare. Primum est, existentiam & præsentiam creaturarum secundùm suum esse reale, & physicum infinitè distare in suâ propriâ durationè ab ipsâ præsentiâ, existentiâ, & æternitate ipsius Dei: ita ut verè hîc & nunc dicere possimus, existentiam Dei, ipsiusque præsentiam, & durationem retrò, & in infinitum ante præcessisse omnem præsentiam, & existentiam creaturarum. Secundum verò est, hanc distantiam infinitam ratione propriæ durationis (cujus veluti spatium quasi mediat inter medium & creaturas) nihil obstare, quominùs verè dicatur, creaturas esse præsentes, & Deo ab æterno coexistentes, non quod existentia, & præsentia creaturarum sit, nec fuerit ab æterno in ipsâ Dei æternitate veluti in superiori mensurâ; sed quod Deus ex perfectione suæ æternitatis, quæ est tota simul infinitè, & simul omnia tempora ambiens, & ex perfectione scientiæ divinæ, quâ procul, imò infinitè distantes simul videt res creatas in suâ, & pro suâ differentiâ temporis: ac proindè quod Deus simul simultate ex parte cognitionis res infinitè distantes in ratione durationis comprehendat: si enim experientiâ ostendit, perspectivæ artis industriâ sic attemperatâ, fabricari perspicilia, ut appropinquent, & sibi præsentes reddant res procul distantes, & aliundè ignotas, & oculis nostris absentes; quid ni hoc ipsum longè perfectiori modo infinitæ perfectioni divinę scientiæ tribuatur.

86. Quare hic explicandi modus in re planè difficili, videtur Sanctorum Thomæ, & Augustini menti magis consentaneus: ait enim

enim Angelicus ubi supra dicto artic 13. *Sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in suâ præsentialitate.* In quibus verbis ly *fertur* denotat, Deum ab æterno, & sine principio videre res procul, & in suâ præsentalitate & existentiâ propriâ infinitè distantes. Et Sanctus Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 25. *Res antequam fierent, non fuerunt, sed ante dico æternitate, non tempore.* Ergo sensit Sanctus Doctor, creaturas non fuisse ab æterno in æternitate, antequam fierent. Denique Sanctus Petrus Damiani epist. 4. de Omnipotentiâ cap. 8. sic Theologicè discurrit: *Omnia quæ apud nos elabendo discurrunt, & per temporum vicissitudines se variant: apud illud hodie (* scilicet æternitatis*) stant & immobiliter perseverant: In illo* Hodie, *dies ille adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem: In illo* Jam, *& ille nihilominùs est, in quo judicandus per æterni judicii æquitatem.* Tandem pro hâc, & hujusmodi cõtroversiis opùs est, exuamus species illas, quibus quoad nos de tempore, & rerum successione discurrimus.

Propos. 6. Deus suâ scientiâ necessariâ prænovit sibi præsentem 2. esse intelligibile to hujusmodi rerum seriem â principio usqne ad finem.

87. Propositio sexta. Deus in suâ scientiâ necessariâ, & independenter ab omni decreto habuit, & prænovit ut sibi præsentem secundùm esse intentionale, & intelligibile totam hanc rerum futurarum, & sibi invicem succedentium machinam eo ordine, serie, & dispositione mirabili, quo temporum vices à principio ad metam usque mundi rerum cõtingentium eventus successivè ostendunt. Hæc propositio ex antecedenti deducta, pro recto usu, & explicatione scientiæ mediæ utilis quidem est, & facilè probatur. Primò. Quia Deus scientiâ necessariâ prænovit, possibilia esse ea omnia, quæ posito decreto, ut futura respectu nostri prænoscit, & ut præsentia respectu sui, ita ut non alio modo juxta hanc rerum seriem possibilia præscierit, & alio modo futura, & præsentia: Sed eodem prorsùs modo, quo Deus v. g. pro suâ differentiâ temporis ab æterno videt, & providet deambulationem Petri, vel ejusdem liberum consensum sibi præsentes secundùm esse physicum, & naturale, quin talis providentia obstet contingentiæ, & libertati talis deambulationis, aut consensûs; sic nec alio modo Deus suâ scientiâ necessariâ talem deambulationem & consensum prænovit. Atqui, ut probatum manet in antelapsâ propositione, nullo modo derogat contingentiæ & libertati talis deambulationis, & consensûs, quod eos habeat præsentes pro suis temporum differentiis. Ergo Deus suâ scientiâ necessariâ independenter ab omni decreto prænovit, &c. Probatur major. Primò. Quia omnia præsentia, præterita, & futura sub hâc rerum formâ, & dispositione fuerunt possibilia; cùm ab actu ad potentiam sit evidens consequentia. Secundò. Quia, ut suprà etiam ostensum est, Deum independenter ab omni decreto præfinienti habet rationes, & idæas omnium rerum contingentium, non solùm quantùm ad causas necessarias, & liberas in actu primo; sed etiam quantùm ad earum effectus, & actus secundos contingentes, & liberos. Ergo in earum medio cognovit hæc omnia ut possibilia: aliàs improvidè & ignoranter procederet ad productionem, & fabricam eorum omnium, quæ in esse, sive existentiam deducit. Ergo quod Deus scientiâ necessariâ prescierit deambulationem Petri possibilem potiùs, quàm nõ deambulationem, vel pœnitentiam possibilem Divi Petri potiùs quàm ejus carentiam, aut oppositum; aut impœnitentiam Judæ, potiùs quàm ejus conversionem; non quidem possibilitate causæ, quæ prænoscitur à Deo ex naturâ suâ indifferens ad utrumlibet; sed possibilitate actûs secundi, quem necesse est, comprehendat Deus ut necessarium ex suppositione in esse intentionali, & secundùm esse intelligibile sub hac rerum serie, & dispositione: derogare non potest libertati & contingentiæ rerum, nec ullum inferre præjudicium libertati actuum voluntatis creatæ: præsertim cùm in aliâ rerum serie possibili, & in aliis circumstantiis possibilibus oppositum etiam suâ necessariâ cognitione Deus per modum simplicis intelligentiæ cognoscat. Si enim aliquis coram staret speculis, impedire non posset, ut in illis ipse, ejusque omnes externi actus apparerent: cùm autem Deus sit speculum necessarium omnia loca & tempora circumscribens, quidquid fuit, est, & erit, in illo apparet intentionaliter, & intelligibiliter, quin sit in hominum libertate suos actus celare ab illo infinito speculo.

Deinde probatur assertio ex maximâ cõmendatione perfectionis scientiæ divinæ

88. Probatur secundò. Quia certum est, perfectionem divinæ scientiæ maximè commendari ex eo, quod Deus plenè cognoscat naturas omnium rerum, & earundem effectus, quos à principio mundi, & ad ejus usque finem producturus est juxta præscriptum ordinem suæ divinæ providentiæ. Atqui hæc commendatio divinæ perfectionis non advenit, nec accrescit Deo ex contingenti rerum existentiâ: aliter hâc, ut potuit, deficiente, consequenter deficeret divina perfectio. Ergo dicendum est, hanc divinæ scientiæ perfectionem ex eo commendari, in eoque consistere, quod Deus in suâ divinâ essentiâ ut infinitè imitabili, vel in suis rationibus, & idæis, quas intrinsecè & necessariò præhabet, ut infinitus, & perfectissimus omnium rerum Artifex; plenè necessariò, & perfectissimè prænoverit indepenenter à decreto præfinienti totam hanc rerum machinam secundùm ordinem, quem sub hac rerum serie ei divina sapientia præfixit.

89. Hæc ut clariùs illustrentur, finge casum, quo Deus noluisset perfectam hujus

mundi

mundi machinam producere: in hâc ergo hypothesi satis possibili, de sequentibus te consulo. Primò. An ex defectu hujus mundi quoad ejus physicam & naturalem existentiam deficeret Deo aliqua perfectio? Respondebis negativè, quia sicut per existentiem contingentem creaturarum nulla Deo superaccrescit perfectio juxta doctrinâ Divi Thomæ opusc. 60. dicentis: Ibi: *Notandũ quod per reductionem creaturarum in Deum nihil Deo accrescit.* Sic ex defectu talis existentiæ nihil divinæ perfectionis, nec in ratione scientiæ, alteriusve attributi ei deficeret. Secundò. An ex eodem creaturarum defectu deficient Deo rationes illæ, sive ideæ, ad quarum formam & imitationem perfectam hujus mundi machinam digito, ut aiunt, efformavit? Si neges; nihil occurrit advertsùs te dicendum. Si autem affirmes, contra est. Primò. Quia tales rationes, aut ideæ nihil aliud sunt quàm essentia divina ut infinitè imitabilis à creaturis. Sed ex defectu creaturarum aut existentiæ hujus mundi non deficeret hæc infinita divinæ essentiæ imitabilitas, essetq; eodem modo divina essentia intrinsecè imitabilis, quamvis ex tali suppositione creaturæ actu eam non imitarentur. Ergo ex creaturarũ defectu quoad suam existentiam physicâ & realem nõ deficerent tales rationes, sive ideæ divinæ, quas creaturæ cum actu producuntur actu imitantur: quod si non producerentur, eodem prorsùs modo rationes illæ & ideæ divinæ imitabiles intrinsecè remanerent. Contra est secundò. Quia ut ex verâ Theologiâ, & Sanctorum Patrum doctrina superiùs constat, in Deo sunt rationes & ideæ infinitarum rerum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futuræ sunt. Sed in casu posito perinde se haberet hæc mundi machina, ac modò se habent infinitæ creaturæ purè possibiles, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futuræ sunt. Ergo in tali casu non deficerent rationes & ideæ, ad quarum formam hæc mundi machina constructa fuit.

Id multiplici ratione fundatur.

9. Contra est tertiò. Quia ex eo, quod Artifex creatus independenter à voluntate, & proposito constituendi domum, formaret idæam, & rationem alicujus domûs fabricandæ: si postea nollet talem domum ad formatæ ideæ imitationem ædificare, non ex eo deesset artifici illi ars, & plena notitia illius domûs. Ergo multò minùs deficeret Deo perfectissima scientia totius fabricæ hujus mundi, quamvis hic mundus deficeret quoad ejus existentiam naturalem & physicam. Contra est quartò. Quia scientia etiam creata non est de contingentibus. Ergo propria & perfecta scientia Dei non est de rebus hujus mundi, quatenùs contingentes sunt, & se possunt aliter habere. Ergo solùm potest esse de iis rebus, quatenùs necessariò cognoscuntur secundùm esse intelligibile, & physicum in essentiâ divinâ. Atqui deficiente mundo sub hâc rerum serie, & dispositione quantum ad ejus existentiam propriam & naturalem, nunquam deficeret secundùm esse intentionale & intelligibile in essentiâ divinâ. Ergo eadem perfectissima scientia Dei, quam modò Deus habet de his rebus contingentibus, maneret perfectissima in Deo, quamvis nunquàm fuissent tales creaturæ. Contra est quintò. Quia etiamsi artifex creatus post formatam idæam domûs, nollet eam ad extremũ opus educere; absque dubio rogatus de talis domus dispositione, camæris, cubiculis, januis, & aliis perfectionem ejus concernentibus, posset reddere plenam notitiam de tali domo, non minùs ac si eam struxisset. Ergo longè perfectiùs, si perfectissimus, & infinitus, qualis est Deus, rogaretur de totâ hâc rerum machinâ, dispositione, rerum ordine, circumstantiis, causis sive liberis, sive necessariis, ac de earum actionibus; etiamsi hęc omnia quantum ad existentiam naturalem & formaliter contingentem deficerent, posset reddere perfectam rationem de omnibus illis, certoque respondere ex tali suppositione, quod si mundus hic fuisset ex divinæ voluntatis proposito conditus: Anti-Christus v. g. peccasset, Adamus ab originali justitiâ decederet, Petrus in Passione Christi deficeret, Judas ipsum proderet: Petrus tamen esset convertendus, damnandus verò Judas: Et sic de aliis: sicut modò ipsum hoc posset nobis revelare de pluribus rebus, quas sub aliâ rerum serie potuit, noluit tamen producere. Certè si omnia Deo Maximo denegarentur, infinitæ ejus scientiæ, ac sapientiæ maximè derogaret.

Deus ergo ante omne decretum præ novit mundi machinã ejusq; rerum seriem scientiâ necessariâ & simplicis intelligẽtiæ

91. Relinquitur ergo Deum independenter ab omni decreto præfinienti, aut determinanti hujus mundi machinam, ejusque rerum seriem, prænovisse scientiâ necessariâ, quæ communiter simplicis intelligentiæ dicitur, omnia, quæ hic & nunc contingenter fiunt, quin ullum fiat præjudicium contingentiæ & libertati rerum. Non enim ex Theologico hoc discursu sequitur, quod scientiâ necessariâ futura aut futura cognosceret, nec quod contingentia contingenter prævideret; sed solùm quod certò cognoscit ea, quæ per decretum respectu nostri futura sunt; vel quod certissimè cognoscit ea, quæ ex naturâ suâ contingentia sunt; cùm ex dictis plenissimè constet, certitudinem divinæ scientiæ non sequi modum, & cognitionem rei cognitæ; sed solùm virtutis divinæ cognoscentis, juxta ea, quæ fusiori calamo supra illustravimus ex doctrinâ Sancti Thomæ.

Propos. 7. Notanda est D. Th. doctrina 1. p. q. 14. a. 9. circa futura cõtingentia.

92. Propositio septima circa futura conditionata (ut à pluribus abstineamus, quæ tum nostri Doctores, tum Thomistæ certatim disputant) præ oculis habenda est

est Divi Thomæ doctrina apud Magistrum Lermam lib. 2. quæst. 5. de ente rationis, 1. p. quæst. 14. artic. 9. Ibi: *Quæcumque igitur possunt per creationem fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus.* Ex quibus clarè & verissimè infertur, Deum certò cognoscere omnes veritates conditionatas omnium illarum propositionum, quas humanus intellectus potest sub aliquâ conditione formare. Hæ autem propositiones sunt in duplici differentiâ: aliæ, quarum veritas sub hypothesi, aut conditione factâ certum pro hoc rerum statu obtinebunt effectum: aliæ verò quæ sub tali hypothesi, aut conditione certum quidem effectum obtinerent; sed ex defectu existentiæ talis conditionis non illum obtinebunt. Primo modo talis est illa propositio, quæ post lapsum & negationem Divi Petri tempore passionis Domini formaretur: scilicet *Si Christus Dominus respexerit Petrum, convertetur, & pœnitentiam aget*: Cujus veritas conditionata effectum habuit ex positione, & existentiâ illius conditionis: Respexit enim Jesus Petrum, & hic flevit amarè. Similis est illa propositio, quæ de proditore Judâ formaretur: videlicet *Si Judas post nefandam illam sui Magistri proditionem osculo accipiatur à Christo Domino, indurescet, & impœnitens abibit, ac laqueo se suspendet*: Nam indurationis & impœnitentiæ Judæ effectus sequutus est ex malâ ejus dispositione, quamvis extiterit conditio illa Judam osculo accipiendi; & sic de aliis propositionibus, quæ formari possunt, quarum veritas conditionata, etsi respectu nostri incerta, & contingens sit, certum tamen obtinebit effectum. De propositionibus verò cõditionatis, quarum veritas certum pareret effectum, si earum poneretur conditio; eum tamen non obtinebit ex non existentiâ, nec futuritione absolutâ conditionis: Sunt varia exempla ex sacro Textu deprompta. Constat enim ex 1. Regum 23. etenim cùm David fugisset Ceilam, & Dominum consuluisset: Ibi: *Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui mecum sunt, in manu Saül? Respondit ei Dominus tradent.* Et Matthæi cap. 11. *Si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ in vobis factæ sunt olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent*: & sic de aliis, quæ passim tum in libris, tum in disputationibus circumferuntur. His præmissis.

In objecto conditionato 3. considerantur, nempè antecedens, consequens & utriusque nexus.

93. In objecto conditionato tria veniunt consideranda ex communi utriusque Scholæ doctrinâ: scilicet antecedens, consequens, & utriusque nexus. *Antecedens* est conditio illa, sub quâ objectum affirmatur: v.g. in futuro illo conditionato Matt. 11. Cõditio illa, *si factæ fuissent virtutes, &c.* dicitur antecedens. *Consequens* est, quod affirmatur extiturum sub illa conditione; ut in eodem loco: *In cilicio & cinere pœnitentiam egissent*; dicitur consequens sub tali conditione futurum. *Nexus* verò *utriusque* est ipsa importata connexio inter objectum sub conditione, & ipsam conditionem: v.g. Connexio illa pœnitentiæ Tyriorum cum virtutibus illis, si in Tyro & Sydone factæ fuissent: defectu cujus ista propositio conditionata; *Si musca volaverit Turca damnabitur*; & aliæ hujusmodi, quæ nullam connexionem virtutis, aut medii continent, ad præsentem controversiam impertinenter se habent. Ex præjactis igitur præludiis, omissis utriusque Scholæ Doctorum placitis, eorumque doctrinis & explicationibus, instituti nostri solùm erit, verum, legitimumque scientiæ mediæ sensum, in Scholis Societatis perpetuò propugnatum, ex Sacrâ Scripturâ: Et mente Sanctorum Augustini, & Thomæ, ad veritatis & Scholasticæ rationis lancem breviter expendere.

QUÆSTIO II.

An Scientia Media sit in Deo necessariò constituenda circa futura & conditionata.



MEt præintentæ resolutionis scopum in hâc, & sequentibus Quæstionibus attingam, & ut ea, quæ in utràque Scholâ conspicua, & certa sunt, ab incertis, & seriò disputandis secernamus. Operæ pretium duxi aliqua vel levi calamo præmittere; ea scilicet, in quibus Thomistæ cum Doctoribus Societatis conveniunt; & in quibus Jesuitæ omnes à Thomistarum doctrinâ certatim multis abhinc annis usquequaque recedunt, atque discordant.

LECTIO I.

Uno vel altero præmisso, Scientia Media asseritur & probatur.

In Schola Societatis ipsissima est scientia conditionata & scientia media.

94. PRæmitto primò. Scientiam Mediam, & scientiam conditionatam in Scholâ Societatis à primævo hujus controversiæ litigio, non duas, sed unam, & eandem reipsâ tam formaliter, quàm virtualiter scientiam fuisse, & nomine tenus differre dumtaxat, ut palàm fiet iis, qui circa punctum hoc Authorum Societatis dissertationes evolverint. Jam verò ut Thomistica

mistica Schola longiùs declinaret à scientiâ conjecturali, maximèque recederet ab opinione Curielis, Cabreræ, & aliquorum Thomistarum, hujusmodi scientiam Deo circa futura conditionata tribuentium; uti à Recentioribus passim asseritur; scientiam conditionatam Dei liberè amplexa est. Ast vel ad ipsum nomen scientiæ mediæ sic inhorruit, ut totam adversùs illam mentis aciem intenderit. Quare autem eandem scientiam sub nomine scientiæ conditionatæ Thomistæ susceperint, identidemq; sub nomine scientiæ mediæ rejiciant? Anceps hæreo, & ratio dubitandi est. Quia ex certis utriusque Scholæ principiis cùm scientia Dei sit unica, indivisibilis, & infinita perfectio, solùm multiplicatur ex diversitate objectorum, vel potiùs ex diverso modo attingendi objecta. Atqui præter objecta purè possibilia, quorum scientia dicitur simplicis intelligentiæ; & præter objecta existentia absolutè futura, quorum est scientia visionis, dantur objecta purè conditionata. Ergo præter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis; debet in Deo dari scientia conditionata, sumpto hujus scientiæ nomine ab ipso objecto conditionato, cujus certissimam scientiam non potest non habere Deus. Hic discursus legitimus est apud Thomistas. Subsumo nunc pro scientiâ mediâ. Sicut præter objectum purè possibile, & objectum absolutè futurum datur objectum contingens conditionatum; sic inter possibile, & objectum contingens absolutè futurum, mediat objectum contingens conditionatè futurum. Sed scientia Dei dicitur rectè conditionata ab objecto conditionato. Ergo ex eo quod tale objectum conditionatum sit medium inter purè possibile, & absolutè futurum; si connexio doctrinæ saltem in modo loquendi tenenda est, talis conditionatorum cognitio rectè potest dici scientia media in Deo.

Non infringit dubitandi rationē Goneti, Godoy & aliorū Thomistarum dictum.

95. Nec obstat, si cum Gonet, & Godoy ex communi Thomistarum sensu dixeris, scientiam mediam apud Jesuitas eam haberi, quâ Deus independenter ab omni Decreto præfinienti, objecta contingenter conditionata certò prænoscit. Hoc, inquam, non obstat, ut Thomistæ adversùs nomen scientiæ mediæ tam acriter, & contentiosè invalescant: Primò, quia Jesuitarum Schola eodem modo, quo ante omne decretum præfinitum defendit scientiam mediam circa contingentia conditionatè futura, propugnat ante tale decretum scientiam conditionatam. Sed talis modus non obstat, quominùs scientiam conditionatam Schola Thomistica sub hoc nomine libenter suscipiat. Ergo nec potuit obstare, quin eandem sub nomine scientiæ mediæ Societas Jesuadum susceperit propugnandam. Secundò. Quia nomen scientiæ mediæ non est scientiæ Dei impositum ab eo, quod sit, vel non sit in Deo ante ullam divinæ voluntatis præfinitionem; cùm ante istam sit scientia simplicis intelligentiæ, quæ nullo modo dicitur media, sed solùm ex eo, quod inter objecta purè possibilia, & absolutè futura medient objecta contingentia conditionatè futura, quocumque modo medient hujusmodi objecta. At Schola Thomistica planè fatetur, talia objecta conditionatè futura saltem post decretum prædeterminans subjectivum ex parte Dei, omninò mediare inter possibilia, & contingentia absolutè futura. Ergo quâ ratione post tale decretum ei tribuit nomen scientiæ conditionatæ, si connexioni doctrinæ, & recto modo loquendi standum sit, deberet ei, deposito tædio, scientiæ mediæ nomen adscribere.

Conditionata Thomistarum nec est simplicis intelligentiæ, nec visionis ergo media.

96. Tertiò. Quia hujusmodi scientia conditionata, quam post tale decretum docent Thomistæ, nec est scientia simplicis intelligentiæ. quæ versatur circa purè possibilia, nec scientia visionis absoluta, quæ solùm attingit objecta absolutè existentia, vel absolutè futura. Ergo est media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutæ visionis, post tale decretum subjectivum. Ergo sicut Jesuitica Schola defendit scientiam mediam, eamque communiter reducit ad scientiam simplicis intelligentiæ, eo quod objecta contingentia conditionatè futura mediant ante omne decretum præfinitivum, inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis absolutè: sic Schola Thomistica re ipsâ propugnat scientiam mediam in Deo, quam communiter reducit ad scientiam visionis, eo quod hujusmodi contingentia conditionatè futura mediant post decretum prædeterminans, quod subjectivè adstruit in Deo, inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutæ visionis. Ergo utraque Schola re ipsâ scientiam mediam circa contingentia & libera conditionatè futura abstruit & propugnat in Deo: Jesuitica ante omne decretum præfinitivum: Thomistica verò post tale decretū subjectivum in Deo. Hæc cùm ita sint, missis jam solius nominis & verborum circumstantiis, ac disputandi offuciis, mirandum sanè est, quantum Gonet, quantum Godoy, quantum & alii Sapientissimi Thomistæ desudaverint, ut nomen scientiæ mediæ Orbi Litterario infensum redderent; cùm totus utriusque Scholæ conatus eò pervenerit, ut probationes Theologicæ dirimant, an scientia conditionata, & media, quam ante omne decretū subjectivè præfinitivum, nostri Doctores Deo adscribunt, sit tenenda? An verò scientia conditionata, & media quam Schola Thomistica post decretum prædeterminans subjectivè ex parte Dei, acerrimè contendit & adstruit, ut melioris conditionis sit

amplectenda? Pro cujus decisione jus hactenùs fuit, & est in armis, vincet, qui poterit.

In sciētiâ mediâ 2. importantur, & cognitio certa futurorum conditionatorum, & ejus indepē dentia ab omni decreto prę finienti & prædeterminanti.

97. Præmitto secundò cum Goneto, ut vel ipsis Adversariorum armis utamur, sub hoc nomine scientiæ conditionatæ, aut mediæ, prout ab universâ servandum Societate accipitur, & propugnatur, duo præcipuè importari. Primum est, in Deo esse cognitionem certam & infallibilem futurorum contingentium conditionatorum; v. g. conversionis Tyriorum, si Christus Dominus apud illos prædicasset. & signa fecisset, quæ fecit apud Judæos, ut dicitur Matthæi 11. & Lucæ 10. vel traditionis David in manus Saül, si mansisset in urbe Ceila, ut habetur 1. Regum 23. Secundum est, talem cognitionem esse priorem omni decreto sive præfinienti, sive prædeterminanti, & ab illo independentem, ac fundatam in aliquo alio medio (de quo infra) & ad illa objecta immediatè terminatam. Circa primum nulla jam fermè vertitur controversia cum Recentioribus Thomistis, eandem certam & infallibilem cōditionatorum scientiam in Deo asserentibus: potest tamen esse, & fuit olim cum antiquioribus, ut Zumel, Cabrera, Ledesma, qui de futuris conditionatis Deo scientiam solùm conjecturalem, aut probabilem attribuebant: Quamvis Magister Joannes à Sancto Thomâ, & Gonet eos ab hac opinandi maculâ purgare contendant, imò & querelas contra nostros Doctores de hâc imposturâ effundant; multique sint in eorum interpretandâ sententiâ, dum asserunt in bono sensu, ipsos posse & debere explicari. Verùm semel supposito, quòd hujusmodi conjecturalem scientiam de Deo protulerint; hic vindicandi modus omninò displiceat: quia aliud est, quod Deus non cognoscat futura conditionata in suis causis liberis, & contingentibus; & aliud, quod scientiâ conjecturali, & probabili ea in eisdem causis cognoscat. Primum est verissimum: quia causæ liberæ, & contingentes non possunt esse medium Deo cognoscendi ullo modo talia objecta; ut communis Theologorum sententia.

Falsum omninò est Deum conjecturalirer, cognoscere futura conditionata in suis causis

98. Secundum autem est omninò falsum, nec in aliquo bono sensu potest interpretari. Ratio est. Tum quia scientia conjecturalis, aut probabilis ex suâ naturâ, & ratione est fallibilis, imperfecta, & exposita falsitati. Sed hujusmodi scientia, aut cognitio ut Deo prorsùs indigna, in nullo congruo, aut bono sensu potest Deo attribui. Ergo inutilis prorsùs est quæcumque de talis scientiæ doctrinâ excogitata interpretatio. Nec præfatis Magistris justa est conquerendi causa; cùm prædictum opinandi de scientiâ Dei modum antiquis Thomistis nostri Doctores de proprio cerebro minimè affinxerint. Rem ostendo. Etenim Magister Fr. Petrus Ledesma in suo de divinis auxiliis, & scientiâ conditionatâ opere disput. 2. affini de scientiâ futurorum contingentium, difficult. 2. post relatam nostram opinionem, sic ait: *Secunda sententia est huic omninò opposita: docet enim quod potest Deus per conjecturas aliquo modo cognoscere, quid causa libera faceret, si in tali occasione cum isto, vel illis conditionibus constitueretur: non tamen potest certâ & infallibili scientiâ id cognoscere: atque adeò potest quidem Deus judicare, quid foret vero similius & probabilius in tali eventu; non tamen potest definitum judicium ferre, hoc esset, aut erit, si illud fiat aut fieret*: Et mox hoc theoremate sic proposito, & amplexato, subnectit: Ibi: *Hanc sententiam sequuntur omnes Discipuli Divi Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illum, & omnes qui sequuntur doctrinam ejus in materiâ de Auxiliis divinæ gratiæ.* Hucusque ille. Gonzalez verò 1. part. quæst. 14. artic. 13. disput. 44. sect. 2. num. 8. sic etiam ait; *Prima sententia est aliquorum juniorum Thomistarum, qui dicunt quod hujusmodi futura solùm cognoscuntur à Deo conjecturaliter, vel certitudine quâdam morali, non autem certitudine logicâ aut metaphoricâ excludente omne dubium ex parte rei cognitæ.* Ita ille. Ambrosius verò Machin. in 1. parte quæst. 14. artic. 13. disput. 33. sect. 1. sic refert: Ibi: *In hac re prima sententia est aliquorum Thomistarum asserentium Deum non cognoscere futura conditionata libera, nisi solùm conjecturaliter, vel certitudine quâdam morali non excludente omne dubium.* Cursus verò Carmelitanus tomo 1. in 1. parte tract. 3. disput. 9. de Scientiâ Dei dub. 2. §. 1. citat pro eâdem sententiâ Fr. Petrum de Ledesma & alios Thomistas, quorum suppressit nomen. Multò plura apud nostrum Leonardum de hâc re à curioso Lectore omninò videnda.

In quo stet totū controversiæ pōdus

99. Totum ergo controversiæ pondus cum Recentioribus Thomistis est circa secundum punctum hujus prænotati: an scilicet talis futurorum conditionatorum cognitio, quam omnes ad unum Recentiores Thomistæ, ut ait Sapientissimus Pennotus in suo Propugnaculo: certiores jam decursu disputationum facti, non conjecturalem; sed metaphysicè certam in Deo asserunt; sit prior decreto præfinienti, aut determinanti, & ab illo independens; an verò tali decreto posterior, & in eo fundata? pro scientiâ conditionatâ, & mediâ anteriori ad omne decretum præfinitivum, & omninò ab illo independenti pugnat Jesuitarum Schola, & cum eâ numerosum satis Doctorum agmen, ut videre est apud Patrem Henao de Scientiâ Mediâ, nostrum Leonardum, & alios. Pro scientiâ conditionatâ posteriori decreto prædeterminanti subjectivè ex parte Dei, & in eo fundatâ; Illustrissima juxtà ac Sapientissima Thomistarum Schola viriliter certat

certat, quibus extra nobiles etiam Recentiores adhærent. Ex quibus, ut loquamur cum doctissimo Gonet, facilè intelligitur, quid sit media Jesuitarum scientia; & in quo conveniat, & differat à scientiâ conditionatorum, quam Thomistæ in Deo agnoscunt, quamvis, ut constat ex nuper dictis, immeritò scientiæ mediæ nomen ei abnuant concedere. Conveniunt igitur in hoc, quod utraque est certa & infallibilis; Sed differunt in eo, quod prima est independens à decreto actuali præfinienti, & eo anterior: Secunda verò illo posterior, & in eo fundata. His ita de scientiâ conjecturali, aut probabili, vel solùm certa certitudine morali, à quâ universa Thomistarum Schola meritò jam recessit; cùm nullus ex eâ Adversarius adversùs nos insurgat, non est quid pertractemus. Unde pro præsenti rerum statu controversiam hanc duplici conclusione breviter dirimam.

LECTIO II.

Prima Conclusio sit. Implicat scientia conditionata etiam certa, & infallibilis, quæ sit posterior decreto prædeterminanti subjectivè ex parte Dei, qualem adstruit Thomistica Schola: estque Divi Thomæ principiis omninò contraria.

Probatur 1. ex S.Th 2. contra gent.c.23

100. UT ergo doctrinam Recentiorum Thomistarum in hâc gravissimâ controversiâ ab ipsis fundamentis convellamus, agendum est cum illis tum authoritate Divi Thomæ, tum rationibus Theologicis, quæ ex Angelici doctrinæ connexione legitimè deducuntur. Probatur ergo primò ex Sancto Thomâ lib. 2. contra gentes cap. 23. dicente ibi: *Secundùm Philosophum 9. Metaphys. duplex est actio: una quæ manet in agente, & est perfectio ipsius, ut videre: alia quæ transit in exteriora, estq; perfectio facti; sicut comburere in igne. Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente: cùm sua actio sit sua substantia. Oportet igitur, quod sit de genere illarum actionum, quæ sunt in agente, & sunt quasi perfectio ipsius: Deus igitur cognoscendo, & volendo agit & operatur; non igitur per necessitatem naturæ; sed per arbitrium voluntatis.* Hæc Magister Angelicus. Ex quibus juxta ejus mentem manifestè colligitur, volitionem liberam Dei, ejusque cognitionem, sive scientiam esse actionem, quâ Deus operatur, & agit ad extra, ut latissimè probavi Quæstione de Actione Creativâ Dei: ac proindè universa Schola contraria principiis Sancti Thomæ insistens, meritò fatetur, ipsum velle, & ipsum Dei cognoscere, esse actiones, quibus Deus immediatè operatur ad extra: an autem consequenter, & ex ejus doctrinæ consequentia ex consequenti ratiocinio innotescet.

Ex.D.Th^ est omninò implicatorium decretũ actuale absolutum subjectivè ex parte Dei, & cõditionatũ ex parte objecti.

101. Quia potissimum fundamentũ scientiæ conditionatæ, quam Thomistæ adstruunt, est decretum actuale, & in actu exercito absolutum subjectivè ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti, sive termini. Sed tale decretum actuale circa futura conditionata, ex principiis Divi Thomæ est omninò implicatorium. Ergo scientia conditionata illo posterior, & in illo fundata, omninò implicat. Major est Adversariorum dogma. Minor verò probatur. Quia tale decretum (etiam præscindendo pro nunc ab eo, quod sit, vel non sit prædeterminans) talis est naturæ, ut per illud Deus, quantum est ex se, & absolutè ex parte sui velit Tyriorum pœnitentiam potiùs, quàm ejus carentiam, sub illâ conditione virtutum, & miraculorum, de quibus juxta Math. 11. & sic de aliis decretis hujusmodi conditionatorum. Atqui tale decretum actuale ex parte Dei est omninò implicatorium. Ergo. Major etiam constat. Minor probatur. Quia tale decretum utpotè exercitè, & actualiter liberum ex parte Dei est terminativè contingens. Ergo non habet objectum, aut terminum ad intra; sed solùm ad extra: cùm omnis actus divinæ voluntatis ad intra sit omninò necessarius. Antecedens, & consequentia sunt certæ apud Thomistas. Tum sic, Sed decretum absolutum ex parte Dei, & actu terminativè contingens ad extra circa pœnitentiam Tyriorum, & hujusmodi alia purè conditionata, est implicatorium. Ergo. Probatur minor. Velle Dei actu terminativè contingens, est actio, quâ Deus agit & operatur ad extrà. Sed implicat actio absoluta ex parte Dei, quâ physicè Deus operetur ad extra pœnitentiam Tyriorum, & quemlibet alium terminum purè conditionatum. Ergo tale decretum absolutum ex parte Dei circa objecta purè cõditionata est prorsùs implicatorium. Major constat ex verbis Divi Thomæ supra, & in pluribus omninò locis, fundaturque à Sancto Doctore in locis Sacræ Scripturæ: Psalm. 103. *Omnia in sapientiâ feciſti.* Psal. 135. *Qui fecit cœlos intellectu.* Et ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ: Omnia, quæcumq; voluit, fecit, &c.* Pro quâ veritate ex omnium Thomistarum sensu Magister Gonet disput. de libertate voluntatis Dei, artic. 3. §. 1. num. 97. sic ait: *Creatio enim activa nihil aliud est, quàm actus sive intellectûs, sive voluntatis, ut connotat effectum productum; ita ut nihil aliud medium: nulla perfectio superaddita assignari debeat inter*

inter actionem Dei immutabilem, & effectum productum. Quam Doctrinam & nos alibi fusè probavimus.

Quod aurē implicet illud velle divinum, & actio circa objectum purè conditionatum solida ratione probatur.

102. Minorem verò sic probo. Implicat actio physicè, & absolutè in actu secundo existens, ex parte causæ sive increatæ, sive creatæ circa terminum purè conditionatum, cujus conditio nec existit in propriâ naturâ, nec extitura est & cujus terminus nec physicè ad extrà existit, nec physicè ad extrà extiturus est. Sed pœnitentia Tyriorum, nec conditio illa virtutum & signorum Christi Domini unquam physicè, & in propriâ naturâ ad extra extiterunt, nec existunt, nec unquam extituræ sunt; & sic de aliis purè conditionatis. Ergo implicat actio actu exercitè existens absolutè ex parte Dei circa conditionem pœnitentiæ Tyriorum, & quorumcumque aliorum contingentium conditionatorum. Major efficaciter probatur, simul, & explicatur. Implicat calefactio in actu exercito absolutè existens ex parte ignis circa terminum purè conditionatum ex parte passi, v. g. circa calorem purè conditionatum, qui nec existit, nec in propriâ naturâ unquam existet, & cujus conditio nec existit, nec unquam extitura est: similiter implicat actio creativa alicujus Angeli actu existens absolutè ex parte Dei, quin talis Angelus in propriâ naturâ absolutè existat, & quæ solùm terminetur ad Angelum purè conditionatè existentem, cujus conditio & terminus nunquam extituri sunt. Hoc autem imperceptibile, & tam implicatorium est, ac concipere Deum actu ex parte sui ad extra absolutè agentem, & terminum ejus actu ad extra absolutè nō esse: esset enim actu simul agere, & non agere. Atqui Deum velle, & absolutè aliquid decernere ad extra ex parte sui, est absolutè actu agere ad extra ex parte sui. Ergo implicat actu velle absolutè, & subjectivè ex parte sui, sive decretum actu subjectivè, & absolutè existens ex parte Dei circa pœnitentiam Tyriorum purè conditionatam, & quæcumque alia contingentia, & libera conditionatè futura.

Implicatorium, & imperceptibile est, Deū actu terminativè ad extra agere aliquē terminum purè conditionatum.

103. Firmatur iterùm prædicta ratio. primò. Idem est Deum velle terminativè aliquid ad extra, ac ipsum agere ad extra. Sed implicat, imò imperceptibile est, Deum agere actu terminativè ad extra aliquem terminum purè conditionatum, & qui ex ipsius conditione nunquam extiturâ, ipse nunquam extiturus est. Ergo implicat, & imperceptibile est, Deum ex parte sui aliquid velle terminativè ad extra, & quod ejus terminus nunquam ponendus sit ad extra. Tum sic Sed pœnitentia conditionata Tyriorum, & alia quæcumq; objecta conditionata, quæ afferuntur, & controvertuntur in hac disputatione, nullam propriam existentiam unquam habitura sunt, ut in hâc controversiâ utrinque supponitur. Ergo. Major illa est constans, & perpetua Divi Thomæ doctrina, à quâ communis Thomistarum opinio non discedit. Minor probatur. Quia actio absolutè in actu exercito ad extra sine termino actu ad extra absolutè existenti, juxta certissima Theologiæ & Philosophiæ principia, chymærica est. Secundò. Quia implicat, Deum velle actu terminativè ex parte sui aliquid ad extra sine objecto actu volito. Ergo implicat, Deum actu & exercitè ex parte sui aliquid agere sine eo, quod aliquis terminus actu sit extra productus. Sed velle Dei actu aliquid extra Deum, & distinctum a Deo, est Dei agere. Ergo sicut implicat actio actu subjectivè ex parte Dei circa effectum actu non existentem, sive purè conditionatum, & nunquam extiturum; sic implicat velle Dei actu, sive decretum actu subjectivè absolutè ex parte Dei circa objecta purè conditionata.

Ejusdem Thomistæ decreti implicantia ostenditur ex hoc objecto propriis inalienabiliter cùm idem sit esse voliti à Deo ac esse productum.

104. Firmatur tertiò. Quia decretum actu, & ex parte ipsius Dei absolutè terminativè liberum, non habet, nec habere potest pro objecto aliquam perfectionem necessariam Dei, nec objectum necessarium scientiæ simplicis intelligentiæ; ut meritò tenent, & tenere debent omnes Thomistæ: cùm certò certiùs sit, Deum non esse liberum, nec potestatem Dominii sui perfectissimi possidere, nec exercere posse circa perfectiones divinas, nec circa creaturas possibiles, prout sunt objecta scientiæ simplicis intelligentiæ. Ergo tale decretum debet habere pro objecto aliquid extra Deum actu formaliter contingens. Ergo aliquid actu absolutè existens secundùm naturalem, & propriam sui existentiam. Patet hæc consequentia. Quia licet respectu scientiæ necessariæ, aut simplicis intelligentiæ Dei non sit idem esse cognitum, ac esse actu productum, sive existens; & secundùm plures Doctores, nec sit idem esse volitum simplici complacentiâ, ac esse actu creatum: eo quod nullum objectum necessarium subjacet divinæ libertati, nec est ejus objectum; tamen respectu scientiæ liberæ, & actûs liberi Dei idem prorsùs est esse cognitum, & liberè volitum, ac esse existens physicè pro suâ temporis differentiâ, ut patet inductione omnium rerum creatarum: idem enim est, mundum esse volitum liberè, & Angelos esse volitos à Deo, ac illos existere extrà, & fuisse productos secundùm propriam & naturalem sui existentiam.

Dices, id esse verū, de decreto quod fertur in objectum absolutè volitū, nō autem sub cōditione

105. Respondebis, id solùm esse verum respectu decreti liberi actu existentis subjectivè in Deo, quando tale decretum fertur in objectum absolutè volitum: non verò quando fertur in objectum solùm volitum efficaciter sub conditione. Cùm ergo tale decretum, ut defenditur à Thomistis, quamvis actu liberè existat subjectivè ex parte Dei, solùm feratur in

Tyriorum

Tyriorum pœnitentiam non absolutè extra causas; sed solùm sub conditione ponendam: hoc est, In Tyriorum pœnitentiam, aut conversionem, quæ certò poneretur sub illa virtutum, & signorum Christi conditione: hinc est, minimè esse necessarium, quod objectum talis decreti sit actu formaliter, & absolutè existens; sed solùm quod sit, & esset existens sub conditione: & idem esse dicendum de reliquis contingentibus, & liberis conditionatè futuris,

Verùm in prajactam evasionē insurgo discursu multiplici

106. Verùm hæc evasio magis speciosa, quàm solida argumenti nostri vires minimè infringit; pro cujus refutatione, & in ulteriorem conclusionis probationem sequentes produco discursus. Primò. Quia prædicta solutio videtur quædam petitio principii; cùm id contendat argumenti nostri ratio, ut ex Angelici doctrinâ implicet in Deo decretum actu terminativè liberum circa objectum non existens, nec unquam extiturum. Secundò. Quia volitio actu libera Dei circa objecta creata, & actio creativa, sive operativa ipsius idem omninò sunt in Divi Thomæ, & ipsorum Thomistarum sententiâ. Sed implicat actio creativa absolutè existens ex parte Dei circa volitum solùm conditionatè futurum. Ergo & volitio actu libera Dei circa volitum futurum solùm conditionatè. Quid tandem, si Thomistarum aliquis minorem neget, & asserat, non implicare ex parte Dei actionem actu operativam circa effectum creatum absolutè non existentem; sed solùm purè conditionatum Tunc sic redarguendus erit. Tertiò. Quia simili modo non implicabit ex parte ignis calefactio actu absolutè existens, circa calefactionem, aut terminum absolutè non existentem; sed solùm purè conditionatè, & ex defectu conditionis nunquam extiturum. Illationem probo. Non enim implicat, imò de facto contingit, causas secundas participare non solùm virtutem operandi causæ primæ: Sed etiam ejus operationes, & actiones, quibus operatur ad extra effectus creaturarum absolutè existentes secundùm physicam, & propriam eorum naturam. Ergo si Deus præter hunc certum, & communem modum operandi habet etiam actiones & operationes actu ex parte sui subjectivè absolutè existentes circa effectus extra purè conditionatos, & ex defectu conditionis nunquam extituros; non implicabit, causas secundas hujusmodi actiones participare circa suos effectus purè conditionatos. Hoc autem in Scholasticorum mentem profectò nunquam venit: everteret enim bonam philosophiam, quæ ex necessariâ & essentiali connexione actionis, cum termino, unionis cum extremis, relationis cum termino, &c. Infert impossibilitatem actionis, unionis, & relationis, earum terminis absolutè non existentibus. Sequela autem videtur legitimè deduci: nam semel concessis hujusmodi actionibus ex parte Dei subjectivè existentibus circa terminos purè conditionatos, & nunquam extituros, absque ullâ implicatione: assignanda est ratio, quare hic modus operandi non sit participabilis à creaturis. Quartò. Quia ut constat ex Præludio tertio, Deus omnia quæcunque voluit, fecit. Sed Deus actu libero subjectivè ex parte sui seriò voluit pœnitentiam Tyriorum, & alia contingentia purè conditionata. Ergo ipsa fecit. At purè conditionata sunt termini, sive effectus nunquam extituri. Ergo fecit terminos nunquam extituros.

Dices, Deum velle omnes homines salvos fieri, quin omnes salvi fiant.

107. Dices Deus seriò vult, omnes homines salvos fieri, actu quidem libero subjectivè existenti ex parte Dei: & tamen non omnes homines salvi fient. Ergo ex decreto subjectivè ex parte Dei circa pœnitentiam Tyriorum, & alia objecta conditionata haud rectè arguitur existentia termini voliti. Verùm hoc instantiæ effugio non evincitur argumenti difficultas. Ante cujus probationem ex doctrinâ Divi Thomæ, quam Thomistæ omnes, & Theologi communiter amplectuntur, respondeo, Deum seriò, quantùm est ex se, velle, omnes homines salvos fieri, voluntate quidem antecedenti, & conditionatâ, non tamen voluntate consequenti, absolutâ, & efficaci. Ratio est. Quia Deum seriò, & actu libero velle voluntate antecedenti, omnes homines salvos fieri; aliud non est, quàm velle, ut omnes homines benè operentur, & per sua bona opera salutem consequantur æternam; ita ut vitalis voluntatis præparentur omnibus hominibus media necessaria ad rectè operandum pro obtinendâ salute. Hæc solutio apertè colligitur ex Angelico Doctore in 1. Sentent. dist. 66. quæst. 1. artic. 1. Ibi: *Dicendum secundùm Damascenum, quod voluntas est duplex in Deo, & antecedens, & consequens: si ergo in homine tantùm natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est, omnes homines salvari: quia omnes conveniunt in naturâ humanâ: & cùm omne bonum sit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult: hæc vocatur voluntas antecedens, quâ omnes homines salvos vult: & hujus voluntatis effectus:* (Ausculta) *Est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia, quàm gratuita, sicut potentiæ naturales, præcepta legis, & hujusmodi, &c.* Hæc Magister Angelicus.

Unde promoveo sic prafactā rationem. Quippe illa Dei voluntas

108. His ita: Redit iterùm probatio illa quarta, unde occasione præfatæ replicæ tàtisper digressi sumus. Voluntas illa antecedens, quâ Deus actu libero subjectivè seriò vult, omnes homines salvos fieri: habet pro effectu

salvandi homines habet effectum realiter existentē

effectu realiter existente ordinem naturæ rationalis, & auxilia sive naturalia, sive gratuita promoventia sufficientissimè omnes homines ad obtinendam salutem; v.g. præcepta legis, potentias naturales, & alia hujusmodi, quæ communiter omnibus proponuntur; ita ut per ipsum Deum non stet, quàm plurimos homines non salvari, sed ipsismet imputari salutis æternę dispendium, juxta illud: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*: aliàs non est unde probemus Deum, quantum est ex parte sui, seriò velle omnes homines salvari. Sed voluntas, aut Decretum, quo Deus ex parte sui absolutè vult pœnitentiam Tyriorum conditionatam, & similia contingentia purè condltionatè futura, non est hujusmodi. Ergo frustrà invehitur paritas rationis à voluntate, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri, ad decretum illud subjectivè existens ex parte Dei, quo vult pœnitentiam Tyriorum purè conditionatam, & nunquam extituram. Major est ipsius Divi Thomæ, ut colligitur ex ejusdem verbis.

Illud autē decretum de conversione Tyriorū nullum assignabilem habet effectum.

109. Minorem probo. Quia voluntas illa antecedens circa salutem omnium hominum, habet omnes illos effectus realiter & in propriâ suâ naturâ existentes, quos expresè assignat Angelicus Doctor. Sed decretum actu subjectivè existens ex parte Dei, quo vult pœnitentiam conditionatam Tyriorum, nullum habet effectum existentem in propriâ naturâ. Ergo tale decretum in viâ Divi Thomæ implicatorium æquè, ac imperceptibile est. Patet hæc consequentia. Quia voluntas salvandi omnes homines, vel quâ Deus vult, omnes salvos fieri, si nullum haberet effectum quoad existentiam naturalem; hoc est, si hominibus non præpararet auxilia, & reliqua media sufficientia pro obtinendâ salute; esset non solùm inutilis, sed imperceptibilis, & implicatoria: cùm esset voluntas Dei libera ad extra absque ullo effectu extra existente. Et hujus ratio est. Quia in primis cùm illa voluntas sit absoluta & efficax, nec consequens; sed solùm antecedens, & conditionata ex parte objecti, non haberet tamquam effectum sui proprium. omnium hominum salutem: deinde, ut supponitur, nullum alium præstaret effectum. Ergo talis voluntas absque ullo effectu extra existenti, esset omninò chymærica, &

Thomistę hactenùs non assignarunt ullum sui decreti effectum absolutè existentem, & illius impossibilitas declaratur.

imperceptibilis.

110. Minorem ultimam efficaciter suadeo. Quia Thomistæ hactenùs nullum effectū vi talis decreti absolutè existentem, & absolutè extrà productum assignarunt. Tum quia si vi argumenti oppressi, illum assignarent, jam illud decretum non esset subjectivè absolutum, & objectivè conditionatum: sed utrimque esset absolutum; cùm jam haberet effectum vi illius absolutè existentem: quod est contra potissimum in hâc controversiâ Thomistarū assertum: Tum etiam quia tale decretum subjectivè absolutum, & actu terminativè existens ex parte Dei, vel est efficax subjectivè tantùm, vel inefficax subjectivè circa pœnitentiam Tyriorum purè conditionatam? Si hoc ultimum: ergo in hoc non poterit Deus cognoscere certò, & infallibiliter pœnitentiam Tyriorum purè conditionatam: cùm decretum inefficax non possit Deo esse medium certò, & infallibiliter cognoscendi: sicut voluntas illa antecedens, & inefficax circa salutem omnium hominum; nec est, nec potest esse medium aptum ad certò cognoscendum eorum salutem: Si verò decretum illud est efficax subjectivè ex parte Dei, ut tenent Thomistæ, erit absque ullo effectu extra existente, & producto, qui ejus efficaciæ correspondeat; quod sanè implicationē supra probatam ex doctrinâ D. Thomæ involvit. Undè frustra M. Gonet & Recentiores Thomistæ contendunt fundare decreta illa efficacia subjectivè ex parte Dei, dùctâ paritate à voluntate divinâ antecedenti, quâ vult omnes homines salvos fieri, cùm dispar omninò sit, & longè diversę naturæ ab hujusmodi decretis circa contingentia purè conditionata. Relinquitur ergo omninò corruere potissimum fundamentum, cui innititur scientia Thomistarum conditionata, posterior decreto actu subjectivè, & terminativè existenti ex parte Dei.

Probatur 2. conclusio ex alio D. Thom. principio statuente amorem Dei circa creaturas non esse affectivū, sed effectivum: & ex 1. ect. 4. ad 5. Joan.

111. Probatur secundò conclusio ex alio Divi Thomæ principio 1. part. quæst. 20. ar. 2. concluſio. 2. & sæpè alibi; quo statuit amorem Dei circa creaturas non esse affectivum: sed effectivum, & infundentem bonitatem in rebus, & lect. 4, ad 5. Joannis: Ibi: *Unde in nobis amor causatur à bono, sed in Deo aliter est: quia ipse amor Dei est causa bonitatis in rebus dilectis: quia enim Deus diligit nos, ideò boni sumus; (nam amare nihil est aliud, quàm velle bonum alicui) Cùm ergo voluntas Dei sit causa rerū, quia omnia quæcumq; voluit Dominus fecit, manifestum est, quod amor Dei est causa bonitatis in rebus.* Sic Sanctus Doctor. Unde sic arguo primò. Si tale decretum absolutum subjectivè ex parte Dei circa pœnitentiam Tyriorum, & alia objecta conditionata est in Deo, esset amor Dei liber erga tales creaturas purè conditionatè futuras. Sed nullum est fundamentum, quo talis amor Dei probetur. Ergo tale decretum omnino implicat. Major patet. Quia cùm tale decretum sit actus non necessarius, sed omnimò liber ad extra, & omnis actus voluntatis sit amor, non possit hujusmodi qualitas ei deficere. Minor verò probatur. Quia invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, à nobis intellecta conspiciuntur. Sed inter omnia, quæ à Deo facta aut facienda sunt, nullum est ens, per quod possit intelligi invisibile illud decretum subjectivè,

&

& absolutè ex parte sui circa pœnitentiam Tyriorum, & alia contingentia purè conditionata. Ergo. Major patet inductione omnium, quibus elevamur ad cognoscendum amorem Dei erga creaturas. Etenim ex adventu Christi Domini, ejusque Incarnatione cognoscimus, & probamus specialem amorem, quo Deus dilexit nos; juxtà illud: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Similiter ex gratiâ collatâ Divo Petro, ut pœniteret; non autem Judæ, colligimus specialem Dei erga illum amorem, præ Judâ. Denique ex effectibus creaturarum, & beneficiis eis collatis, intelligimus specialem Dei amorem, aut non specialem ergà ipsas: Non enim indivisibiles Dei perfectiones cognoscimus nisi ex ipsis effectibus, quos Dei amor operativus produxit.

Pluribus ostendo, illud Thomisticum decretum per nullũ ens omniũ, quæ à Deo facta sunt, nobis posse constare.

112. Minor ergo probatur primò. Quia per tale decretum subjectivè solùm ex parte Dei nullus effectus extrà producitur, ut probatum est. Ergo nullum est ens, quod nobis possit esse medium cognoscendi, esse subjectivè in Deo tale decretum. Secundò. Quia si aliquod esset medium probandi in Deo tale decretum, maximè illud objectum pœnitentiæ purè conditionatæ Tyriorum, quod nobis constat per revelationem divinam; videlicèt *Si in Tyro, & Sydone,* &c. Sed tale objectum non potest esse medium probandi decretum actu subjectivè ex parte Dei. Ergo. Probatur minor. Quia objectum revelatum solùm est pœnitentia, quæ fuisset, si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, &c. Sed ex effectu, qui fuisset, solùm probatur decretum, & amor, qui in Deo fuisset; non verò decretum, & amor, qui actu est subjectivè ex parte Dei. Ergo. Major constat. Minor etiam probatur. Quia ex effectibus, qui actu absolutè sunt, vel qui actu extiterunt, aut qui absolutè actu futuri sunt respectu nostri, colligimus, & probamus, esse actu subjectivè ex parte Dei decreta libera, & amorem erga tales effectus. Ergo ex effectibus purè conditionatis, qui fuissent, & non sunt, nec extituri sunt, solùm probatur decretum, quod foret, aut fuisset; non verò decretum, quod ex parte Dei actu subjectivè sit. Rursùs. Invisibilia Dei, & amor ejus effectivus, ejusque decreta actu subjectivè, & terminativè libera intelliguntur, & conspiciuntur à nobis per ea, quæ facta sunt. Ergo per ea, quæ solùm facta fuissent purè conditionatè, dumtaxat possunt intelligi, aut conspici à nobis amor effectivus, qui esset; aut decreta libera, quæ fuissent. Meritò ergo Universa Societas amplectitur, & ab initio amplexata est hujusmodi solùm decreta pro suâ scientiâ conditionatâ, aut mediâ tuendâ; rejectis Thomistarum decretis, quæ utpotè adversantia Divi Thomæ principiis, tantumdem negotii facessunt.

Probo 3. illa Thomistica decreta nova esse, inutilia, & in Scholis recepta intrusa.

113. Probatur tertiò efficaciter Conclusio nostra. Quia talia decreta actu subjectivè ex parte Dei, & purè conditionata ex parte objecti, videntur in Scholis planè nova, in eisque à Sapientissimis Thomistis recenter intrusa; eo scopo ipsis præfixo, ut à scientiâ conditionatâ, sive mediâ Jesuitarum longiùs declinarent: Coacti respondere veritati plurium conditionatorum, quæ ex Sacris Scripturis manifestè constant: Præsertim cum in doctrinâ totiès, & fusè pertractatâ, atque discussâ ab Angelico Magistro, nullum vel leve sit relegere vestigium, quod talia decreta actu subjectivè, ex parte Dei circà objecta purè conditionata demonstret: Purèque videantur ôtiosa, & ad rerum providentiam omninò inutilia. Quæ ratio licèt non ita Dialectica, satis congruenter ostendit, præsidio authoritatis Divi Thomæ, & ratione destituta. Quidquid contra P. Annatum reclamet M. Gonet, dum ait primò talia decreta, purè conditionata ex parte objecti, & absoluta, ex parte Dei fuisse de mente Doctoris Angelici; ut est illud de voluntate antecedenti, & conditionatâ in Deo circa salutem omnium hominum: Secundò, ea decreta esse necessaria, & utilia: Tum quia ad universalem Dei providentiam possunt pertinere, ob rationes occultas suæ providentiæ: Tum quia illorum objecta honesta sunt: Nimirùm gratia primi hominis posteris communicanda, & perventura ad gloriam, nisi ponat obicem: Tum quia utilia, & necessaria etiam sunt ad alios fines cognoscendos, qualis est certa veritas futurorum, quæ in scripturis revelantur; & manifestatio inclinationis causarum secundarum; ob cujus rationem decernenda fuit Tyriorum conversio, si apud illos edita fuissent miracula, apud Judæos visa, licèt apud ipsos nunquàm facienda; ut præ illis agnoscerentur pejores Judæi. Sic M. Gonetus de scientia conditionatorum, disputat. 5. artic. 2. §. 5. à num. 47.

Dicit Gonetas esse utilia, & eorum objecta honesta.

Disparest voluntas antecedens, & conditionata salvandi homines, à decretis Thomistarum.

114. Verùm hæc ad rem tanti momenti, levioris ponderis sunt. Rem ostendo primò. Quia voluntas antecedens, & conditionata ex parte voliti, quam S. Thomas probat in Deo circà omnium hominum salutem (ut constat ex dictis) dispar, & valdè dissimilis est decretis Thomistarum circà contingentia purè conditionatè futura, quæ nunquàm sunt facienda: Cum pro istis decretis nullus assignetur effectus extrà productus, sicut Angelicus

licus plures assignat absolutè existentes pro voluntate antecedenti, & conditionatâ de salute omnium hominum; pro decreto de gratiâ originali posteris communicandâ, Adamo non peccante; & pro aliis decretis, quorum adæquatum objectum non est purè conditionatum, sicut decretum de conversione Tyriorum; cum habeant plures effectus absolutè volitos; quorum sufficientia ad evitandum peccatum originale, ut gratia posteris communicaretur; & ad alia vitanda peccata, ut omnes homines, nisi per ipsos staret, salvi fierent; satis ostendit ex ipsâ virtute mediorum, quæ Deus præparavit, ipsum seriò velle voluntate antecedenti omnium hominum salutem, & gratiæ originalis communicationem posteris primi parentis.

Dicere, illa divina Thomistarum decreta pertinere ad Dei providentiam ob rationes sibi occultas; est fateri, nullâ pro illis hucusq; inclaruisse ratione.

115. Secundò. Quia dicere, talia decreta pertinere ad universalem Dei providentiam ob rationes ipsi Deo occultas; perinde est ac dicere, nullam adhuc inclaruisse nobis rationem apertam, & claram, vi cujus existentiam talium decretorum actu subjectivè, & terminativè ex parte Dei affirmemus: Nam invisibilia, & occulta Dei nonnisi per effectus actu productos, & existentes ex parte Dei, nobis manifestantur: Nisi velit hic Magister, illis occultis rationum Mysteriis, ipsi forsan solùm revelatis, cœcum assensum præstari, ipsis captivando intellectum; ut volebat Bannez in obsequium præmotionis omninò cum libertate pugnantis.

Impugno honestatem attributâ objectis taliũ decretorũ.

Tertiò. Quia in eo, quod M. Gonet asserit, objecta talium decretorum esse honesta; vel loquitur de decretis, quæ præter conditionem, quam respiciunt ex parte voliti, habent alios effectus absolutè existentes; ut auxilia, quibus, si homines velint, ponatur conditio; vel de iis decretis, quæ nullum habent effectum absolutè existentem; sed eorum adæquatum objectum est purè conditionatum, & nunquàm extiturum; nec medium aliquod ad purificandam conditionem? Si primum: Fatemur, talia objecta esse honesta, utpotè ex absolutâ præparatione mediorum seriò volitâ à Deo, ut omnes cum Divo Thomâ locis citatis tenemus: Sed hoc est chorum extrà saltare, & præter disputationis orbitam exilire; ac proinde rem obscurare, confundendo decreta, quæ à Jesuiticâ Scholâ cum Angelico D. communiter probantur; cum decretis, quæ ab ipsâ contra Thomisticam in hâc controversia acriter rejiciuntur.

Idẽ intẽtum ultrà promoveo.

116. Si secundum: Ut stemus proposito, sistendum est hîc tantisper cum Sapientissimo Goneto. Pœnitentia Tyriorum purè conditionata est objectum divini decreti actu subjectivè existentis in Deo, quo illa decernitur. Sed objectum istius decreti est honestum. Ergo pœnitentiã Tyriorum est moraliter honesta. Vel ergo honestate purè possibili, & necessaria; vel honestate liberâ, morali, & formaliter contingenti? Si primum: Non potest esse objectum divini decreti, & amoris Dei; præsertim in sententiâ istius Magistri disput. 2. de voluntate Dei, artic. 4. §. 2. asserentis, creaturas possibiles nullo modo amari à Deo. Si secundum: Ergo pœnitentia Tyriorum, quamvis sub conditione nunquàm ponendâ, actu amatur à Deo, estque digna, ut illam Deus absoluto ex parte sui amore respiciat, & prosequatur. Ergo sicut sub eâ conditione nunquàm ponenda, adhuc est honesta, & libera moraliter; sit sub illâ conditione nunquàm ponendâ, erit meritoria, præsertim cum etiam in hâc rerum providentiâ conducat ad aliqualem laudem Tyriorum; conducit enim ex dictis à Goneto, ad ostendendum, Judæos fuisse pejores Tyriis, & Sidoniis: Tyrios autem non fuisse ita malos, ac pravè affectos, ac ipsi Judæi, aliqualis laus, & commendatio Tyriorum est. Si ergo talis pœnitentia est honesta, libera, formaliter contingens, & aliquali laude digna: Ergo vi formalis consequentiæ fuit etiam aliqualiter meritoria, dignaque saltem in actu primo aliquali præmio. Tunc sic. Atqui hoc execrandum Semipelagianismi jaculum, quod universim Thomistæ, & peculiariter hic Magister, conantur adversùs scientiam mediam dirigere, potiori jure retorquetur in hujusmodi Thomistica decreta, & scientiam conditionatam ipsis posteriorem, & in illis fundatam: Ut si rem seriò, & maturo examine expendas, vi arguendi manifestè constabit. Ergo hujusmodi decreta, & scientia conditionata in ipsis superstructa, per se concidunt; cum authoritate Divi Thomæ, & præjactis rationibus funditùs convelluntur.

Illa decreta minimè cõducunt ad cognoscendos fines veritatem futurarum quæ in scripturis revelãtur; nec ad manifestationẽ inclinationis causarum secundarũ.

117. Quartò. Quia hujusmodi decreta minimè conducunt, ut contendit Gonet, ad cognoscendos illos fines; qualis est certa veritas futurorum, quæ in scripturis revelantur; & manifestatio inclinationis causarum secundarum: Quin potiùs ex hâc doctrinâ major difficultas adversùs illa, & scientiam conditionatam, quæ in eis fundatur, invalescit. Assumptum probo primò. Quia veritas revelata de pœnitentiâ purè conditionatâ Tyriorum, & de aliis hujusmodi; non potest cognosci in tali decreto libero actu subjectivè, & terminativè absoluto ex parte Dei, & purè conditionato ex parte objecti. Ergo ex hâc parte fundamentum hujus decreti ad scientiam conditionatam illo posteriorem, omninò deficit. Probatur antecedens. Quia objectum purè conditiona-

ditionatum pœnitentiæ Tyriorum vel cognoscitur in ipsâ libertate actuali necessariâ ipsius actûs divini præcise; vel in illâ terminativè sumpta, in quantum ex plenissimo suæ potestatis dominio ponit suum objectum? Non primum: Quia libertas actualis, & infinita voluntatis divinæ est perfectio necessaria Dei. Sed, ut docent Thomistæ, nullum objectum formaliter contingens, & futurum, sive absolutum, sive purè conditionatum, cognoscitur in perfectione Dei necessariâ, nec in amore Dei necessario: Cum hic sit indifferens indifferentiâ dominii, & perfectissimæ libertatis ad ponendum, & non ponendum extrà objectum, aut effectum creatum. Ergo in tali decreto, aut actu libero Dei hoc modo sumpto, Deus non potest cognoscere veritatem revelatam de pœnitentiâ Tyriorum purè conditionatâ, & formaliter contingenti. Patet hæc consequentia. Quia in medio indifferenti ad utrumlibet, non potest certò cognosci unum extremum potiùs, quàm aliud. Non secundum: Quia actus liber Dei subjectivè, & terminativè acceptus, præter objectum, & effectum formaliter contingentem, quem ponit, nullam addit perfectionem Deo. Sed effectus sive absolutè, sive purè conditionatè futurus ex doctrinâ Divi Thomæ, quam meritò amplectuntur Thomistæ, & alii Theologi communiter, non potest esse medium, in quo Deus cognoscat veritates creatas, ut patet ex doctrinâ, quam in hujus controversiæ præludiis supra probavimus. Ergo tale decretum absolutum ex parte Dei, & purè conditionatum ex parte objecti, inutile, & otiosum est etiam ad finem cognoscendi veritates, quæ in Sacrâ Scripturâ revelantur.

Respõdet Godoy, illud decretum, prout est necessaria Dei perfectio præcisè, non esse medium cognoscẽdi talia futura; sed prout superaddit terminationẽ, &c.

118. Respondebis ex opinione Illustrissimi Godoy, Goneti, & Recentiorum Thomistarum, tale decretum liberum subjectivè ex parte Dei non esse medium certò cognoscendi veritates conditionatè futuras, in quantum est perfectio necessaria Dei præcisè; per se tamen, & de facto esse medium illas cognoscendi, in quantum superaddit ad perfectionem necessariam terminationem ratione distinctam sub conceptu terminationis, & prout sic, defectibilem; quia actus liber Dei consistit in actualitate actûs necessarii ut ad creaturas libere terminati. Ita Salmanticenses disputat. 7. dub. 8. de voluntate, M. Gonet disputat. 3. de libertate voluntatis Dei, artic. 2. §. 5. à num. 63. & communiter Thomistæ.

Vehemẽter displicet ex pluribus rationibus.

119. Hæc tamen solutio in præsenti controversiâ vehementer displicet. Primò. Quia ad explicandum medium, in quo Deus certò cognoscit creaturarum veritates (quod Divo Thomæ, & aliis Theologis facilè visum est) confugit ad obscurissimum illud ænigma de constitutivo divinæ libertatis; quod difficillimum, & ferè impossibile Theologis apparuit, ut vel ipse Gonet fatetur. Secundò. Quia hunc modum explicandi actum liberum Dei efficaciter alibi rejecimus; circà quod, Deo dante, iterum sermo redibit. Tertiò & quidem efficaciter. Quia tale decretum actu subjectivè, & terminativè ex parte Dei, consistit in aliquo intrinseco Dei sub conceptu puræ terminationis. Sed illud intrinsecum est defectibile sub conceptu puræ terminationis, quamvis tale non sit sub conceptu entitatis, & perfectionis. Ergo tale decretum liberum ex parte Dei sub conceptu puræ terminationis non potest Deo esse medium certò cognoscendi pœnitentiam Tyriorum, & alias veritates revelatas purè conditionatas. Major, & minor probantur à M. Goneto sub eisdem terminis ubi supra §. 6. in solutione ad rationem dubitandi sibi propositam. Consequentiam verò efficacissimè suadeo. Nullum formaliter defectibile, in Deo potest ipsi, nec alteri esse medium certò, & infallibiliter aliquid cognoscendi. Sed tale decretum sub conceptu puræ terminationis est in Deo formaliter defectibile. Ergo tale decretum subjectivè ex parte Dei sub conceptu puræ terminationis non potest esse medium, in quo Deus certò cognoscat pœnitentiam Tyriorum sub conditione futuram, nec hujusmodi alias veritates revelatas. Relinquitur ergo, hujusmodi decreta non solùm esse impossibilia ob rationes, quas contra ea suprà efformavimus; sed prorsùs otiosa, & inutilia ad finem cognoscendi veritates in Scripturis Sanctis revelatas; ac proindè nullum esse Thomisticæ Scholæ fundamentum ad adstruendam suam scientiam conditionatam, sive mediam visionis posteriorem decreto ex parte Dei absoluto.

Probatur 4. Quia ad scientiam Dei necessariam pertinet scientia de rebus sub cõditione futuris, independenter ab omni decreto.

120. Probatur quartò Conclusio nostra. Quia (ut constat ex doctrinâ cum M. Angelico supra in præludiis stabilitâ) licèt Deus sit perfectissimè liber, ut ponat, & non ponat extrà creaturas, & ejus objecta liberè volita, non est liber ad hoc, ut habeat, vel non habeat aliquam perfectionem sibi necessariam. Sed ad perfectionem necessariam scientiæ divinæ pertinet cognoscere omnes veritates creaturarum, quin ex earum existentiâ, sive futuritione tam absolutâ, quàm purè conditionatâ, aliqua perfectio superaddatur, aut accrescat divinæ scientiæ. Ergo Deus independenter à decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti,

debet

debet cognoscere non solùm pœnitentiam Tyriorum purè conditionatam, & alias hujusmodi; sed & alias veritates creaturarum, quæ respectu nostri dicuntur absolutè futuræ. Major constat. Tum quia, ut loco citato prænotavimus, objectum divinæ libertatis non est necessarium, sed formaliter contingens: Tum quia Pater, & Filius licèt sint actu perfectissimè liberi, non liberè; Sed necessariò producunt Spiritum Sanctum; aliàs sicut mundus potuit esse, & non esse ex plenissimo divinæ libertatis dominio, sic Spiritus Sanctus potuisset esse, & non esse ex ejusdem Dei dominio: Quod absurdissimum, & hæreticum est. Minor verò probatur. Tum quia de ratione perfectissimi artificis etiam creati est, prægnoscere in aliquâ ratione, aut ideâ sibi formatâ, opus suæ artis, antequàm pro suæ voluntatis libito illud ad exequutionem deducat. Atqui Deus ex perfectione necessariâ suæ naturæ est primus, supremus, & sapientissimus artifex omnium factibilium. Ergo antequàm factibilia extrà causas suo decreto deducat, opus est, prægnoscat, scientiamque habeat, eorum omnium, quæ suo decreto contendit extrà producere; sive hoc decretum sit absolutum tam objectivè, quàm subjectivè; sive absolutum tantùm subjectivè, & conditionatum ex parte objecti, quale Thomistica opinatur Schola. Major, & minor constant ex iis, quæ in primæ Quæstionis præludiis authoritate, & ratione illustravimus.

Illud principium: *nihil volitum, quin præcognitum* suum locũ semper obtinet in Deo.

121. Consequentia verò legitimè infertur. Tum etiam quia principium illud universaliter verum; videlicèt *nihil volitum, quin præcognitum*; suum locum præcipuè in Deo debet semper obtinere. Si enim Angelus, & homo nihil possunt velle, & amare, quin priùs vel prioritate naturæ, vel prioritate rationis, prægnoscant objectum illud, circa quod eorum voluntas affectivè tendit: Quare Deo perfectissimo agenti libero denegabitur prænotio, & eorum omnium prægnitio, quæ vult tam affectivè, quàm effectivè facere? Ergo antequàm Deus efficaciter ex parte sui velit pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum, & alia objecta purè conditionata, debet illa, independenter à suo decreto, secundùm omnes sui circunstantias prægnoscere; aliter in incognitum illius, quod conditionatè decernit, ferretur, & cœco modo procederet. Ergo scientia conditionata, quâ Deus certò prægnoscit pœnitentiam Tyriorum, & alia hujusmodi objecta, non potest esse posterior decreto illo subjectivè, & absolutè ex parte Dei; sed omni decreto absoluto omninò anterior. Cum ergò pro adstruendâ tali scientiâ, Thomistica Recentior Schola hujusmodi decretum noviter pro hujus controversiæ disputationibus intruserit; palàm fiet, quam infœlici auspicio ejusdem meditatio fuerit adjuventâ.

Probatur 5. Quia vel objectum illius decreti, independenter ab illo præcessit objectivè in Deo, vel non?

122. Probatur quintò Conclusio. Quia Thomisticum hoc decretum vel ponit suum objectum purè conditionatum; v. g. pœnitentiam Tyriorum, quæ in Deo independenter à tali decreto, objectivè præcessit; vel quæ non præcessit objectivè in Deo? Si primum: Ergo independenter à decreto illo subjectivè tantùm ex parte Dei, Deus prænovit pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum. Sed scientia illa, quâ præscivit pœnitentiam illam conditionatam, ex ipsâ conditione objecti dicitur conditionata. Ergo scientia conditionata est anterior omni decreto libero Dei non solùm absoluto ex parte actûs, & ex parte objecti; sed etiam quocumque decreto subjectivè tantùm ex parte Dei; & hæc est scientia conditionata, sive media, quam professâ lite universa Societas cum magno exterorum agmine fœliciter propugnavit; & adhuc validorum athletarum, ejusque manus extenta. Si verò secundum: Ergo Deus planè *ignoravit* ante suum decretum, quod suo decreto determinavit, & post decretum agnovit. Ergo casu, quo (ut potuit) non determinaret, aut prædeterminaret pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum, Deus hanc veritatem in scripturis revelatam, ignoraret. Patet consequentia. Quia veritas illa revelata ante tale decretum nec fuit prægnita, nec potuit prægnosci. Sed eam post decretum non prænosceret; quia, ut supponitur, decretum illud liberum ex parte Dei non esset. Ergo hujusmodi veritatem revelatam Deus ignoraret ex defectu medii, in quo illam cognosceret. Tunc sic. Atqui consequens istud maximè derogat infinitæ perfectioni scientiæ divinæ. Ergo.

Implicat, & dero gat infinitæ perfectioni scientiæ divinæ, Deũ ante decretum ignorare ex defectu medii pœnitentiã Tyriorum revelarum.

123. Minor subsumpta probatur primò. Quia sicut non dependet ab ullo decreto actu terminativè ex parte Dei, quod Deus sit omnipotens, sive infinitè potens; sic à nullo decreto terminative existenti in Deo, dependet, quod Deus sit infinitè sapiens. Ergo sicut secluso omni decreto actu terminativè producendi mundum, aut aliam quamlibet creaturam, æquè, & eodem modo esset omnipotens, ac nunc est; sic æquè, & eodem modo esset infinitè sapiens, ac modo est. Patet consequentia; & ratio hujus securæ, & certissimæ Theologiæ est. Quia nulla perfectio divina quantum ad sui existentiam naturalem subditur actûs libero Dei terminativè: Quia actus liber Dei terminativè non aliud objectum sibi vendicat, quam ipsos

ipsos creaturarum effectus extrà existentes, aut extituros, juxtà modum à suâ providentiâ præscriptum. Ergo sicut perfectio infinita omnipotentiæ, secluso omni decreto actu terminativè, & independenter ab illo actu maneret, verèque diceretur Deus, ac esset omnipotens, vel infinitè potens; eò quòd ex infinitis objectis, quæ scientiâ necessariâ cognoscit, possit, quæcumque vellet, liberè facere; sic secluso omni actu terminativè liberè ad extrà, Deus esset eodem modo infinitè sapiens. Est tamen hoc discrimen inter perfectionem divinæ omnipotentiæ, & infinitæ Dei sapientiæ perfectionem; quod divina omnipotentiæ perfectio salvatur in eo præcisè, quod infinita in infinitum possit facere, quamvis actu exercito nihil extrà producat: At divinæ sapientiæ, aut scientiæ Dei perfectio consistit in eo, quod actu infinita sciat, atque prænoscat: Non enim Deus est sciens, & infinitè sapiens ex eo, quod possit scire; sed ex eo, quod actu infinitè, & perfectissimè cognoscat. Et hujus ratio est. Quia Deus extrà non fertur, ut sciat, atque cognoscat, sicut fertur ad extra, ut actu terminativè liberè velit, & operetur. Ergo perfectioni divinæ scientiæ maximè derogaret, si aliquam veritatem ex revelatis, ex defectu sui objecti terminativè possit ignorare.

Si ab illo decreto penderet præscientia Dei; hæc vel causaretur ab illo, vel ab objecto purè conditionato.

124. Probatur secundò illa minor. Quia si à decreto illo absoluto, & terminativè ex parte Dei penderet, quod Deus certò præsciret illam Tyriorum pœnitentiam, & hujusmodi veritates conditionatas; fieret, quod vel tale decretum esset causa divinæ scientiæ, sicut est earum objecti purè conditionati; vel quod illud objectum purè conditionatum esset causa scientiæ Dei. Utrumque autem est contra expressa Sancti Thomæ principia, veramque Theologiam. Ergo. Major patet. Quia si antè decretum Deus non habet illam scientiam de illis veritatibus revelatis, necesse est assignare causam illius scientiæ, quæ vel sit ipsum decretum, à quo dependet illarum veritatum scientia conditionata, utpotè in illo fundata; vel ipsum objectum, cujus est causa tale decretum. Minor quoad utramque partem constat. Quia nihil in Scholis, ac in Theologiâ magis obvium, quàm id, quod cunctis Theologis notum est; videlicèt objecta creata non esse causam divinæ scientiæ, sicut sunt causæ scientiæ creatæ. Nec minùs certum est, decretum liberum actu terminativè non posse esse causam præscientiæ divinæ: Tum quia decretum, quodcumque sit, terminativè solùm est causa objecti, aut termini creati extrà Deum: Tum quia, ut dictum est supra, decretum actu terminativè liberum sub conceptu puræ terminationis est defectibile, ut est jam Recentiorum Thomistarum opinio. Sed nullum defectibile, & contingens potest esse causa scientiæ Dei etiam conditionatæ; cum hæc sit certissima, & infallibilis. Ergo.

Illud decretum efficax ex parte Dei nullū esse præstare potest pœnitentiæ Tyriorum.

125. Illa minor tertiò probatur. Quia decretum illud terminativè, & absolutum ex parte Dei est causa efficax sui objecti purè conditionati; v. g. pœnitentiæ, & conversionis purè conditionatæ Tyriorum. Sed omnis causa, præsertim divina, dat esse, sive existentiam suo termino, cujus est causa. Ergo tale decretum dat aliquod esse, sive existentiam pœnitentiæ illi revelatæ, & purè conditionatæ Tyriorum. Tunc sic. Sed hujusmodi decretum nullum esse præstat, nec præstare potest conversioni purè conditionatæ Tyriorum, nec cuicumque alteri objecto purè conditionato. Ergo. Primus syllogismus satis constat ex DD. Thomistis. Minor verò subsumpta suadetur. Quia, ut constat ex Divi Thomæ doctrinâ suprà allegata; & sæpè alibi, duplex esse, aut existentia consideratur ex parte rerum: aliud intentionale, & intelligibile, quod res habent in mente intelligentis: Aliud Physicum, & naturale, quod res habent extrà intellectum in suâ propriâ naturâ; de quo principio est latè à nobis disputatum tum in Opusculis Philosophicis, tum etiam in Theologicis. Sed nec esse intentionale, aut intelligibile, nec esse Physicum, & naturale in propriâ naturâ præstat objecto, aut termino decretum actu terminativè absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ergo. Minor probatur. In primis non præstat tali objecto esse, sive existentiam Physicam, & naturalem; alias pœnitentia purè conditionata haberet aliquam existentiam Physicam, & naturalem purè conditionatam: Quod quidem chymæricum est, & omninò imperceptibile: quis enim unquàm vidit hujusmodi pœnitentiam, & alias veritates purè conditionatas physicè, & in propriâ suâ naturâ existentes? Cum enim physica earum existentia ex ipsâ terminorum apprehensione dependeat à conditionibus, sub quibus aut revelantur, aut cognoscuntur; ipsis absolutè non existentibus, nec unquàm extituris in suâ propriâ naturâ; imperceptibile est, illis ut purè conditionatis existentiam physicam, & naturalem posse competere. Nulla ergo est excogitabilis existentia physica, & naturalis in rebus, aut objectis purè conditionatis.

Item nec illi præstat alt-

126. Rursùs hujusmodi decretum terminativè ex parte Dei non præstat suo objecto aliquod esse objectivum, & intentionale

quod esse objectivũ, & intentionale.

tionale purè conditionatum: Tum quia hactenùs in Scholis auditum, non est Deum per sua decreta terminativè libera conferre rebus ipsis, quæ per ipsum decernuntur, esse objectivum, & intentionalè: Tum quia esse intentionale, & intelligibile rerum, ut citatis præludiis demonstravimus ex Sanctis Patribus, solùm pertinet ad essentiam divinam ut imitabilem à creaturis, sive (quod idem est) ad illas rationes, sive idæas rerum expressivas, quæ necessariò competunt Deo ex perfectione illâ supremi, & infiniti artificis: Quam Divus Thomas, & alii Sancti Patres agnoscunt, & probant in Deo. Ergo de primo ad ultimum illa Thomistarum decreta non solùm ut otiosa, & inutilia ad cognoscendas veritates illas purè conditionatas; sed ut penitùs repugnantia concipiuntur.

Dicet aliquis, præfato discursu multa probari.

127. Erit fortasse, qui contra nos urgeat, præfato discursu multum quidem probari: Probat enim, per decreta divina absoluta tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti Deum non cognoscere aliquid novi, nec veritates absolutas futurorum contingentium, quæ vel jam existunt, vel pro suâ differentiâ temporis extitura sunt: Hoc autem videtur esse contra mentem Sancti Thomæ, & communem Theologorum sententiam asserentium, Deum certò, & infallibiliter cognoscere omnia contingentia, & libera absolutè futura. Ergo prædictum ratiocinium multùm, aut nihil probat. Sequela verò manifestè ostenditur. Quia ante decretum absolutum tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti, nullum objectum creatum fuit absolutè futurum: Aliàs jam futura non essent liberè, & contingenter; sed necessariò futura. Sed post decretum non cognoscuntur de novo futura, nec Deus cognoscit de novo aliquam veritatem, quam independenter à divino decreto terminativè absoluto non prænosceret; nec tale decretum actu terminativè ex parte Dei, sive absolutum, sive conditionatum ex parte objecti, potest esse medium cognoscendi veritates contingentiam sive absolutè, sive conditionatè futurorum. Ergo ratio adversùs Thomistas formata aut nihil convincit, aut probat contrà receptissimam, verissimam, & communem Theologiam.

Verùm in instantiâ detego insignem æquivocationem.

128. Verùm aut me falsum in hoc puncto deprehendo, aut insignis latet hic æquivocatio ab aliquorum præjudicio ablegenda. Respondeo ergo negando, ex discursu suprà facto vel in minimò lædi Divi Thomæ doctrinam, aut ex eo quidquam contra veram Theologiam produci: Proprium ergo judicium, quamvis ex prænotatis in primâ Quæstione, facilè constet, hic (præter infrà dicenda) breviter per partes aperio. Sentio igitur primò Deum, dum certò cognoscit ea, quæ per decretum actu absolutum, & terminativè liberum vel existunt, vel respectu nostri sunt absolutè extitura, certò prænoscere. Quæ quidem nova sunt, non autem novitate se habente ex parte scientiæ, aut cognitionis divinæ; sed solùm novitate se tenente ex parte creaturarum existentium, aut futurarum: Quemadmodùm omnes tenentur dicere, certò prænoscere, quæ sunt formaliter contingentia; ita tamen, ut contingentia non se habeat ex parte scientiæ, & sapientiæ divinæ: Sed solùm ex parte rei cognitæ. Sentio secundò Deum non cognoscere, posito decreto de producendis creaturis, eas ut futuras respectu suæ scientiæ, & cognitionis; quamvis clarè cognoscat, eas respectu nostri esse futuras. Utriusque ratio constat ex supra notatis cum Divo Thomâ, & præstantissimo Theologo Boëtio. Primi. Quia futurum ex suâ ratione formali est, quod nunc non est; erit tamen posteà pro aliâ temporis differentiâ, quæ nondum existit. Sed respectu Dei, & suæ scientiæ omnes temporis differentiæ sunt ipsi præsentes ratione suæ æternitatis, quæ omni tempori est indivisibiliter, & infinitè tota simul; & ratione suæ scientiæ, quæ unico intuitu non successivè, ut nos; sed simul simultate ex parte sui actus, quasi de prælto, & infinitè comprehensivo suæ æternitatis speculo, omnia, quæ respectu nostri sunt absolutè futura, ut sibi præsentia contemplatur. Ergo comparativè ad scientiam Dei non cognoscit Deus futura ut futura; sed solùm ut sibi præsentia ea, quæ relativè ad nos futura sunt. Hic discursus manet fusiori calamo probatus suprà, præcipuè præludio 4. probatione 3. meditat. 2. omninò videndâ. Et ratio est. Quia cum esse nostrum sit successivum, utpotè subjacens tempori successivo, & per istud mensuratum, non potest sibi præsentes simul habere res, quæ ipsâ temporum successione, & mutabilitate decurrunt: est enim tempus motus secundùm prius, & posterius: quod quidem de esse Dei, ejusque æternitate, & scientiâ absurdum, & indignum esset cogitare.

Deus igitur certò prænoscit ea, quæ per decretum actu absolutum solutum cognoscit existitia, vel respectu nostri absolutè futura.

Deus, posito decreto de creaturis producendis, non cognoscit eas ut futuras respectu suæ scientiæ, licèt eas futuras cognoscat respectu nostri.

129. Sentio tertiò. Deum independenter ab omni decreto absoluto terminativè ad extrà, prænovisse omnia, quæ hîc, & nunc dicimus absolutè futura, non quidem ut futura, aut existentia, quantum ad existentiam propriam, & naturalem physicam suæ naturæ; sed solùm objectivè in essentiâ divinâ ut infinitè imitabili, aut in rationibus, sive idæis ipsi naturæ divinæ debitis. Unde hæc omnia, quæ in hâc rerum seriè geruntur, non solùm

Deus independenter ab omni decreto certò prænovit omnia objectivè in suâ essentiâ divinâ ut infinitè imitabili.

solùm quantum ad causas necessarias, & liberas; sed etiam quantum ad ejus effectus contingentes, & actus liberos sive absolutos, sive purè conditionatos, objectivè, & intentionaliter certissimè prænovit. Constat etiam hic dicendi modus ex iis, quæ Præludio secundo per totum expendimus, cum pluribus prænotatis Præludio etiam 3. quæ nec aliâ probatione, nec majori authoritate indigent. Ex quibus ibidem subintuli, eandem perfectissimam scientiam, quam modò Deus habet de totâ hujus mundi serie, & rerum, quæ in eo geruntur, prorsùs habiturum; quamvis totus hic mundus (ut potuit) ex libito Dei defuisset. Constat ex Proposit. 2. in 4. Præludio, & Proposit. 3. & 4. in quâ per totam latissimè punctum hoc explicatur. Sentio igitur quartò ea omnia, quæ per decretum actu terminativè absolutè liberum sunt absolutè aut existentia, aut absolutè futura, certissimè cognosci à Deo, non in se ipsis, & in propriâ naturâ immediatè; sed in suâ essentiâ divinâ, aut in rationibus, sivè idæis talium objectorum expressivis, posito tamen decreto libero immutabiliter ex parte sui determinanti, imò operanti talia objecta extra causas. Constat similiter hic modus sentiendi ex Propositione 2. supra in Præludio 4. præjactâ, ubi rationibus, exemplis; & authoritate Sanctorum Augustini, & Thomæ hæc doctrina illustratur.

Objecta absoluta, futura possunt considerari in ratione scibilis, & in quantùm sunt in se formaliter contingentia.

130. Ex his pro illius materiæ intelligentiâ, unum vel alterum facilè colliges. Primum est, objecta absolutè futura posse considerari in ratione scibilis, & prout sunt objectum divinæ scientiæ, & posse considerari in quantum sunt formaliter contingentia, & contingenter existunt in propriâ suâ naturâ ex vi divini decreti præsinientis ea, ut contingenter existant in se ipsis. Si hoc secundo modo considerentur, non sunt objectum scientiæ Dei: Tum quia nulla scientia, adhuc creata, est de contingentibus, ut sunt contingentia formaliter: quia contingentia ex peculiari ratione possunt aliter se habere; secùs autem scientia præsertim divina: Tum quia Deus ea non cognoscit in se ipsis immediatè, & in propriâ suâ naturâ, quo pacto sunt formaliter contingentia. Si verò considerentur in ratione scibilis, & prout sunt objectum divinæ scientiæ: tunc ea, quæ sunt formaliter futura, & formaliter cõtingentia in se ipsis, cognoscit quidem Deus certissimè, non tamen in se ipsis, ut dictum est; sed in medio divinæ essentiæ, in quo habent esse intentionale, & intelligibile; cùm sit veluti imago, speculum, aut similitudo omnium factibilium, sive hæc sint necessaria ex naturâ suâ, & propriâ quidditate, sive contingentia, & libera. Pro quâ explicatione videntur esse, quæ supra prænotavimus quæst. 1. prælud. 1. 2. & seq.

Datur ratio, cur in Deo nón deficeret scientia de contingentibus absolutè futuris, quamvis omnia deficerent.

131. Colliges secundò rationem, vi cujus etiamsi deficerent omnia contingentia absolutè futura, quæ ex voluntatis divinæ proposito existunt secundùm suum esse contingens, & proprium suæ naturæ: non tamen scientia eorum deficeret in Deo. Ratio est. Primò Quia deficientibus illis, non deficeret essentia divina, quæ est medium hujusmodi objecta cognoscendi. Sed manente medio cognoscendi in mente divinâ, non potest non manere cognitio & scientia divina de hujusmodi objectis. Ergo. Major patet. Minor probatur, & explicatur. Quia cùm Petrum extra speculum materiale existentem, & retrò mihi positum, conspicio in illâ imagine speculi, quæ de illo mihi apparet: Certè video ipsum Petrum, qui in propriâ suâ naturâ extra speculum existit: non quidem immediatè in se ipso ut existenti in suo esse proprio, & naturali; sed solùm in imagine expressivâ illius, quæ ob oculos mihi extra speculum observatur: unde in tali casu Petrus est mihi objectum visibile non immediatè in se ipso, prout existit in suâ propriâ naturâ; sed solùm in medio illo suæ speciei, & imaginis, in quâ Petrus habet esse intentionale & objectivum: Unde si deficiente Petro secundùm esse proprium suæ naturæ physicæ, Deus nihilominùs conservaret speciem illam, & imaginem Petri in speculo, eodem modo viderem ipsum Petrum, ac anteà videbam. Sed de hoc non potest alia ratio reddi, nisi quia maneret idem medium videndi Petrum, in quo ipse haberet esse intentionale & objectivum, ut ipsamet experientia ostendit. Ergo cùm omnia contingentia absolutè futura habeant esse intentionale, & intelligibile in essentiâ divinâ, in eâque veluti in medio certissimè cognoscantur; tali medio manente, etiamsi omnia contingentia absolutè futura deficerent secundùm suum esse proprium & contingens, non posset non manere eodem modo cognitio certissima, & scientia divina de hujusmodi objectis.

Idem probatur ratione, & SS. Patrũ authoritate.

132. Secundò. Quia si deficientibus hujusmodi futuris contingentibus, deficeret aliquo modo perfectio divinæ scientiæ circa illa, fieret quod hujusmodi contingentia, & futura essent medium, & causa scientiæ, quam Deus de his habet. Hoc autem, ut ostendi supra, est falsum, & contra mentem Sanctorum Patrum: falsum: quia medium formaliter contingens, formaliterque defectibile nõ potest esse causa ullo modo scientiæ perfectissimæ & indefectibilis: contra Sanctorum Patrum mentem, quia D. Dionysius ubi supra Præludio 4. proposit. 2. ait: *Etenim si secundùm unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundùm eandē causam sciet omnia, & non ex existentibus sumet eorum cognitionem.* Et Sanctus Augustinus tract. in Symbolum cap. 1. ibi: *Sicut omnia cœlestia,*

& terrestria, ac minima quæq; prospiciat Deus; nihil tamen extra se intelligere; sed singula intueri dicitur. Et lib. 83. quæstionum, in q. 48. Ibi: *Sacrilegum est asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* Et Doctor Angelicus 1. part. quæst. 14. artic. 5. Ibi: *Illa verba Augustini dicentis, Deum nihil extra se cognoscere, sic esse intelligenda, non quasi Deus nihil, quod sit, extra se intueatur; sed quod id, quod est extra se ipsum, non intuetur nisi in se ipso.* Quod in exemplo nuper adducto facilè intelligitur. Nam qui videt Petrum in speculo, non potest dici, quod non videat Petrum existentem extra speculum: potest tamen, & debet dici, quod videt extra speculum, sed in speculo.

Deus independenter ab omni decreto, perfectissimè scit omnes veritates tàm purè conditionatas quàm absolutè futuras.

133. Colliges denique, Deum independenter ab omni decreto actu terminativè libero perfectissimè scire omnes veritates sive purè conditionatas, sive absolutè futuras omnium rerum, quæ in hâc mundi serie contingunt; ita ut per decretum actu terminativè liberum non ponatur de novo objectum aliquod proprium divinæ scientiæ: sed solùm Deus per suum decretum terminativè det objectis divinæ scientiæ esse formaliter contingens, & proprium suæ naturæ. Quæ duo sunt valde diversa, & digna notatu. Ratio est. Quia actus liber Dei terminativè non dat rebus esse intelligibile, & intentionale in mente divinâ: cùm hoc esse habeant res ex infinitâ perfectione essentiæ, & scientiæ Dei; sed solùm confert illis esse physicum & naturale in propriâ naturâ quod utpotè creatum, & extra Deum est formaliter contingens, à quo ut tale, certò certius est, scientiam Dei non dependere. Relinquitur ergo subillatum discursum supra adversùs decreta absolutè terminativè ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, ex ipsis Divi Thomæ principiis maximè urgere Scholam Thomisticam, scientiamque conditionatam hujusmodi decretis posteriorem, & in eis fundatam, rationibus Theologicis, & Sanctorum Patrum authoritatibus penitùs everti, & funditùs convelli. Aliàs mitto rationes, quæ pro hâc nostrâ conclusione videri poterunt in nostris Doctoribus, à quibus meritò abstinemus, ne quæ meliori stylo luculenter scripta, & impressa sunt, repetamus. Nunc jam secundæ conclusionis operi accingamur.

LECTIO III.

Secunda conclusio sit. Scientia conditionata, sive media est necessariò statuenda in Deo; illique omninò concedenda independenter ab omni decreto actu terminativè libero absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti.

Pro illa militat universa Societas cum aliorum DD. agmine numeroso

134. HAnc Thesim ut validissimum divinæ Providentiæ murum hactenùs propugnavit, & pro eâ usquequaque impigrè universa Jesuiticæ Societatis Schola certavit; in cujus subsidium suppetit aliorum Doctorum numerosum agmen, quos Patres Annatus, Henao, Borull, & alii nostri Scriptores ad longum referunt. Ante cujus exactam probationem, opus est, nonnulla cursim recolere ex his, quæ supra quæst. 1. prænotavimus.

Hujus mundi fabrica duplex habere esse: nimirùm physicum vel artificiale, & objectivum, sive intencionale in mente divini Artificis.

135. Unde ex dictis in primo, & secundo Præludiis, nota primò, quod sicut fabrica alicujus aulæ, sive domùs duplex solet habere esse: aliud in mente artificis, antequam materialiter, & opere externo fiat: quod esse dicitur intentionale, & objectivum, eo quod juxta regulas artis sibi formet aliquam rationem, sive idæam; in quâ totam fabricam præcognoscat: Alterum verò esse physicum, & artificiale; illud videlicet, quod habet domus, postquam opere externo ex suis materialibus à fundamentis constituitur: Sic fabrica hujus mundi secundùm omnia, quæ illam mirabiliter commendant, duplex etiam habet esse: aliud, quod dicimus intentionale, & objectivum, in essentiâ, & mente Artificis divini, in quâ veluti in clarissimo, & infinito speculo repræsentantur omnia, quæ à Supremo Artifice fieri, & fabricari valent: Aliud est esse physicum, & naturale, quod oculis tam mentis, quàm corporis perspicimus, & demiramur in hujus universi recto ordine, & fabricâ.

126. Nota secundò. Ut ex iis, quæ facta sunt, invisibiles Dei perfectiones investigemus, quod sicut hujus mundi fabrica secundùm suum esse physicum, & externum (quam dicimus, intueri Deum scientiâ visionis, juxta explicationem supra datam) mirabili suæ pulchritudinis nexu coalescit, componiturq; ex varietate temporum, diversitate rerum, ordine causarum secundarum; quarum aliæ ex suâ quidditate sunt determinatæ ad unum in operandum, ut

ut ignis ad comburendum, Sol ad illuminandum; aliæ verò utpotè libero arbitrio præditæ in operãdo sunt indifferentes ad utrumlibet; ut homo indifferenter se habet ex conditione & modo suæ naturæ ad amandum vel non amandum, &c. Ita ut Deus hunc ordinem causarum non solùm certò cognoscat quantùm ad virtutes agentium; sed etiam quantùm ad earum effectus, sive actus tam necessarios, quàm contingentes, & liberos, eorumq; circumstantias, occasiones, auxilia, & adminicula, quibus in hàc occasione fiunt, in aliâ verò non fiunt: Sic hæc eadem mundi fabrica consideratur in Deo ut supremo Artifice secundùm esse intentionale, intelligibile, & objectivum, componitur in esse representativo, & intentionali ex his omnibus, quæ recensuimus, & experientia ostendit, competere huic mundi fabricæ secundùm esse proprium, & naturale consideratæ; ita ut hunc eundem ordinem sive temporum, sive rerum, sive agentium naturalium, sive liberorum, eorumq; actus tam liberos, quàm necessarios, auxilia, sive naturalia sive gratuita, quibus liberè fiunt; Deus in essentiâ suâ ut infinitè imitabili, aut in suis rationibus, sive idæis contempletur, & sciat in esse intentionali, & representativo, independenter ab omni decreto libero terminativè, sive absoluto ex parte actûs & objecti, sive absoluto solùm subjectivè ex parte actûs, & conditionato ex parte objecti, ut latè constat locis supra citatis.

ex duplici modo videndi Petrum in se & in speculo, discursum elevo ad Deũ cognoscente mundum scientiâ visionis, & simplicis intelligẽtiæ.

137. Unde sicut ego possum dupliciter videre Petrum, uno modo, v.g. quando illum video secundùm suum esse naturale, proprium, & physicum suæ naturæ: alio modo, quando eundem Petrum video in specie, aut idæa ipsius formatâ in speculo secundùm suum esse intentionale & objectivum; certè eandem faciem, figuram, & cætera lineamenta, quæ in Petro vidi extra speculum secundùm suum esse proprium, & naturale existente; eadem, inquam, conspicio, dum ipsum video in illâ specie, aut idæâ speculi. Ad hunc igitur modum proportionis analogiâ servatâ, dicimus, Deum totius hujus mundi fabricam videre: primò scientiâ visionis, quatenùs omnia existentia, & respectu nostri absolutè futura, secundùm suum esse physicum, & reale videt in se ipso; hoc est, in suâ divinâ essentiâ, posito decreto libero terminativè & absolutè præfinienti mundum extra se, & in suâ propriâ naturâ. Secundò. Scientiâ necessariâ, quatenus independenter ab omni decreto terminativè, & absolutè existenti in Deo, certissimè cognoscit eandem mundi fabricam, ejusq; ordinem causarum, & suorum effectuum tam naturalium, quàm contingentium, & liberorum in suâ divinâ essentiâ, in quâ habent esse intentionale & intelligibile; longè perfectiori modo, quàm Petrus habet esse illud intentionale, & objectivum in specie impressa materiali speculi; cùm hæc solùm sit species accidentalis expressiva Petri, essentia verò divina sit species substantialis & expressa similitudo non solùm hujus mundi secundùm rerum seriem, quam de facto ex beneplacito divinæ voluntatis habet in suâ propriâ naturâ; sed secundùm alias, & alias series, rerum combinationes, & circumstantias, quas potuit Deus producere secundùm esse physicum; noluit tamen eas disponere. Pro quâ doctrinâ mihi sanè certissimâ, videri poterunt, quæ ex Sanctis Patribus expendimus in hujus controversiæ Præludiis.

Deus unico intuitu hujus mũdi fabricã cõprehendens, non solùm cognoscit causas & in illis earum effectus; sed etiã ipsos pro suis temporũ differentiis.

138. Nota tertiò ex prænotatis etiam suprà Præludio 4. propositi. 5. per totam, quod sicut Deus scientiâ visionis unico intuitu hujus mundi fabricam comprehendens secundùm suum esse physicum, & naturale, certò cognoscit pro suis temporum differentiis, quibus (juxta dicta supra) præsentissimus est, non solùm causas liberas & contingentes in operando, sed etiam earũ effectus, & actus liberos; ita ut istos non videat in suis causis liberis, & certò futuros; sed solùm ut possibiles & contingentes; sed solùm illos certò cognoscat in suis temporum differentiis, necessariò necessitate conditionatâ, & ex suppositione, quod jam sit, ut cum Boëtio, & Divo Thomâ dicebam de ambulatione Petri, loco supra citato: sic etiam Deus, dum eandem mundi fabricam secundùm eundem ordinem, & rerum seriem in suâ essentiâ ut infinitè imitabili, vel in suis rationibus, aut idæis certò, & necessariò cognoscit secundùm esse objectivum, & intentionale, in eis, quatenùs exprimunt, & repræsentant causas liberas, & liberum nostrum arbitrium etiam cum omnibus comprincipiis, & adminiculis ad operandum, non cognoscit etiam secundùm esse intentionale, earum actus liberos ut certò existentes; sed solùm ut possibiles, & contingentes possibilitate, & contingentiâ causarum. Quia tamen ultra comprehensionem causarum contingentium, & nostri liberi arbitrii necesse est, comprehendat earum operationes, aut non operationes liberas, non sistit divina cognitio; sed quasi progreditur, ut cognoscat etiam certissimè secundùm esse intentionale & objectivum, sub iis circumstantiis, & adminiculis ad operandum modò hunc actum liberum, modò alium, modò consensum voluntatis, modò dissensum.

Probo, Deum nõ cognoscere in idæâ causæ liberæ determinatæ amorem v.g. præ nõ amore.

139. Ratio primi est. Quia Deus solùm cognoscit causam liberam, sive liberum nostrum arbitrium in essentiâ divinâ, sive in suâ idæâ, & ratione, ut expressivâ, & repræsentativâ ipsius liberi arbitrii secundùm quidditatem suæ naturæ, & conditionem. Atqui quidditas naturæ, & liberi arbitrii conditio est, quod positis omnibus comprincipiis, & adminiculis sive naturalibus, sive gratuitis ad operan-

operandum, sit indifferens ad utrumlibet; ad amandum scilicèt, & non amandum, &c. Ergo ratio, aut idæa, quam Deus necessariò habet de libero arbitrio, solùm repræsentat ipsum cum indifferentiâ ad utrumlibet. Ergo adhuc secundùm hoc esse intentionale non repræsentat determinatè amorem, nec determinatè non amorem. Ergo Deus in tali ratione, sive idæâ solùm cognoscit actu secundùm esse intentionale liberum arbitrium; ejus verò actus solùm ut possibiles possibilitate, & contingentiâ quidditativâ causæ in operando: Sicuti hoc ipsum cognoscit scientiâ visionis, dum præcisè liberum cognoscit arbitrium secundùm suum esse physicum, & naturale: Imò causa, & ratio cognoscendi sic in propriâ naturâ, est illud prænovisse tali modo secundùm esse intentionale, Sicut in artifice causa, & ratio cognoscendi domûs fabricam sic dispositam opere externo, est illam prænovisse in idæâ, quam de illâ intentionaliter in suâ mente formavit: Quod idem accidit in pictore.

Deus ergo cognoscit actus liberos determinatè in eorum idæis exprimentibus illos sub quibuscumq; adminiculis, & circunstantiis.

140. Ratio secundi est. Tum quia, cum essentia divina sit infinitè imitabilis, & ut talis necessariò cognoscatur à Deo, non solùm est imitabilis à causis liberis, earumque comprincipiis, & adminiculis; sed etiam ab actibus liberis. Ergo ad infinitam divinæ essentiæ perfectionem pertinet habere etiam idæas omnium operationum liberi arbitrii, & causarum contingentium in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus, & sub quâcumque hypothesi, & conditione, quas intellectus noster dicere, & formare potest; ut expressit Divus Thomas ubi suprà proposit. 7. locis citatis, ibi: *Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri, vel excogitari, vel dici; & etiam quæcumque ipse facere potest, omnia scit Deus.* Nunc sic. Sed implicat, Deum habere idæas omnium operationum liberi arbitrii sub quocumque ordine, & serie rerum, quas Deus potest facere, quin in illis certissimè cognoscat omnes operationes liberi arbitrii sub quibuscumque circunstantiis, comprincipiis, & adminiculis. Ergo Deus independenter ab omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei, certò, & necessariò cognoscit omnes operationes liberi arbitrii, omnesque effectus causarum contingentium in quibuscumque circunstantiis, sub quâcumque hypothesi, &c. Dixi, & sæpiùs dixi *independenter ab omni decreto actu terminativè existenti ex parte Dei.* Quia certò certius est, Deum etiam necessariò in se ipso cognoscere potestatem sui liberi arbitrii, & dominii, & actualissimam suæ libertatis perfectionem, quâ liberè possit facere, quidquid voluerit de iis omnibus, quæ necessariò cognoscit? Quam libertatem inter disputandum de objectis liberis purè conditionatis, alii explicant per decretum *quod foret.* Antecedens primum constat. Consequentia verò probatur primò. Quia si Deus ex necessariâ, & infinitâ perfectione, quæ ei ut supremo artifici competit, non haberet rationes illas, & idæas, in quibus independenter ab omni decreto actu terminativè, præcognosceret omnes operationes nostri liberi arbitrii; fieret primò planè ignorare omnes veritates, quæ ex illis operationibus desumuntur: Secundò Deum absque ullâ suæ providentiæ certitudine eas præfinire: Tertiò per aliquod medium creatum, aut formaliter contingens, & defectibile eas tandem cognoscere; ac proinde aliquod formaliter contingens, aut creatum causare scientiam Dei: Quæ omnia sunt valde aliena ab infinitâ Dei perfectione. Minor verò illa, quam supra subsumpsi, clarè probatur. Quia universaliter loquendo, implicat, quod intellectus habeat sibi præsentem aliquam speciem, verbum, aut idæam alicujus objecti, aut rei expressivam, quin in illâ cognoscat talem rem; ut patet de specie speculi, & de verbo nostri intellectûs sæpiùs ostendi. Ergo implicat, quod Deus habeat sibi præsentes rationes illas liberi arbitrii, quin in illis certò, & infallibiliter prænoscat omnes ejus liberas operationes præsentes illis divinis idæis (quæ sunt illarum omnium similitudines substantialiter expressivæ) in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus, in quâcumque rerum serie, & sub quibuscumque principiis, & adminiculis ad operandum.

Scientia simplicis intelligentiæ est, quâ Deus causas omnes liberas, & cõrigentes cognoscit in suâ essentiâ ut infinitè imitabili.

141. Ut ergo omnem de purâ voce Quæstionem in puncto adeò gravissimo amoveamus, ex nuper dictis nota denique, eam scientiam, quâ Deus cognoscit nostrum liberum arbitrium, & reliquas causas liberas, & contingentes in suâ divinâ essentiâ ut infinitè imitabili, sive (quod idem est) in suis rationibus, & idæis, tamquàm in medio talium causarum, & nostri liberi arbitrii expressivo, dici à nobis scientiam simplicis intelligentiæ; tum propter rationes, quibus communiter utuntur Theologi: Tum quia in hujusmodi idæis, & rationibus non cognoscuntur operationes liberæ, nec effectus ex suâ quidditate contingentes, adhuc secundùm esse intentionale, & objectivum. Cujus ratio est, quam nuper attigimus. Quia in medio expressivo causæ liberæ ex suâ quidditate, & conditione indifferentis ad utrumlibet, solùm possunt cognosci ejus operationes ut possibiles: Sub quâ consideratione meritò dicitur

ab

ab omnibus talis scientia, simplicis intelligentiæ. At verò scientia illa, quâ ut omnia comprehendat, & supercomprehendat Deus, cognoscit independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte sui, omnes operationes nostri liberi arbitrii, omnesque effectus ex suâ quidditate contingentes, sub quibuscumque circunstantiis, & comprincipiis, secundùm esse intentionale, & objectivum, in essentiâ divinâ ut ab ipsis imitabili, aut in rationibus, & idæis, quæ exprimunt, & ipsi Deo repræsentant tales liberas operationes, & effectus ex suâ quidditate contingentes: Illa, inquam, scientia dicitur à nobis conditionata, sive media; non quia ex parte actus divini conditionata sit, ut est communis sensus Jesuiticæ Scholæ: Sed quia omnes veritates purè conditionatæ, quæ in Sacris Scripturis revelantur, quæcumque aliæ, quæ pro disputationibus Theologicis formantur à nobis de futuris conditionatis liberis; pertinent ad illam scientiam; & sic sumpto nomine ab illis objectis sub conditione enunciatis, talis scientia jam scientiæ conditionatæ nomen obtinuit: Sicut & hoc ipsum tenentur dicere Recentiores Thomistæ de suâ scientiâ conditionatâ posteriori decreto absoluto subjectivè ex parte Dei, fusiori calamo à nobis in primâ Conclusione impugnato.

Do rationem nominis scientiæ mediæ.

142. Dicitur etiam scientia media, & inter nos non incongruè hoc nomen obtinuit ab ipsis objectis conditionatis. Et ratio nominis est. Quia hujusmodi objecta conditionatè futura, nostro modo intelligendi, mediant inter objecta simplicis intelligentiæ, & inter objecta absolutè futura, quæ pertinent ad scientiam visionis, sive approbationis. Quarè autem Thomistica Schola suæ scientiæ conditionatæ, nomen scientiæ mediæ professâ semper lite recusaverit; præter displicentiam nominis ex placito Sapientissimi nostri Molinæ, & nostratum hujc scientiæ inditi; non erit facilè aliam reddere rationem; præsertim cum ab ipsis Jesuitis nomen scientia conditionata acceptum, sit libenter amplexa: Contra quam, licèt hoc ad Quæstionem *Quid nominis* spectet, ut suprà notavi, hæc ratio formari potest. Scientia illa posterior decreto absoluto ex parte Dei, & in eo fundata, plenis (ut aiunt) buccis dicitur ab omnibus Thomistis conditionata; quia objecta, circà quæ versatur, sunt purè conditionata. Sed hæc objecta purè conditionata, cum non sint objecta scientiæ simplicis intelligentiæ, nec objecta scientiæ visionis, mediant inter ipsa. Ergo sicut scientia illa ex eo, quod objecta illius sint conditionata, rectè dicitur conditionata, sumpto nomine ex parte objecti conditionati; ex connexione doctrinæ ad lib. Periherm. rectè posset, & deberet appellari scientia etiam media, quamvis non anterior; sed decreto posterior. Firmatur hæc ratio. Talis scientia conditionata posterior decreto in sententiâ Thomistarum, nec est scientia simplicis intelligentiæ, & necessariæ, nec est scientia visionis absolutæ; sed solùm scientia visionis liberæ conditionatæ. Ergo inter illas duas scientias simplicis intelligentiæ, & visionis absolutæ, mediat scientia visionis liberæ conditionatæ. Atqui scientia sic medians nostro modo intelligendi, rectè dicitur media. Non est ergo, unde nomen scientiæ mediæ sit Recentioribus Thomistis adeò infensum. His ita; rationes pro stabiliendâ nostrâ secundâ Conclusione breviter perstringam.

Primâ pro Conclusione ratio desumitur ex S. Thoma q. 2. de scientia Dei, art. 8. in corpore.

143. Sit prima desumpta ex Angelico Magistro quæst. 2. de scientiâ Dei art. 8. in corpore, ibi: *Dicendum, quod Deus habet cognitionem de rebus creatis per modum, quo artifex cognoscit artificiata, qui est artificiatorum causa: Unde in contraria habitudine habet se illa cognitio ad res cognitas, & nostra cognitio: Nostra enim cognitio quia est à rebus accepta naturaliter, est posterior rebus: Cognitio autem creatoris, de creaturis, & artificis de artificiatis naturaliter præcedit res cognitas ..... Sed secundùm, quod artifex de operabili habet duplicem cognitionem, scilicèt speculativam, & practicam: Speculativam quidem, sive theoricam cognitionem habet, cum rationes operis cognoscit sine hoc, quod ad operandum per intentionem applicet: Sed tunc propriè habet practicam cognitionem, quando extendit per intentionem rationes operis ad operationis finem ..... Patet igitur, quod apud artificem potest esse cognitio alicujus artificiati; quandoquè quidem quod facere disponit; quandoquè verò quod facere nunquàm disponit; ut cum confingit aliquam formam artificiati, vel artificij, quod facere non intendit ..... Patet ergo, quod Deus potest cognitionem habere aliquorum non entium, & horum quidem quorumdam habet quasi practicam cognitionem; scilicèt quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex ejus scientiâ secundùm ejus dispositionem prodeunt; quorumdam verò, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt; quæ scilicèt nunquàm facere disposuit, habet quidem speculativam cognitionem.* Sic Sanctus Doctor.

Unde duplicem discursum colligo.

144. Ex quibus multiplex discursus efformatur. Sit primus. Cognitio divina, quam Deus habet de rebus creatis, est ad modum cognitionis artificis; quarum neutra est, sicut nostra cognitio, quæ posterior est rebus: eò quòd cognitio creatoris de creaturis, & cognitio artificis de artificiatis naturaliter res cognitas præcedunt. Ergo cognitio creatoris universaliter

versaliter loquendo, anterior est ipsis rebus cognitis secundùm earum esse contingens. Atqui non potest esse anterior ipsis rebus cognitis, quin sit anterior decreto actu terminativè ex parte Dei, per hoc quod habent esse contingens, & proprium suæ naturæ. Ergo à fortiori scientia, quam Deus habet de futuris purè conditionatis, est anterior omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei. Sit secundus. Quia ut ait S. Doctor ibidem: *Apud intellectum divinum, vel artificis indifferenter est cognitio rei, sivè sit, sive non sit.* Ergo cognitio rerum in Deo non dependet ab eo, quod res sint in propriâ naturâ; aliàs cognitio rei in Deo non esset indifferenter, sive res sit, sive non sit. Ergo cognitio rerum indifferenter est in Deo, sive decretum sit, vel non sit actu terminativè ex parte Dei. Ergo cognitio saltem speculativa rerum erit in Deo independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei. Utraque consequentia probatur. In sententiâ Thomistarum res, sive quæ dicuntur conditionatæ, sive quæ sunt absolutè futuræ, non possunt esse nisi per decretum actu terminativè, vel absolutum tam ex parte actûs, & objecti. Sed cognitio saltem speculativa. Omnium rerum est in Deo independenter ab eo, quod res sint in suâ propriâ naturâ, & suo esse contingenti. Ergo cognitio omnium rerum, sive quæ dicuntur absolutè futuræ respectu nostri, sive quæ dicuntur conditionatæ, est in Deo independenter ab omni ejus decreto, sive utrinquè absoluto, sive solùm subjectivè ex parte actûs, & conditionatè ex parte objecti. Tunc sic. Sed cognitio illa, quam Deus habet de contingentibus, & liberis conditionatis, est scientia conditionata, & media. Ergo scientia conditionata, sive media est in Deo independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei, & prior illo.

Deinde arguo ex scientiâ speculativâ Dei, de rebus, quas nũquàm facere disposuit.

145. Sit tertius. Sicut apud artificem creatum potest esse cognitio alicujus artificiati, quandoquè quidem quod facere disponit; quandoque verò quod nunquàm facere disponit: Et hanc appellat Divus Thomas theoricam, sive speculativam cognitionem artificis: Primam verò practicam: Sic Deus habet ex ejusdem mente duas cognitiones; aliam practicam, earum scilicèt, quæ suo decreto facere disposuit; qualis est cognitio rerum, quæ fuerunt, aut sunt, vel futuræ sunt: Aliam verò speculativam, & quasi theoricam; qualis est cognitio illa, quam habet de rebus, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquàm futuræ sunt. Sed cognitio speculativa Dei est independens ab omni decreto actu terminativè, & anterior illo; cum sit de rebus, quas facere non disposuit; quæ cum nec fuerint, nec sint, nec futuræ sint, non dependent ab ullo decreto, illas practicè præfinienti. Ergo scientia conditionata, & media, quæ versatur circa purè conditionata, qualis est scientia de conversione, sive pœnitentiâ Tyriorum, & de traditione Davidis sub illis conditionibus, sub quibus revelatæ sunt; & aliorum hujusmodi, est omninò anterior omni decreto actu terminativè, ab illoquè omninò independens. Major, & minor constant ex verbis Divi Thomæ. Consequentia verò probatur. Quia Angelicus Doctor, sive loquatur de divinis idæis, sive loquatur de scientia, aut cognitione divinâ, non cognovit clarè, & expressè in Deo nisi duas scientias, sive cognitiones circà res creatas, aut creabiles: Aliam speculativam, quæ cognoscit res secundùm esse tantùm intentionale, sive res, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquàm extituræ sunt; & aliam practicam rerum, quæ existunt in propriâ naturâ, vel jam extiterunt, vel sunt aliquando extituræ. Ergo scientia, quam habet Deus de pœnitentiâ Tyriorum sub conditione illarum virtutum, & signorum Christi Domini; ac de aliis hujusmodi objectis conditionatis (quam Thomistica, & Jesuitica Scholæ conditionatam appellant, & suâ quæque opinandi viâ Angelico Doctori tribuit) saltem reductivè, necesse est, pertineat ad aliquam ex illis scientiis, aut cognitionibus, quas Sanctus Thomas Deo attribuit. Sed scientia conditionata de pœnitentiâ Tyriorum, & aliis, non potest reduci ex mente communis Magistri ad scientiam, sive cognitionem Dei practicam. Ergo necessariò est reducenda ad scientiam, sive cognitionem speculativam. Primum antecedens, & consequentia probatione non indigent.

Scientia Dei de pœnitentiâ Tyriorum non potest reduci ad practicã ex S. Thomâ.

146. Minor verò subsumpta probatur. Quia scientia, sive cognitio practica in Deo, ut expressè docet Angelicus, solùm est de rebus, quæ vel præsentes sunt in suâ propriâ naturâ, vel fuerunt, vel futuræ sunt. Sed pœnitentia conditionata Tyriorum, & alia hujusmodi objecta conditionata nec actu sunt præsentia in propriâ naturâ, nec fuerunt, nec futura sunt. Ergo scientia conditionata de hujusmodi objectis non potest reduci ad scientiam, sive cognitionem practicam Dei. Rursùs ex verbis S. Doctoris supra: Cognitio Dei practica dicitur illa, sive in supremo artifice, sive in creato, quæ est de rebus præcognitis, quas facere disponit, sive per intentionem applicat ad opus, ut habeant esse proprium extra mentem artificis. Sed scientia conditionata Dei nec disponit,

ponit, nec unquam disposuit, aut disponet facere pœnitentiam Tyriorum, traditionem Davidis, & plura alia objecta conditionata. Ergo talis scientia conditionata non potest reduci ad scientiam, sive cognitionem practicam Dei. Tum sic. Sed Scientia & cognitio speculativa Dei est omninò independens à quocumque decreto actu terminativè existenti ex parte Dei. Ergo talis scientia conditionata de pœnitentiâ Tyriorum, &c. est independens ab omni decreto, & illo anterior. Minor probatur ex doctrinâ Divi Thomæ ubi supra. Quia scientia & cognitio speculativa Dei est de iis, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec futura sunt. Sed nullum decretum actu terminativè, & subjectivè ex parte Dei est necessarium ad hoc, quod res non sint, nec fuerint, nec futuræ sint. Ergo scientia cõditionata est independens ab omni decreto, & anterior illo. Relinquitur ergo, inter abusus scientiæ ordinatæ, & mediæ illud esse præcipuum; videlicet hujusmodi scientiam conditionatorum fundari in tali decreto actu terminativè ex parte Dei. Quod ex dictis in 1.ª cõclusione imperceptibile est: cùm omne decretum actu terminativè ex parte Dei debeat aliquam physicam mutationẽ ex parte objecti causare: quod quidẽ in Tyriorũ pœnitentiâ, & in aliis purè conditionatis minimè contingit.

Respõdet M. Gonet nõ omne divinum decretum causare aliquam physicam mutationem in creaturis.

147. Respondet Magister Gonet disp. 5. de scientiâ conditionatorum, art. 2. §. 6. numer. 50. in solutione ad argumentum Acutissimi P. Vasquez, non omne decretum divinæ voluntatis inferre & causare aliquam, & realem mutationem in creaturâ: Primò, quia Suarez, Granado, Arrubal, & alii ex nostris Doctoribus illud principium P. Vasquez de mutatione physicâ, ut omninò inefficax rejiciunt: nec immeritò: cùm etiam inter defensores scientiæ mediæ sit falsum: cùm isti præcipuè defendant, quod Deus decrevit concurrere cum voluntate creatâ ad actus liberos concursu generali indifferenti, si ipsa videlicet influere; & tamen hoc decretum nullam in eâ ponit mutationem realem, & physicam. Ex quâ doctrinâ infert Gonetus, quod quamvis decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, quæ in Deo ponit Schola Thomistica, & à quibus certam futurorum conditionatorum veritatem & notitiam, vult derivari, nullam inferant realem, & physicam mutationem in creaturâ defectu conditionis, quæ nunquam purificabitur: Inde tamen non licere inferre, ea esse impossibilia: Secundò non semper requiri in objecto realem mutationem, ut terminet liberum decretum; sed sufficere moralem; ut constat, si ab æterno voluisset Deus dispensare cum aliquo in voti obligatione tunc enim decretum illud solùm induceret in objecto mutationẽ moralem. Quod quidem ipse firmat decreto purè remissivo culpæ, quam remitti posse absque physicâ peccatoris mutatione multorum sententia est. Idemque esse dicendum, ait, in proposito: nimirum non esse necessarium, quod decreta conditionata, quæ in Deo admittit Schola Thomistica, inferant mutationem realem, & physicam in creaturâ: sed sufficere quod causent in objecto mutationẽ extrinsecam, & objectivâ, illud transferendo de statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ, & illud ordinando ad existentiam habendam sub conditione. Tertiò. Ex doctrinâ Magistri Alvarez lib. 1. Responsionum cap. 4. num. 10. asserentis, quod quando decretum est absolutum, debet inducere in creaturâ realem, & physicam mutationem absolutam; quando autem est, conditionatum non debet inducere realem mutationẽ absolutè; sed solùm sub conditione, idest sufficere, quod ex vi illius decreti realiter mutaretur creatura, si conditio impleretur: & hæc mutatio conditionata est sufficiens, ut divina voluntas aliter comparetur ad creaturas post illud decretũ, quàm ante. Unde in tali mutatione conditionatâ fundatur respectus rationis quem intellectus noster cõcipit advenire Deo ratione talis decreti. Ex quibus Recentiores Thomistæ colligunt pœnitentiâ conditionatâ Tyriorum reduci non ad scientiam & conditionẽ Dei purè speculativam; sed ad scientiam & cognitionem practicam sub cõditione ex eo, quod tale decretũ licet actu terminativè ex parte Dei practicè se habeat respectu sui objecti nõ absolutè, sed cõditionatè.

Contra illum insurgo ex S. Th. q. 33. de volunt. ar. 4. ad 13. probante omne decretũ Dei inducere mutationẽ ex parte objecti.

148. Verùm hanc Goneti solutionem in primâ conclusione multis præoccupavimus: libet tamen unum vel alterum subjicere, ut constet, quantùm se implicent Thomistæ ut scientiam conditionatam in iis decretis fundatam tueantur. Primò confugit Gonetus ut se expediat ab argumento Patris Vasquez de physicâ mutatione, ad nostros Doctores supra citatos, qui mutationem illam physicam in divinæ voluntatis objecto ut omninò necessariam non probant. Sed quidquid sit de hoc modo opinandi, censeo ex principiis Magistri Angelici, in quolibet decreto libero terminativè ex parte Dei debere ex parte objecti mutationem physicam induci. Rem ostendo ex dictis opusc. de Gratiâ & remiss. culpæ. Primò ex D. Thom. de Verit. q. 23. de Volunt. ar. 4. ad 13. dicente. *Secundùm hoc enim dicitur aliquis esse sciens, quod res scita dicitur esse in sciente..... Cùm verò dicitur Deum velle aliquid: non significatur, illud aliquid inesse Deo; sed tantùmmodò importatur ordo ipsius Dei ad illius effectionem in propriâ naturâ.* Tunc sic. Sed per decretum actûs terminativè & absolutè ex parte Dei circa pœnitentiam Tyriorum, & alia purè conditionata, non importatur ordo ipsius Dei ad effectionem pœnitentiæ Tyriorum in propriâ naturâ. Ergo tale decretum, & velle Dei circa objecta purè conditionata,

tionata, est implicatorium, & imperceptibile ex mente Sancti Thomæ, sine mutatione physicâ ex parte objecti. Minor conceditur ab Adversariis. Consequentia patet. Quia effectio objecti in propriâ naturâ non est mutatio solùm moralis; sed verè, & propriè physica. Secundò. Quia, ut ait S. Thomas, Deus non fertur extra se, ut sciat; quia res scita debet esse in sciente intentionaliter, & objectivè: At ut aliquod creatum velit objectum, extrà se fertur; ex communi Philosophorum axiomate asserentium, voluntatem in objectum volitum ferri; intellectum autem ad se trahere objectum, &c. Sed quidquid est extrà Deum, necesse est, habeat esse reale, & physicum. Ergo imperceptibile est, velle Dei terminativè ut causa voliti alicujus creati, quin tale volitum habeat esse physicum contingens, & mutabile.

Rursùs ex S. Thomâ 1. contra gentes, cap. 79. n. 2. evidenter militãs cõtra Gonet.

149. Tertiò ex efficaci ratione ipsius Magistri Angelici lib. 1. contra gentes, cap. 79. num. 2. ibi: *Voluntas dicitur ad volita, sicut creatura, & creator; non autem potest dici Deus esse creator, vel Dominus, vel Pater, nisi eorum, quæ sunt: Ergo non potest dici velle nisi ea, quæ sunt.* Tunc sic. Sed Deus non est, nec dicitur creator, aut Dominus respectu objecti conditionati, cujus est nunquam conditio ponenda. Ergo nec dicetur velle objectum purè conditionatum. Minor probatur primò. Quia aliter possemus dicere, Deum esse actu Dominum respectu alterius mundi sub conditione futuri, qui ex defectu conditionis nec fuit, nec est, nec unquàm extiturus erit. Secundò. Posset dici actu creans ex parte sui terminativè absolutè alterum mundum conditionatè futurum. Tertiò. Posset aliquis dici actu dives ex parte sui respectu alicujus Thesauri conditionatè futuri, qui ex defectu conditionis nunquàm purificandæ nec est, nec fuit, nec unquàm erit: Quis autem non contemnat hujus mundi divitias purè solùm conditionatas, quarum esse solùm objectivum conjungitur hîc, & nunc cum summâ, & absolutâ paupertate hujusmodi divitis actu ex parte sui, & ex parte divitiarum solùm conditionati? Quis momenti pendat dominium aliquod actu ex parte sui, alicujus regni purè conditionati; cujus nunquàm obtinebit imperium, ex conditione nunquàm purificanda? Si ergo sibilo, & risu excipimus hujusmodi Reges, & divites purè conditionatos ex parte objecti; certè tribuere dominium Deo actu terminativè, & absolutè ex parte sui de mundo, & aliis rebus purè conditionatis, & in propriâ naturâ nunquàm extituris; otiosum planè, ne dicam ridiculum, censeri debet.

Præterea implicat Dei operatio libera ad extra absolutè, ex parte Dei; & purè conditionata ex parte objecti.

150. Quartò. Quia quæcumque creatio, aut operatio Dei circà terminum ad extrà, debet esse libera, & per electionem Dei: Cum certum sit, Deum nec operari, nec posse operari ad extra necessitate naturæ, juxtà illud: *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Sed implicat operatio, & creatio libera ad extrà actu terminativè, & absolutè existens ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, & termini purè conditionati, qui nec est, nec fuit, nec in suâ propriâ naturâ est unquàm absolutè futurus. Ergo implicat volitio actu libera terminativè, & absolutè ex parte Dei respectu voliti, sive termini purè conditionati, & nunquàm extituri in propriâ naturâ. Patet consequentia. Quia velle liberum Dei est ipsum Dei agere ad extrà. Si ergò implicat actio ad extrà absoluta ex parte Dei, & conditionata ex parte termini purè conditionatè futuri; sed qui nunquàm existit; censeturque talis operatio ex parte Dei otiosa, eâdem ratione debet censeri talis volitio, sive decretum ex parte Dei absolutum, otiosum, & imperceptibile. Quamvis enim relatio volunt atis Dei ad volitum, non petat, quod pro omnis tempore objectum existat in propriâ naturâ; petit tamen, quod tale objectum pro aliquo tempore existat. Ait enim S. Thomas loco citato, ibi: *Voluntatis igitur divinæ relatio est ad rem non existentem, secundùm quod est in propriâ naturâ secundùm aliquod tempus; & non solùm secundùm quod est in Deo cognoscente: Vult enim Deus, rem, quæ non est nunc, esse secundùm aliquod tempus; & non solùm vult, secundùm quod ipse eam intelligit.* Ex quibus.

Voluntas libera Dei nõ potest referri ad volitum, secùdùm quod hoc est objectivè solùm in cognoscente.

151. Quintò arguitur contra solutionem Magistri Goneti. Voluntas libera Dei non potest referri ad volitum, secundùm quod volitum solùm est objectivè in cognoscente; sed ad volitum, secundùm quod istud existit secundùm aliquod tempus, ut expressè docet Angelicus. Sed pœnitentia purè conditionata Tyriorum, & quodlibet aliud objectum purè conditionatum (ut fatentur Recentiores Thomistæ cum Goneto) solùm habent esse objectivum conditionatum; ita, ut nunquàm extitura sint in propriâ naturâ. Ergo ex mente Divi Thomæ implicat, voluntatem, aut decretum liberum Dei referri, aut terminari ad hujusmodi objecta purè conditionata.

Purè cõditionatũ objectum cũ non sit physicè existens, nec absolutè imchymæ-

152. Sextò. Pœnitentia purè conditionata Tyriorum vel est existens in propriâ naturâ physicâ pure conditionatè, vel est absolutè impossibilis, vel absolutè possibilis? Non primum: Quia res pure conditionatas habere existentiam realem, & physicam adhuc conditionatam, est

possibile; sed purè possibile, est objectum simplicis intelligētiæ.

chymæricum, & imperceptibile: Cum certum sit, non dari actiones physicas purè conditionatas in propriâ naturâ. Non item secundum. Tum quia pœnitentia illa purè conditionata Tyriorum nullam secum implicationem involuit. Tum quia decretum actu liberum Dei adhuc in sententia Thomistarum non versatur circà impossibilia. Ergo solùm verificatur tertium: Videlicèt quod pœnitentia Tyriorum sit absolutè possibilis. Tunc sic. Sed objectum purè possibile pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ anterior est, & independens ab omni decreto. Ergo scientia conditionata, quâ Deus prænovit pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum, & alia hujusmodi objecta purè conditionata, solùm pertinet saltem reductivè ad scientiam simplicis intelligentiæ. Ergo talis scientia conditionata nec est libera conditionatè, nec fundatur in decreto libero; sed est ab illo omninò independens.

Scientia divina de objectis, quæ nec sunt, nec erunt, nec unquàm futura sunt, est simplicis intelligētiæ; talis autē est media

153. Septimò. Quia scientia conditionata, quam Deus habet de illa purè conditionatâ pœnitentiâ Tyriorum, sicut & de aliis objectis purè conditionatis, adhuc juxtà mentem Thomistarum, est de objectis, quæ ex nunquàm purificandâ eorum conditione, nec sunt, nec fuerunt, nec ullo unquàm tempore sunt absolutè futura. Sed scientia, quam Deus habet de objectis, quæ nec fuerunt, nec absolutè sunt, nec sunt absolutè futura, est simplicis intelligentiæ, quæ anterior, & omninò independens est ab omni decreto actu terminativè libero Dei. Ergo. Major supponitur ex Thomistarum principiis. Minor est expressa Divi Thomæ 1. part. quæst. 14. artic. 9. quem refert Gonet disputat. 3. de causalitate scientiæ Dei, artic. 2. §. 2. n. 22. ibi: *Quædam licèt non sint nunc actu; tamen vel fuerunt, vel erunt; & omnia dicitur Deus scire scientiâ visionis ..... quædam verò sunt, quæ sunt in potentiâ Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis; sed simplicis intelligentiæ.* Nunc sic efficaciter arguitur. Pœnitentia purè conditionata Tyriorum, & alia, quæ asseruntur, objecta scientiæ conditionatæ, nec actu sunt in propriâ naturâ, nec fuerunt, nec erunt. Sed hujusmodi objecta cognoscit Deus solùm scientiâ simplicis intelligentiæ; ut tenet Angelicus. Ergo pœnitentia purè conditionata Tyriorum, & alia hujusmodi objecta conditionata solùm sunt objecta scientiæ simplicis intelligentiæ. Ergo scientia conditionata Dei, quæ circà hujusmodi objecta versatur, solùm potest saltem reductivè pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ. Hæc autem est anterior omni decreto, & ab illo omninò independens. Ergo talis scientia in illo Thomistico fundata decreto, potiùs est abusus divinæ scientiæ, quàm rectus, & Theologicus ejusdem usus.

Imperceptibile est Thomisticū decretū solùm causare in objecto objectivā & extrinsecā mutationem.

154. Octavò. Quia imperceptibile est etiam, quod decretum actu terminativè ex parte Dei, omni reali, & physicà mutatione seclusâ, solùm causet in suo objecto objectivam, & extrinsecam mutationem, illud transferendo ab statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ; ut contendit Goneti solutio. Ergo. Probatur antecedens primò. Quia decretum liberum Dei cum totam suam mutationem habeat ad extrà, non habet ex suo munere res efficere in esse objectivo, & intentionali: Quamvis enim intelligat, divina decreta libera solùm ponere rem objectivè in mente divinâ; etenim vel Deus independenter à tali decreto conditionato habet idæam illius objecti conditionati, quod objectivè, & extrinsecè causat illud decretum, vel non? Si hoc ultimum: Ergo decretum illud liberum actu terminativè ponit aliquam idæam, & medium cognoscendi in Deo, quod ante non habebat. Patet consequentia. Quia in D. Thomæ sententiâ Deus in se ipso tamquàm in medio, & idæâ rei cognitæ, cognoscit talem rem. Ergo si ante tale decretum non erat in Deo medium, aut idæa cognoscendi pœnitentiam illam conditionatam Tyriorum necesse erit, quod per tale decretum ponatur talis idæa in Deo: Ac proindè sicut asseritur, per tale decretum mutari extrinsecè, & objectivè pœnitentiam conditionatam, consequenter debet dici, per illudmet mutari extrinsecè, & objectivè idæam, & medium cognoscendi in Deo. Si verò dicatur primum: Ergo ante decretum prænovit Deus illud objectum, quod inutiliter asseritur per decretum. Patet consequentia. Quia cognito medio, aut idæa alicujus objecti, non potest non cognosci tale objectum. Sed ante decretum cognoscit Deus idæam illam de Tyriorum conversione conditionatâ; & sic de aliis. Ergo ante decretum cognoscit Deus conversionem illam conditionatam. Ergo ante decretum conversio illa habuit illud esse objectivum, quod absque ullo fundamento asseritur extrinsecè causari per decretum.

Ejusdem implicantia decreti, & objectivæ tantùm mutationis probatur ex Psal. 134.

155. Probatur secundò illud antecedens. Quia implicat decretum absolutum tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti, quin per tale decretum determinetur divina omnipotentia ad producendum pro aliquâ temporis differentiâ tale objectum in propriâ naturâ. Ergo implicat decretum actu terminativè, & subjectivè ex parte Dei, causare objectivè, & extrinsecè aliquod objectum

ctum purè conditionatum, quin per tale decretum saltem ex parte Dei determinetur omnipotentia ad illud objectum conditionatè ponendum. Antecedens constat. Consequentia verò probatur. Quia ex Psalmo 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit Dominus*; utiquè absolutè. Ergo si voluit conditionatè, omnia quæcumque liberè voluit conditionatè fecit. Sed omnia, quæcumque voluit voluntate, & decreto absoluto tam ex parte actûs, quàm ex parte termini, fecit Dominus actione physicâ, & absolutâ tam ex parte Dei, quàm ex parte termini. Ergo omnia, quæcumque voluit voluntate, & decreto actu, & terminativè, & absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, fecit Dominus actione physicâ absolutâ ex parte Dei, & conditionatâ ex parte termini. Subsumo nunc. Atqui juxtà Divum Thomam, & omnes Scholasticos est planè imperceptibilis aliquis influxus divinæ omnipotentiæ, sive aliqua illius actio physica circà effectum purè conditionatum, & nunquàm extiturum ex defectu conditionis nunquàm ponendæ. Ergo propter eandem rationem planè implicatorius, & imperceptibilis erit actus liber Dei actu terminativè ad extrà circà objectum, & terminum purè conditionatum.

Ex D. Thomâ 2. cõtra gẽtes cap. 23. n. 2. Deus non operatur ex necessitate naturæ; sed liberè: implicat autè, omnipotentiam ferri ad extrà in terminũ purè cõditionatũ.

156. Nonò. Quia ex Divo Thomâ, & Scholæ Thomisticæ principiis omnipotentia Dei cum nec operetur, nec operari possit ad extrà necessitate naturæ, aut consistit in ipsâ volitione liberâ, & scientiâ Dei, aut saltem eas necessariò includit. Sed implicat, omnipotentiam Dei ferri extrà se in effectum, aut terminum purè conditionatum actione actu terminativè absolutâ ex parte omnipotentiæ, & conditionatâ ex parte sui termini. Ergo implicat, voluntatem divinam ferri in volitum extrà se volitione, aut decreto actu terminativè, & subjectivè absoluto ex parte sui, & conditionato ex parte termini, aut voliti. Major constat ex Divo Thomæ in pluribus suæ Theologiæ locis, præcipuè 2. contra gentes, cap. 23. num. 2. in fine, ibi: *Quicumque autem eorum, quæ potest facere, quædam facit, & quædam non facit, agit per electionem voluntatis, & non per necessitatem naturæ: Deus igitur non agit per necessitatem naturæ.* Et 1. contra gentes, cap. 72. num. 7. id ipsum probat, ibi: *Præterea: Liberum est, quod sui causa est; & sic liberum habet rationem ejus, quod est per se: Voluntas enim primò habet libertatem in agendo (in quantum autem voluntariè agit quis, dicitur libere agere quamcumque actionem) primo igitur agenti maximè competit per voluntatem agere, cui maximè competit per se agere.* Minor etiam patet. Tum quia nullus hactenùs probavit actionem aliquam omnipotentiæ physicam actu terminativè & parte ipsius, & conditionatam ex parte termini: Tum quia aliter possemus dicere, Deum suâ omnipotentiâ actu fecisse plures, imò infinitas res, & mundos, non absolutè; sed conditionatè ex parte eorum: Quod est planè ridiculum. Consequentia verò legitimè infertur: Ex quâ,

Implicat translatio termini per divinũ decretũ ab statu puræ possibilitatis ad futuritionis purè conditionatæ.

157. Fit primò quod sicut nullum objectum, aut terminus potest transire per divinam omnipotentiam ad statum illum conditionatum, in quo talis terminus extrinsecè, & objectivè solùm causetur per actionem omnipotentiæ; sic est implicatorium, quod sit aliquod objectum, aut terminus ab statu puræ possibilitatis per voluntatem liberam Dei ad statum purè conditionatum, in quo talis terminus solùm habeat esse extrinsecum, & objectum per volitionem liberam Dei actu subjectivè, & terminativè ex parte sui. Fit secundò ratione suprà ductâ de omnipotentiâ Dei, otiosum videri, & planè ridiculum, quod Deus voluerit actu seriò, & libero ex parte sui infinitas res, infinitosque mundos sub conditione extituros. Ratio est. Quia inde sequitur, Deum voluisse liberè infinitas res sub conditione, quas noluit esse absolutè: Sic autem perinde esset, Deum seriò nolle res absolutè existentes in propriâ naturâ, ac eas velle seriò ex parte sui conditionatè existere in propriâ naturâ: quæ cogitatio in omni Scholâ videtur extranea.

Impugno Goneti solutionẽ ex M. Alvarez desumptam.

158. Decimò. Quia nec alicujus est momenti solutio, quam ex Magistro Alvarez approbat Gonetus; videlicèt non requiri mutationem realem, & physicam absolutam ex parte objecti conditionati, etiamsi ex parte Dei actu subjectivè sit decretum liberum absolutum; sed sufficere mutationem realem conditionatam; quæ consistit in eo, quod ex vi talis decreti mutaretur creatura, si conditio impleretur: Quæ mutatio conditionata sufficit, ut ad creaturas Deus aliter comparetur. Hoc inquam nullius est fundamenti. Ergo si ex parte Dei est absolutum decretum liberum subjectivè, debet ex parte objecti esse absoluta mutatio realis extrinseca. Probatur assumptum primò. Quia mutatio illa extrinseca, & realis conditionata objecti voliti, cum non sit purè nihil, debet habere aliquod esse. Vel ergo hoc esse est solùm purè objectivum, & intentionale, vel physicum reale, & in propriâ naturâ? Si primum: redeunt argumenta suprà facta. Si secundum: Ergo objecta purè conditionata, & nunquàm extitura, habent aliquod esse physicum, & reale verum, licèt conditionatum: Ac proindè sicut objecta absolutè futura, existunt pro sui differentiâ temporis per veram actionem physicam abso-

absolutam, suntque effectus divinæ omnipotentiæ: sic objecta purè conditionata existunt pro aliquâ differentiâ temporis per veram & realem actionem physicam conditionatam, eorumque effectus Omnipotentiæ divinæ; quod etiam satis est impugnatum supra, nec audent Thomistæ concedere. Ergo dicere, objecta illa conditionata mutari extrinsecè mutatione reali conditionatâ, præter verborum sonum, nihil præstat ad argumenti solidam solutionem.

Ad mutationē objecti sub nunquam adimplendā conditione futuram, prorsùs otiosum est divinū illud Thomistarum decretum.

159. Secundò. Quia explicatio hujus mutationis realis extrinsecæ & conditionatæ (ut docent Gonet, & Alvarez) consistit in eo, quod objectum volitum vi talis decreti esset, & mutaretur in propriâ naturâ, si conditio adimpleretur. Sed si mittamus verborum offucias, ad hoc non requiritur decretum ex parte Dei absolutum actu, & subjectivè. Ergo scientia Dei circa hujusmodi objecta purè conditionata, est omninò independens à tali decreto, ac proinde non posterior, sed anterior omni decreto libero terminativè ex parte Dei. Major constat, Minor verò suadetur. Quia veritas conditionata, v. g. de pœnitentiâ Tyriorum sub illâ virtutum & miraculorum Christi conditione, ab istâ dependet, sicut ab ipso decreto, aut divinâ voluntate. Sed scientia conditionata, quam Deus habet de illâ Tyriorum pœnitentiâ, & aliis similibus, non petit, quod virtutes & signa existant actu; sed sufficit ea esse possibilia; & quod Deus cognoscat, quod si absolutè, & in propriâ naturâ ponerentur, pœnitentia quoque illa absolutè existeret. Ergo talis scientia non petit, quod decretum aliquod absolutum liberum actu terminativè existat ex parte Dei; sed planè sufficit, quod Deus cognoscendo scientiâ necessariâ plenissimum suæ voluntatis dominium, cognoscat, quod si ponatur aut poneretur actu ex parte Dei decretum actu terminativè absolutum de pœnitentiâ Tyriorum, hæc absolutè existeret. Ergo sicut ad hujusmodi scientiâ conditionatâ nō petitur, quod illa virtutū & miraculorū conditio, actu terminativè existat; sed sufficit prænoscere possibilitatem taliū virtutū, quæ per voces aptè explicatur; *si tales virtutes, & signa forent:* sic ex parte voluntatis divinæ nihil aliud requiritur, nisi scientiâ necessariâ cognoscere possibilitatem sui decreti absoluti, quod à nostris Doctoribus sæpè sæpius declaratur per decretum *quod foret.* Ergo de primo ad ultimum scientia conditionata, sive media, quam necesse est tribuamus Deo de veritatibus purè conditionatis reductivè pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, utpotè ab omni decreto terminativè ex parte Dei independens, eoque anterior.

2. Conclusionis ratio desumitur à scientiâ simplicis intelligentiæ in quâ salvatur media.

160. Secunda ratio pro conclusione nostrâ sic potest efficaciter efformari. Deus prænovit cognitione speculativâ independenti ab omni decreto actu ex parte Dei terminativè totam hujus mundi machinam possibilem, & seriem omnium rerum secundùm circumstantias, hypotheses, & occasiones; ita ut non solùm causas necessarias, & liberas cognoverit possibiles; sed etiam omnes earum effectus, sive actus tam liberos, quàm necessarios. Sed per hujusmodi cognitionem speculativam, quâ Deus comprehendit non solùm causas liberas: sed etiam earum actus liberos possibiles in quâcumque circumstantiâ, & sub quocumque ordine, & serie rerum, optimè salvatur, & rectè explicatur scientia conditionata, & media, de quâ est controversia. Ergo scientia conditionata, & media non alio modo potest defendi in Deo, quam ipsam constituendo ante omne decretum absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Major constat ex his quæ notata & probata sunt ante hujus conclusionis probationem, præter illa, quæ in superioribus hujus controversiæ Præludiis latè expendimus. Minor verò probatur. Deus per hujusmodi cognitionem speculativam prænovit in suâ divinâ essentiâ ut infinitè imitabili, sive (quod idem est) in suis rationibus & idæis omnium intelligibilium, & factibilium expressivis, non solùm causas liberas ut ad utrumlibet indifferentes ex quidditate, & naturâ sui liberi arbitrii; sed etiam omnes ejus actus liberos & contingentes possibiles ad existendum in propriâ naturâ in quâcumque circumstantiâ, occasione, hypothesi, aut rerum serie possibili. Sed in hujusmodi cognitione, aut scientiâ Dei speculativâ salvatur, & constituitur infallibilis, & certissima scientia conditionata, aut media, quam Deus præhabet de pœnitentiâ illâ Tyriorum, de traditione Davidis, & de aliis objectis sub conditione futuris. Ergo. Major constat. Quia, ut probatum est supra, & communis omnium Theologorum sententia tenet, Deus scientiâ visionis cognoscit certissimè totam hujus mundi seriem, non solùm secundùm causas necessarias, & liberas existentes, & absolutè futuras; sed etiam secundùm actus contingentes, & liberos in quâcumque occasione, & circumstantiâ absolutè futuros. Sed omne id, quod est existens, aut absolutè futurum, eo modo fuit possibile. Ergo Deus cognitione necessariâ, & speculativâ prænovit non solùm causas liberas possibiles, sed etiam earum actus liberos possibiles in quâcumque hypothesi, & sub quâcumque rerum serie possibili: aliàs non diceretur Deus infinitè sapiens.

161. Minor, in quâ est difficultas probatur primò. Quia Deus scientiâ visionis certissimè cognoscit in hâc rerum serie conversionem Magdalenæ potiùs quàm ejus carentiam, aut oppositum, similiter lachrymas, & conversionem D. Petri potiùs quàm perseverantiam in Domini negatione; pariter impœ-

impœnitentiã Judæ, potiùs quàm de suo peccato contritionem; & alia hujusmodi: Ergo hæc omnia possibilia prænovit independẽter ab omni decreto absoluto ex parte Dei. Ergo in aliâ rerum serie, & sub aliis circunstantiis prænovit etiam impœnitentiam Magdalenæ, Divi Petri, & conversionem Judæ, & pœnitentiam, sive conversionem possibilem Tyriorum, & alia objecta, quæ explicantur sub aliquâ conditione, & hypothesi purè possibilibus, quas noluit Deus pro hâc rerum serie, & pro præsenti suæ providentiæ ordine existere, & umquam extituras. Patet hæc consequentia. Quia Deus non solùm habet rationes, & idæas possibilium, quæ decrevit absolutè creare & existere in suâ propriâ naturâ; sed aliarum rerum in infinitum usque possibilium, quas juxta hanc suam ordinariam providentiam noluit existere.

Per suam scientiam speculativam cognoscit Deus omnes veritates sub cõditione futuras

162. Tum sic. Sed Deus per hujusmodi cognitionem, aut scientiam necessariam, & speculativam, quâ independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei prænovit possibilem conversionem Magdalenæ in domo Pharisæi potiùs, quàm oppositum, similiter conversionem Petri, impœnitentiam Judæ, & alio hujusmodi; per eandem, inquam, scientiam prænovit omnes veritates conditionatas, aut sub conditione futuras, quæ de iis, & aliis objectis communiter formantur, & de pluribus aliis formari possunt, Ergo cùm hujusmodi conditionatorum scientia ab omnibus dicatur conditionata, aut media, hæc necessariò erit constituenda in Deo independens ab omni decreto libero terminativè, illoque anterior, & per reductionem ad scientiam necessariam, & simplicis intelligentiæ. Minor subsumpta probatur. Ad quod fingamus casum possibilem; eum videlicet, quo Deus (sicut potuit) noluisset creare hunc mundũ, nec ea, quæ sub hac rerum serie fiunt; solùmq; produxisset creaturam aliquam, sive Angelicam, sive humanam, quam elevasset ad sui visionem, eique aut in verbo, aut in suis rationibus, & idæis hunc mundum possibilem revelasset secundùm omnes ejus circumstantias. In hoc igitur casu nulli potest esse dubium, quod si creatura illa Deum exoraret, ipsumq; consuleret dicens: Domine si mundi fabricam, quam te posse creare contemplans, de facto tuo decreto absoluto terminativè produceres; & Magdalena in illâ convivii circumstantiâ intraret domum Pharisæi, converteretur? Si Christus post negationem sui Apostoli ipsum respiceret, Princeps Apostolorum ageret pœnitentiam & fleret? Judas post productionem ad osculum Divini Magistri, & præclara alia benevolentiæ signa, pœnitentiam egisset? Et alia hujusmodi. Certè in tali eventu nulli unquam dubium esse potest, quin Deus posset certissimè respondere ad omnia illa objecta conditionata dicens; si fuisset mundus ex proposito meæ voluntatis creatus, aut crearetur Magdalena soluta in pœnitentiæ lachrymas, converteretur, meque ardenter diligeret; Petrus amarè fleret; Judas impœnitens decederet; & sic de aliis. Cujus divinæ responsionis oraculum non aliâ ratione foret in tali eventu certissimum; nisi quia ea omnia cernit, cernerétque in suâ divinâ scientiâ, aut idæis secundùm esse objectivum, & intentionale. Nunc subsumo.

Inde ad intentum subsumo.

163. Atqui de facto cognitione, sive scientiâ necessariâ speculativâ videt in eodem divinæ essentiæ medio virtutes & signa, quæ possunt fieri in Tyro, & Sidone; pœnitentiam Tyriorum potiùs, quàm eorum indurationem in illis circumstantiis: similiter mansionem possibilem Davidis in urbe Ceila, & possibilem ejusdem Davidis traditionem in manus Saülis; & sic de omnibus aliis objectis purè conditionatis. Ergo rogatus Dominus de iis sub conditione, quod ea voluisset decernere, posset certissimè respondere eo modo, quo ex sacrâ Paginâ constat revelasse: videlicet: *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent,* Matth. 11. *Si custodierint filii tui legem meam, sedebunt supra thronum tuum usque in sempiternum.* 3. Reg. 9. *Si trandent me viri Ceilæ, & viros qui mecum sunt, in manu Saul? & dixit Dominus, tradent* 1. Reg. 23. Ergo scientia conditionata, quâ Deus certissimè prænovit hujusmodi veritates conditionatas, est independens ab omni decreto actu terminativè, & absoluto ex parte Dei, licet conditionato ex parte objecti, præcedítque omnem determinationem liberam Dei terminativè circa talia objecta, non solùm absolutam, sed etiam conditionatam ex parte eorum.

Firmo ratiocinium à paritate futurorũ contingẽtium absolutorum.

164. Firmatur ulteriùs prædictum ratiocinium. Sic se habet veritas absoluta futurorum contingentium respectu scientiæ Dei, sicut respectu ejusdem veritas conditionata futurorum sub conditione. Sed posito decreto absoluto de creatione hujus mundi, Deus scientiâ visionis prænoscit in suâ divinâ essentiâ taliter conversionem Magdalenæ, pœnitentiam & amarum Petri fletum, impœnitentiam Judæ, & duritiem cordis, aliosque actus liberos; ut requisitus, aut de illis consultus sub conditionibus, de quibus suprà, si vellet, posset certissimè respondere: mulier peccatrix absolutè converteretur, & Christi pedes suis lachrymis absolutè rigabit, &c. Ergo à paritate rationis de omnibus illis possibilibus, quæ independenter ab omni decreto prænovit, posset Deus rogatus certissimè respondere: si poneretur meum decretum, & vi illius fierent in propriâ naturâ virtutes illæ in Tyro, & Sydone, pœnitentiam egissent: & sic de aliis purè conditionatis. Major patet. Minor etiam

etiam constat. Quia sicut ad illam interrogationem, de quâ Evangelium: *Domine, si in tempore isto restitues regnum Israël?* Respondit Dominus: *Non est vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in suâ potestate:* Poterat, si placuisset, revelare id ipsum, de quo consulebatur; sic posset certissimè respondere circa ea objecta. Consequentia patet. Quia sicut se habet scientia visionis ad veritates absolutas; posito decreto absoluto tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti; sic se habet scientia Dei, si poneretur decretum. Sed posito jam decreto absoluto, scientia Dei certissimè cognoscit illas veritates absolutas. Ergo sub conditione illâ, quod terminativè poneretur ex parte Dei tale decretum, Deus prænoscit veritates illas conditionatas. Ergo sufficit decretum omninò conditionatum tam ex parte Dei, quàm ex parte objecti, ut Deus cognoscat libera, & contingentia sub conditione futura. Ergo scientia Dei conditionata, sive media sufficientissimè fundatur in eâ cognitione speculativâ, quâ Deus in essentiâ suâ, sive in ejus idæis, & rationibus speculativis, cognoscit non solùm causas liberas possibiles; sed etiam earum actus possibiles in suis circunstantiis, & sub quâcumque serie, aut ordine possibili, simul cognoscendo, ea omnia esse posita in sui dominii plenitudine, & potestate, de illisque posse ad suæ voluntatis nutum disponere.

Denique probatur Cõclusio, recẽsẽdo difficultates, quæ per illam facillimè expediũtur.

165. Probatur deniquè Conclusio nostra. Quia per hunc dicendi modum, quem suprà ex mente Sanctorum Augustini, Thomæ, & aliorum firmavimus, expediuntur plures difficultates, quæ valdè implicant alios discurrendi modos in materiâ; qualis est illa, in quo medio Deus cognoscat illa libera conditionata futura, & alia contingentia? Quid sint, aut in quo consistant hujusmodi objecta; an sint in Deo, an extrà eum; an aliquid creaturæ imputabile? Et alia hujusmodi: Quibus ad agonem usquè Scholasticum plurimi fatigantur. Rem breviter ostendo primò. Quia medium certissimè cognoscendi hujusmodi contingentia, & libera conditionatè futura, est ipsa essentia divina ut imitabilis; vel rationes, sive ideæ illæ speculativè sumptæ, quæ clarissimè explicant, repræsentantque illa objecta libera, quæ à nobis explicantur ut conditionatè futura. Do exemplum. Deus non cognoscit pœnitentiam Tyriorum in idæâ, aut ratione, quæ præcisè repræsentet Tyriorum liberam voluntatem, virtutesque illas, & alia intrinseca comprincipia, quæ tamquàm auxilia, & media possibiliter conferebantur sub illâ hypothesi ad operandum: Sed solùm in eâ ratione, aut idæâ, quæ repræsentat pœnitentiam actuallem, sub illis mediis, ac virtutibus possibilem. Ratio primi est. Quia in primâ ratione, aut idæâ solùm repræsentatur actus primus voluntatis Tyriorum cum omnibus illis virtutibus, & mediis ad operandum. Sed sic repræsentata voluntas est ex suâ naturâ, & quidditate æquè indifferens ad pœnitentiam, & non pœnitentiam Tyriorum. Ergo in tali ratione, aut idæâ non potest cognosci à Deo determinata pœnitentia Tyriorum sub illis virtutibus, de quibus sacra eloquitur pagina. Ergo solùm potest cognosci pœnitentia Tyriorum in tali ratione, aut idæâ absolutè possibilis possibilitate, & indifferentiâ causæ liberæ. Ergo in hujusmodi divinæ rationis medio non potest cognosci illa veritas in Evangelio revelata: Nimirùm: *Quia si in Tyro, & Sydone*, &c. Relinquitur ergo, quod Deus in illâ idæâ, quæ solùm repræsentat voluntatem liberam Tyriorum ut indifferentem indifferentiâ dominii sub illis virtutibus, & comprincipiis, non potest cognoscere nec determinatè pœnitentiam illam, nec non pœnitentiam determinatè; sed solùm pœnitentiam indeterminatè possibilem possibilitate causæ liberæ indeterminatè, & indifferenter se habentis in esse intentionali, & repræsentativo; hujusmodi autem scientiam pleno ore vocamus simplicis intelligentiæ absolutæ.

Sed solũ in idæa exprimẽte pœnitentiam illam sub illâ conditione futuram.

166. Ratio secundi est. Quia Deus non solùm habet idæas, & rationes, quæ repræsentant causas liberas in actu primo ex naturâ suâ, & quidditate cum omnibus suis comprincipiis indifferentes ad utrumlibet; sed etiam quæ exprimunt, & repræsentant earum actus liberos sub illis principiis determinatè in omnibus circunstantiis, & in quâcumque serie possibili: Aliàs Deus non prænosceret omnes eventus, & operationes possibiles omnium creaturarum liberarum, & contingentium: Quod infinitæ perfectioni scientiæ Dei maximè derogat: Tum quia si Deus non haberet idæas, & rationes actuum, & operationum liberi arbitrii in quâcumque circunstantiâ, & rerum serie, Deus non esset infinitus, & perfectissimus artifex; Tum quia scientia speculativa factibilium, quam Deo tribuunt Theologi omnes, non esset infinitè comprehensiva: Cum ex defectu medii ad cognoscendos tales actus, & operationes liberas determinatè, ad hujusmodi veritates non pertingeret. Tum quia Deus de facto, posito decreto absoluto præfinienti, per scientiam visionis cognoscit in hâc circunstantiâ, & temporis differentiâ hunc actum liberum potiùs, quàm ejus oppositum; in aliâ consensum potiùs, quàm dissensum; modò peccatum Antichristi potiùs, quàm

quàm ejus amorem, & obedientiam ergà Deum; & sic de aliis; quæ absque ullâ controversiâ ab omnibus Theologis admitti, necesse est. Tunc sic. Atqui omnia, quæ Deus per scientiam visionis, posito perfinienti decreto, videt certò, & absolutè futura respectu nostri, vidit independenter ab omni decreto ut certò determinatè possibilia. Ergo Deus independenter ab omni decreto, vidit in hâc circunstantiâ possibili consensum determinatè possibilem potiùs, quàm dissensum; conversionem Magdalenæ determinatè possibilem in occasione Evangelii potiùs quàm ejus impœnitentiam, &c. Patet ergo ex necessariâ, & infinitâ perfectione suæ scientiæ competere Deo rationes, sive idæas, in quibus prænoscat omnes actus, & operationes liberas determinatè possibiles non solùm possibilitate causæ; sed possibilitate ipsorum actuum, in quibus modò cognoscat consensum determinatè possibilem potiùs, quàm dissensum: Et in aliâ circunstantiâ econtrà dissensum determinatè possibilem potiùs, quàm consensum; & sic de aliis. Unde hujusmodi scientiam, quâ Deus prænoscit independenter ab omni decreto in suis rationibus, aut idæis pœnitentiam v. g. Tyriorum determinatè possibilem sub illis virtutibus potiùs quàm eorum impœnitentiam; & sic de aliis; dicimus scientiam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ, aut saltem reductivè ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Aliâ ratione assumptum idem stabilio.

167. Ostendo secundò. Quia ea scientia, quâ Deus certò cognoscit veritates illas conditionatas actuum liberorum, & contingentium, dicitur conditionata, & media; ut constat ex dictis. Sed Deus in medio illo, quo certissimè attingit potiùs pœnitentiam Tyriorum determinatè possibilem, quàm ejus oppositum; certò cognoscit veritatem illam de pœnitentiâ revelatam in Evangelio. Ergo. Probatur minor. Quia res certò præcognita in aliquo medio, certissimè potest affirmari eo modo, quo in tali medio cognoscitur, & repræsentatur. Sed in medio jam explicato Deus certò præcognoscit pœnitentiam Tyriorum sub illis virtutibus, & in illis circunstantiis determinatè possibilem potiùs, quàm ejus impœnitentiam; aliundèque necessariò cognoscit Deus sui dominii potestatem; quâ, si vellet, posset absolutè determinare illas virtutes, & circunstantias prædicationis Christi Domini. Ergo Deus cognoscendo independenter ab omni decreto actu terminativè, hæc omnia potuit certissimè revelare, & affirmare, quod nimirùm *Si in Tyro, & Sidone factæ*, &c. Ut quid ergo Scholis intruditur decretum liberum Dei actu terminativè tamquàm causa pœnitentiæ conditionatæ Tyriorum; præsertim cum hujusmodi decreta repugnent Divi Thomæ principiis, ut constat ex dictis?

168. Ostendo tertiò. Quia si perquiratur de existentiâ, & esse talium objectorum contingentium conditionatè futurorum; res juxtà præjacta principia est facilis. Licèt enim objecta illa conditionata non habeant esse proprium, & physicum in propriâ naturâ; habent tamen esse intentionale in essentiâ divinâ, sive in rationibus, & idæis, in quibus cognoscuntur: Sicut enim ad comparandam notitiam de Petro, non est necessarium, eum præcisè videre immediatè in se ipso, & secundùm propriam naturam; sed sufficit, eum videre in specie sui speculo impressâ, eò quòd in illâ habeat esse intentionale: Sic ut Deus certissimè cognoscat pœnitentiam Tyriorum conditionatam, sufficit, quod hæc habeat esse intentionale, & objectivum in essentiâ divinâ, vel in idæâ, quæ talem pœnitentiam repræsentat sub illis virtutibus, & comprincipiis, de quibus suprà. Ratio est primò. Quia nullum objectum potest intelligi ab aliquâ potentiâ, nisi tale objectum sit in actu, habeatque esse sive proprium suæ naturæ, sive intentionale, & objectivum in aliquo medio, quod sit illius expressa similitudo; ut patet de visione Petri vel in se ipso naturaliter existenti, vel in specie, aut imagine sui in speculo. Atqui scientia divina cum non causetur ab objectis creatis, non potest ea in se ipsis cognoscere. Ergo solùm potest ea cognoscere in medio suæ essentiæ. Ergo necesse est, talia objecta habere esse intentionale in essentiâ divinâ tamquàm in specie, aut imagine substantiali omnium rerum expressivâ.

Si de existentia contingentium conditionatè futurorum per quæratur juxtà dicta est facilis.

169. Ratio est secundò. Quia non requiritur existere in proprio esse domum v. g. extrà mentem artificis; sed sufficit, si existat, in idæâ, quam in mente formavit. Cum ergo Deus sit perfectissimus, & infinitus artifex, necesse est, ut omnia, quæcumque potest disponere, & extrà producere, habeant esse in mente divinâ: Unde ut aditus præcludatur innumeris æquivocationibus; cum loquimur de objectis divinæ scientiæ necessariæ, sive sint absoluta, sive sint conditionata, sive quocumque modo dicantur, & formentur à nobis: Duo oportet advertere; scilicèt & ea objecta, quæ cognoscuntur, & esse talium objectorum: Objecta quæ intelliguntur, sunt ipsæ res secundùm suam essentiam, & quidditatem: v. g. In medio divinæ essentiæ, cognoscit, quod homo sit animal rationale, Angelus substantia spiritualis, liberum arbitrium sive humanum,

In Deo utpotè perfectissimo artifice, habet esse idæale omnia, quæcùq; potest disponere, & extrà producere.

num, sive Angelicum, quod sit indifferens indifferentiâ dominii ad operandum ex quidditate suæ essentiæ: Similiter cognoscit in tali occasione conversionem Tyriorum; in aliâ eorum impœnitentiam: Quæ omnia cum à suâ voluntate dependeant, ut sint in propriâ naturâ reali, & physicâ, ea omnia videt possibilia in potestate, & plenitudine sui absoluti dominii. Jam verò si loquamur de esse intentionali talium objectorum; hoc esse est ipsa divina essentia, quæ cum sit omnium rerum expressa similitudo; hoc esse similitudinis, quod communiter dicitur intentionale, dicuntur habere in Deo res omnes, quæ in illâ tamquàm in medio cognoscuntur: Si enim hoc esse similitudinis, sive intentionale non haberent in Deo, nullo modo possent à Deo cognosci: Sicut si Petrus non haberet esse similitudinis, & intentionale in illâ specie accidentali speculi, nullatenùs posset in speculo videri. Hæc doctrina manet suprà latissimè explicata prælud. 2. & 3. & in 1. Conclusione.

Aliud est, Deus cognoscere, ab hominibus cognita, & enüciata; & aliud, ea eodem modo, quo homines, illum cognoscere.

170. Ostenditur quartò. Quia aliud est, Deum scire, & cognoscere ea omnia, quæ homines cognoscunt, & enuntiant: Et aliud, ipsum Deum cognoscere ea secundùm modum, quo talia objecta homines cognoscunt, & enuntiant: Primum est verissimum; ut expresè docet Sanctus Thomas quæst. 3. de idæis, artic. 3. in corpore, ibi: *Et quia res, quas facit, vel facere potest, non solùm considerat, secundùm quod sunt in proprio esse; sed secundùm omnes intentiones, quas intellectus humanus resolvendo in eis apprehendere potest; ideò habet cognitionem de rebus operabilibus à se, etiam eo modo, quo non sunt operabiles; & scit etiam quædam, quorum sua scientia causa esse non potest, sicut mala; unde verissimè in Deo practicam, & speculativam cognitionem ponimus.* Secundùm verò est omninò falsum; ut tenet idem Angelicus quæst. 2. de scientiâ Dei, artic. 1. ibi: *Ad 4. dicendum, quod quia illud, quod in Deo est absque omni imperfectione, in creaturis cum aliquo defectu invenitur; propter hoc oportet, quod, ut si aliquid in creaturis inventum, Deo attribuatur, separemus totum, quod ad imperfectionem pertinet, ut solùm remaneat hoc, quod perfectionis est; quia secundùm hoc tantùm creatura Deum imitatur. Dico igitur, quod scientia, quæ in nobis invenitur, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis: Ad perfectionem ejus pertinet certitudo ipsius; quia quod scitur, certitudinaliter cognoscitur: Sed ad imperfectionem pertinet discursus intellectûs à principiis in Conclusiones, quorum est scientia..... Dicitur ergo in Deo scientia ratione certitudinis de rebus cognitis; non autem ratione discursûs.* Ita Magister Angelicus.

Deus igitur non cognoscit futura illa conditionata S. Evangelio revelata, ut conditionata.

171. Ex hoc duplici principio infero primò Deum quidem certissimè cognoscere in se ipso independenter ab omni decreto, simplici quâdam, & speculativâ cognitione, sive intelligentiâ omnes illas veritates conditionatas, quæ in scripturis revelantur, & quæcumque alia objecta conditionata, quæ à nobis formantur, & enuntiantur; non tamen secundùm modum, quo à nostro intellectu formantur, & enuntiantur. Unde non cognoscit eas ut conditionatas, nec conditionatè ex parte sui actûs; sed absolutè, & unico intuitu. Ratio est. Tum quia in his conditionatis: *Si virtutes, & miracula, quæ facta sunt Judæis, Tyriis, & Sidoniis facta fuissent, Tyrij & Sidonij certò pœnitentiam egissent: Si Rex David in Urbe Ceila mansisset, certè traderent in manus Saul*: Et sic de aliis: Datur quædam connexio antedentis conditionati cum veritate consequentis; ut ex se constat: Non enim se habent hujusmodi enunciationes, sicut hæc: *Si Turca saltaret, Sol oriretur*, &c. Atqui Deus non cognoscit, nec attingit ullam veritatem per connexionem unius cum alio, aut ex alio; cum talis modus cognoscendi sit discursivus, & imperfectus. Ergo Deus licèt cognoscat illas veritates, quæ sub conditione affirmantur; non tamen eas cognoscit conditionatè; sed absolutè, nec eas attingit secundùm modum nostrum imperfectum cognoscendi; sed unico intuitu cognoscendo virtutes illas, & sub illis voluntates Tyriorum in eâ occasione, & simul sui dominii potestatem, & idæam pœnitentiæ Tyriorum expressivam, certissimè cognoscit absque ullo discursu, & conditione ex parte suæ scientiæ pœnitentiam, & illam Tyriorum conversionem, quæ à nobis sub illis terminis, & conditionibus explicantur. Ergo cum eadem ratio militet de omnibus veritatibus conditionatis futurorum contingentium, & actuum liberorum, quibus utuntur Theologi in hâc controversiâ ad expediendas difficultates, quæ pro liberi arbitrii cum divinâ providentiâ, & efficaciâ gratiæ concordiâ passim insurgunt; dicendum prorsùs est, Deum prædicto, & non alio modo veritates illas conditionatas certò attingere. Tum quia hoc ipsum videntur innuere antiqui Theologi, cum à controversiâ Sapientissimi Molinæ pronuntiarunt, scientiam conditionatam, sive mediam hoc sibi nomen vendicare non ex parte divinæ scientiæ; sed solùm ex parte objecti secundùm modum, quo intellectus noster talia objecta cognoscit.

172. Infero secundò eâdem connexione

Nec cognoscit objecta futura ut futura. Ita Angelicus q. 2. de scientia Dei, artic. 12. in corpore.

ne doctrinæ Deum nullo modo cognoscere objecta futura, ut futura; sive loquamur de futuris contingentibus absolutis; posito decreto Dei præfinienti; sive de contingentibus conditionatè futuris, quæ independenter ab omni decreto Deus suâ cognitione, & scientiâ speculativâ certò cognoscit. Hujus illationis veritas manet suprà latissimè probata, præcipuè præludio 4. propositi. 5. & iterum potest roborari ex mente Doctoris Angelici quæst. 2. de scientiâ Dei, artic. 12. in corpore, ibi: *Ex quo patet, contingens, ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non posit: Unde cum divinæ scientiæ non subsit falsitas, nec subesse posit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea, ut futura sunt: Tum autem aliquid cognoscitur, ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis, & rei eventum inveniretur ordo præteriti ad futurum: Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam, & quamcumque rem contingentem: Sed semper ordo divinæ cognitionis ad rem quamcumque, est sicut ordo præsentis ad præsens.*

Pro illâ veritate subjicio exemplũ, & conspicua ejusdem S. D. verba ibidem.

173. Quam doctrinam exponit, & probat S. Doctor hoc exemplo, ibi: *Quod quidem hoc modo intelligi potest: Si aliquis videret multos transeuntes per unam viam successivè; & hoc per aliquod tempus; in singulis partibus temporis videret præsentialiter aliquos transeuntes; ita, quod in toto tempore suæ visionis omnes transeuntes præsentialiter videret; nec tamen simul omnes præsentialiter; quia tempus suæ visionis non est totum simul; si autem sua visio tota simul posset existere, simul præsentialiter omnes videret, quamvis non omnes simul præsentialiter transirent. Unde cum visio divinæ scientiæ æternitate mensuretur, quæ est tota simul; & tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deest; sequitur, ut quidquid in tempore geritur, non ut futurum; sed ut præsens videat: Hoc autem, quod à Deo visum est, futurum est rei alteri, quæ succedit in tempore; sed ipsi divinæ visioni, quæ non in tempore; sed extrà tempus est, non est futurum; sed præsens. Ita ergo nos videmus futurum ut futurum: Quia visioni nostræ futurum est; cum ipsa tempore mensuretur; sed divinæ visioni, quæ est extrà tempus, futurum non est..... Sicut ergo noster visus non fallitur unquam videns contingentia; ut sunt præsentia; & tamen ex hoc non removet, quin illa contingenter eveniant: Ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, sive quæ nobis sunt præsentia, sive quæ præterita, sive quæ futura: Quia sibi non sunt futura; sed ea inspicit esse tunc, quando sunt: Unde ex hoc non removetur, quin contingenter eveniant. Difficultas autem in hoc accidit, eò quòd divinam cognitionem significare non possumus, nisi per modum nostræ cognitionis, consignificando differentias: Si enim significaretur, ut est Dei scientia, magis deberet dici, quod Deus scit hoc esse, quàm quod sciat futurum: Quia sibi nunquam sunt futura; sed semper præsentia. Unde etiam, ut Boëtius dicit in lib. 5. de consolat. ejus cognitio de futuris, magis propriè dicitur providentiâ, quàm prævidentia: Quia ea porrò quasi longè positus in æternitatis speculo, intuetur; quamvis etiam & prævidentia dici possit propter ordinem ejus, quod ab eo scitur, ad alia, quibus futurum est.* Hæc Doctor Angelicus. Ex cujus verbis omninò aureis, quàm plures suppetunt efficaces rationes tum pro certò stabiliendâ præsenti illatione, tum pro depellendâ caligine, quæ in hâc disputatione in ipsis difficultatibus, quæ frequenter occurrunt, non absque veritatis dispendio sæpè sæpius offunditur: Unum tamen non omittam, ultima authoritatis verba firmari ex Psalmo 138. ibi: *Intellexisti cogitationes meas de longè..... Et omnes vias meas prævidisti..... Ecce Domine, tu cognovisti omnia novissima, & antiqua..... Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

Alias rationes videapud nostros Doctores.

174. Scio tamen, nostræ Societatis Doctores omninò plures aliis efficacissimis rationibus solidè certare, ut superstructam sententiæ Thomisticæ molem in decretis absolutis ex parte Dei, & conditionatis ex parte objecti, funditùs convellant: Quia tamen instituti nostri haud est, aliorum meditationibus compilatis paginas implere: Scopusque nobis præfixus, hanc Scholasticam, & quasi Theologicam allegationem solùm tentaverit, ut constet, doctrinam Divi Thomæ non esse alienam à nostrâ Xaverianâ Academiâ: Nec in hoc præsertim puncto ab universis Societatis Scholis. Qui plura velit, absque negotio poterit perquam celebres nostrorum commentarios utiliter consulere.



LECTIO

LECTIO IV.

Proponuntur argumenta Thomistarum pro suâ contra primam nostram Conclusionem.

Arguunt ex S. Thomain 1. dist. 46. q. 1. artic. 1. ad 2. & q. 23. de verit. artic. 3.

175. ARguitur primò ex Divo Thomâ in 1. distinct. 46. quæst. 1. artic. 1. ad 2. ibi: *Voluntas antecedens potest dici conditionata; non tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ; sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circunstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Sed voluntas antecedens est voluntas beneplaciti, ut docet idem S. Doctor quæst. 23. de verit. artic. 3. in corpore, his verbis: *Invenitur enim in Deo propriè ratio voluntatis; & sic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & consequentem distinguitur.* Ergo ex Divo Thomâ datur in Deo voluntas beneplaciti conditionata. Hoc argumento utitur Gonetus, ut constet, sententiam Thomistarum ex propriâ Divi Thomæ mente emanare.

Divina voluntas salvandi homines est antecedens, & absoluta ex parte actus, quàm ex parte mediorum.

176. Respondeo igitur, primò voluntatem antecedentem juxtà mentem Divi Thomæ esse absolutam tam ex parte actûs, quam ex parte mediorum, quæ præparat Deus omnibus hominibus, quos vult salvari; unde ex hâc parte cum jam habeat objectum extra se formaliter contingens, & secundùm propriam naturam, nulla est difficultas in concedendâ hâc voluntate in Deo; cum habeat effectum, & terminum suæ libertatis, sine quo, ut constat ex dictis, implicatoria, & imperceptibilis est quæcumque volitio libera actu terminativè in Deo: Per hanc igitur voluntatem Deus dicitur velle, omnes homines salvos fieri; ut docet idem S. Doctor eâdem quæst. de verit. art. 2. in corpore dicens, ibi: *Quia ergò omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle.*

Illa volũtas potest dici cõditionata; sed non purè; & ratio sumitur ex Angelico ibidem.

177. Respondeo secundò voluntatem antecedentem posse dici conditionatam in sensu intento à D. Thomâ, & à Damasceno, qui utramque voluntatem introduxit: Aliud non esse, nisi Deum dedisse omnibus hominibus naturam ordinatam ad beatitudinem, cum omnibus illis mediis sive naturalibus, sive gratuitis, quibus, nisi stet per ipsos, omnes homines possint salvari: In quo præcisè nulla est veritas purè conditionata, nec ex parte actûs, ut supponitur, nec ex parte voliti: Quia non est conditionatè verum: Sed absolutè est verum, Deum ex parte sui dedisse omnibus hominibus naturam ordinatam ad beatitudinem, & sufficientia media, quibus ipsi, nisi defectus stet per ipsos, salutem consequantur: Et hoc est velle voluntate antecedente, omnes homines salvos fieri, quatenus est ex parte sui: Non tamen voluntate consequente: Quia voluntas consequens Dei est, quæ benè operantibus vult absolutè dare gloriam. Ratio hujus explicationis sumitur ex S. Doctore loco citato, ibi: *Dicendum, quod voluntas divina per antecedentem, & consequentem convenienter distinguitur: Cujus distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit: Dicit enim in 2. lib. quod voluntas antecedens est acceptio Dei ex se ipso existens: Sed voluntas consequens est conversio ex nostra causâ.* Ex quibus clarè constat, voluntatem antecedentem posse dici conditionatam; idem esse, ac Deum non velle voluntate consequente, & absolutâ ulli hominum dare gloriam, nisi existat conditio meritorum, & bonorum operum. Hinc est, quod utraque voluntas infert veritatem absolutam, & objectum absolutè existens in propriâ naturâ. Etenim objectum voluntatis antecedentis est natura rationalis ex se ordinata ad beatitudinem cum omnibus requisitis ad eam obtinendam, nisi ex parte hominis sit defectus: Cum ergo tam natura rationalis, quàm illa requisita absolutè existant in propriâ naturâ; inde est, quod talis voluntas nec ex parte Dei, nec ex parte mediorum, quæ vi illius omnibus hominibus præparantur, possit dici conditionata. De voluntate consequenti res etiam est facilis: Quia hæc ab omnibus dicitur absoluta, quatenùs præsupponit præscientiam meritorum, teste Divo Thomâ in dist. 46. art. 1. ibi: *Voluntas consequens præsupponit præscientiam operum.*

Adversarii abutũtur volũtate Dei antecedẽti ad suã probandã decretã.

178. Ex his planè constat, Adversarios abuti voluntate Dei antecedenti, ad probanda decreta Dei absoluta ex parte actûs, & conditionata ex parte objecti nunquàm extituri ex defectu nunquàm purificandæ conditionis; violenterque Divi Thomæ authoritatem adduci pro suo opinandi modo. Quæ omnia pro majori solutionis intelligentiâ multis possunt illustrari. Primò. Quia ratio Divi Thomæ asserentis, voluntatem Dei antecedentem posse dici conditionatam; ea est: Nimirùm quia ejus objectum, sive volitum non accipitur cum omnibus circunstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem. Tunc sic. in hoc loco circunstantiæ, & conditiones idem omninò sunt; cum Sanctus Doctor ad probandum, voluntatem antecedentem posse dici condi-

tionatam, assumat pro medio circunstantias ex parte voliti: Nam ly *conditionatam* in primâ terminorum apprehensione comparatur ad aliquam, vel aliquas conditiones. Atqui ex parte voliti, sive objecti solùm deest circunstantia, sive conditio meritorum, aut bonorum operum. Ergo voluntatem antecedentem dici conditionatam, idem est, ac Deum non velle voluntate consequente, absolutâ, & efficaci salutem omnium hominum: Quia ex parte voliti non accipitur, vel deficit conditio meritorum. Major patet ex ipsis verbis Doctoris Angelici, & roboratur authoritate S. Ambrosii, qui exponens hûc Apostoli locum: *Deus vult omnes salvos fieri*: ait: *Deus vult omnes homines salvos, si accedant ad ipsum: Non enim sic vult salvare, quod nolentes salventur; sed vult salvare, si ipsi velint.* Ergo ex Divo Ambrosio propter defectum conditionis bonorum operum, potest dici voluntas actûs conditionata; non quia respectu mediorum, & donorum, quæ ex divinâ bonitate omnibus hominibus præparantur, & offeruntur, ut homines, si velint, accedant ad Deum, talis voluntas non sit absoluta, verumque objectum, & terminum absolutè inferat in propriâ naturâ. Jam verò cum in sententiâ Thomistarum decreta illa, in quibus scientia conditionata fundatur, non inferant existentiam absolutam, & in propriâ naturâ sui objecti purè conditionati; sed solùm in esse objectivo, & intentionali, ut docent Thomistæ: Certè voluntas illa Dei antecedens nullum præstat subsidium decretis illis purè conditionatis; hoc est, sine objecto, & termino extrà existente in propriâ naturâ.

Ea voluntas salvâdi homines, non est ita cõditionata, ut hæc propositiõ: *Si in Tyro*, &c.

179. Secundò. Quia illa Apostoli propositio ad Timoth. 2. *Qui vult, omnes homines salvos fieri*; non est conditionata, sicut ista: *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Ergo decretum absolutum ex parte Dei circà pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum, inutiliter probatur per voluntatem salvandi omnes homines. Tertiò. Quia ea, quæ per voluntatem antecedentem fiunt, pertinent ad scientiam visionis, & approbationis absolutæ. Sed objecta illa, quæ conditionatè determinantur, & fiunt per decreta illa, non pertinent ad scientiam visionis absolutæ; sed solùm ad scientiam conditionatam. Ergo longè diversa est ratio de voluntate antecedenti, ac de illis decretis. Quartò. Quia decretum de pœnitentiâ conditionatâ Tyriorum, est efficax conditionatè; cum certissimè inferat veritatem conditionatam: Aliàs si esset conditionatè ineffícax, objectum illud nec conditionatè existeret: Sic enim se habet ex parte Dei decretum prædeterminans efficaciter objectum in statu conditionato, ac se habet decretum prædeterminans efficaciter objectum, aut terminum in statu absoluto. Sed decretum, aut voluntas antecedens in Deo de omnium hominum salute, quocumque modo dicatur conditionata, adhuc in sententiâ Thomistarum non est voluntas efficax; sed inefficax. Ergo per hanc voluntatem malè probantur decreta illa purè conditionata ex parte objecti, & subjectivè absoluta ex parte Dei.

Aliud propono remissive Adversariorũ argumẽtum ex pluribus S. Scripturę locis, quæ opinatur sua contrà nere decreta.

180. Ex hâc doctrinâ redditur omninò imbelle argumentum aliud, quod nobis solet objicere Schola Thomistica ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, quæ continere videntur illa decreta conditionata actu terminativè ex parte Dei; ut Genesecos 18. quod Deus dimitteret, & non deleret Sodomam, si in illâ fuerint quinquaginta, aut triginta viri justi: Quod vivet Rex Sedechias, si exierit ad Regem Babylonis; & alia similia; quorum conditiones nunquàm fuerunt positæ: Unde arguit Gonetus. Nam quando Deus talia conditionata ut certò, aut infallibiliter futura pronuntiabat; vel ejus voluntas erat determinata ad illa ponenda, vel non? Si primum: Habetur intentum: talis enim determinatio cum esset libera, & non necessaria, erat aliquod decretum liberum: Et cum non esset absoluta; sed ex aliquâ conditione pendens, non erat decretum absolutum; sed conditionatum, ex parte objecti. Secundum verò dici nequit: Si enim voluntas divina erat suspensa, & indeterminata ad illorum productionem, illi etiam effectus, qui ab illâ tamquam à causâ pendebant, essent suspensi: Cur ergo Deus illa pronuntiat locis scripturæ citatis, ut certos, & infallibiliter futuras, si posita fuisset aliqua conditio?

Ea loca explicantur, sicut ille Mat. 11. *Si in Tyro*, &c.

181. Hæc, inquam, nobis negotium nullum facessunt: Tum quia hujusmodi loca explicantur, sicut textus ille Mathæi 11. de pœnitentiâ Tyriorum; quorum omnium veritatem certissimè, & infallibiliter cognoscit Deus in suâ essentiâ, sine in eorum objectorum idæis ut sibi objectivè præsentem, independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei: Cum ad hoc sufficiat, Deum cognoscere potestatem sui dominii, quâ uteretur, ut parceret Sodomis, existentibus in urbe quinquaginta, aut triginta justis: Ex quâ cognitione rectè, & certissimè pronuntiat dominium, quod dimitteret, & non deleret Sodomam: Non quia actu habeat dominandi decretum: Sed quia in illâ rerum serie haberet talè decretum, existentibus in urbe totidem justis: Quod est valdè

valdè diversum. Ratio hujus est primò. Quia cum talia Deus certò pronuntiabat, erat actu in Deo decretum efficax delendi absolutè Sodomam. Ergo tunc non erat in Deo decretum efficax ex parte sui non delendi Sodomam, si essent quinquaginta, aut triginta justi: Hæc enim purè conditionata non delendi voluntas, suppositâ primâ absolutâ, & efficaci delendi Sodomam, planè videtur otiosa, & absque ullo effectu contraria primæ. Secundò. Quia illa decreta actu ex parte Dei, & purè conditionata ex parte objecti; cum sint actus voluntatis Dei procedentes ex divinâ bonitate, non potest inesse saltem ex parte Dei specialis aliqua dilectio circà Tyrios in volendo eorum pœnitentiam sub illâ conditioone virtutum; & ergà Sodomam in non delendâ misericorditer urbe sub illâ conditione quinquaginta justorum. Cujus ratio est. Quia Deus, adhuc positâ illâ conditione virtutum, quæ factæ sunt Judæis, poterat non velle efficaciter pœnitentiam Tyriorum; sicut sub eisdem virtutibus non voluit conversionem Judæorum; similiter potuisset nolle Sodomis dimittere sub conditione quinquaginta, aut triginta justorum. Sed major dilectio est ex parte Dei, velle pœnitentiam Tyriorum sub illâ conditione, quàm eos delere. Ergo semel admissis hujusmodi decretis ex parte Dei actu terminativè, necesse est, fateri in illis esse, aut præludere specialem aliquam dilectionem ex parte ipsius Dei.

Ex S. Thomâ 3. cõtra gẽtes, cap. 150. n. 2. probo implicatoriã specialẽ Dei dilectionem circa objecta purè conditionata.

182. Tunc sic. Sed specialis dilectio ex parte Dei circà objecta purè conditionata, quæ ex defectu conditionis nec existunt, nec unquàm existent in propriâ naturâ, est imperceptibilis, implicatoria, & expressè contraria principiis Divi Thomæ. Ergo. Minor subsumpta, quæ sola indiget probatione, probatur efficaciter argumento Doctoris Angelici lib. 3. contra gentes, cap. 150. num. 2. ibi: *Dilectio Dei est causativa boni, quod in nobis est, sicut dilectio hominis provocatur, & causatur ex aliquo bono, quod in dilecto est: Sed homo provocatur ad specialiter aliquid diligendum propter aliquod speciale bonum in dilecto præexistens: Ergo ubi ponitur specialis dilectio Dei ad hominem, oportet, quod consequenter ponatur aliquod speciale bonum homini à Deo collatum.* Ita S. Thomas. Subsumo jam. Sed decreta illa subjectivè ex parte Dei, & conditionata ex parte objecti, nullum bonum causant hominibus; cum solùm causent esse objectivum: Hoc autem nec speciale, nec absolutè bonum dici potest: Quod enim extra causas, & in propriâ naturâ non existit, nec unquàm existet, nec existit, non potest dici bonum à Deo: Aliàs dicere possemus, Deum magis diligere quasdam creaturas possibiles præ aliis possibilibus; cum intra possibilium sphæram sint plura beneficia purè conditionata, quæ Deus sub hâc conditione, aut serie possibili conferret his possibilibus potiùs, quàm aliis. Ergo de primo ad ultimum illa Thomistica decreta implicatoria sunt, & omninò repugnantia Divi Thomæ doctrinæ.

183. Arguitur secundò. Quæ non sunt ex se, & ex naturâ suâ connexa, non possunt infallibiliter connecti, nisi ab aliquâ causâ extrinsecâ, & infallibili. Sed conversio Tyriorum v. g. non erat ex se, & ex naturâ rei connexa cum prædicatione Christi Domini, vel cum illis signis, & visionibus, quæ Dominus fecit apud Judæos; ut evidens est. Ergo non poterat infallibiliter connecti cum tali conditione, nisi ab aliquâ causâ extrinsecâ, illa extrema infallibiliter conjungente. Hæc autem non potest alia esse, vel concipi, quàm divina voluntas, quæ, tali positâ conditione, decreverat dare Tyriis efficacem gratiam, per quam infallibiliter simul, & liberè converterentur ad fidem. Ergo. Confirmatur. Quando conditionalis non est vera in vi illationis, non potest esse vera absolutè nisi in vi alicujus causæ extrinsecæ, quæ infallibiliter ponat consequens, posito antecedenti; ut docent Dialectici in Summulis. Sed in istis propositionibus conditionalibus de futuro contingenti, quas Deus in scripturis revelavit: *Si percussisses terram quinquies, aut sexiès, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem* 4. Reg. 13. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent*, Math. 11. & sic de aliis: Antecedens non continet causam certam, & infallibilem consequentem: Nam effectus contingens nullam habet connexionem ex naturâ rei cum conditione. Ergo propositiones illæ conditionales de futuro contingenti non poterant esse veræ infallibiliter, nisi in vi alicujus decreti divini, talia extrema connectentis, &c. Ita Gonet disputat. 5. artic. 2. §. 4.

Arguit 3. Quia cum conversio Tyriorũ nõ fuisset connexa cum illis virtutibus, opus est decreto extrinseco ipsa cõjugente.

184. Respondeo primò. Concedendo totum primum syllogismum, & negando minorem subsumptam. Causa igitur inferens infallibilem illam veritatem de pœnitentiâ Tyriorum, & de hujusmodi aliis veritatibus conditionatis; est ipsa essentia divina, quatenùs ut infinitè repræsentativa omnium rerum, causarum, & actuum etiam contingentium, est medium cognoscendi omnem veritatem; vel (quod idem est) sunt rationes, sive idæ talium objectorum expressivæ: Unde causa connexionis, & infallibilis veritatis de pœnitentiâ Tyriorum, est idæa illa, quæ re-

Ad 3. dico, causã infallibilẽ inferentem illam cõversionẽ, esse divinã essentiam.

præsentat actualem pœnitentiam Tyriorum, liberum eorum arbitrium, virtutes, & reliqua comprincipia, sub quibus potiùs est conversio Tyriorum, quàm eorumdem non conversio. Et ratio est. Tum quia, ut suprà probatum est, Deus ut infinitè, & perfectissimè comprehensivus, habet in suâ essentiâ idæas non solùm causarum contingentium, & liberarum; sed etiam omnium eorum actuum contingentium: Quamvis enim, ut suprà notabam, in idæâ præcisè causæ contingentis etiam cum omnibus suis virtutibus, & comprincipiis non possit Deus certò cognoscere actum contingentem, & determinatè liberum; quia talis idæa solùm est medium cognoscendi causam cum potestate, & indifferentiâ ad utrumlibet; bene tamen cognoscit actum contingentem, & liberum ex suâ quidditate in idæâ, quæ repræsentat in hâc, vel illâ circunstantiâ actum determinatè liberum: Jam verò cum Deus habeat idæam repræsentativam pœnitentiæ Tyriorum sub illis circunstantiis, & virtutibus; & simul cognoscat liberam sui arbitrii potestatem, certissimè in eâ tamquàm in medio intelligibili cognoscit, quod si velit pro suo nutu manifestare practicè, quod speculativè cognoscit in tali idæâ; tunc esset certissimè pœnitentia Tyriorum: Quod est veritas revelata in illo sacro textu Mathæi. Nec ad eandem veritatem cognoscendam, opus est, quod Deus illam modo conditionali, & illativè cognoscat; quasi secum diceret: Si virtutes, & prædicationem, quas apud Judæos fieri decrevi, decernerem apud Tyrios, & Sydonios, absque dubio isti pœnitentiam egissent: Hæc autem conditionalis illatio indigna est Deo; & qui hoc modo concipit Deum sibi loquentem, & de futuris conditionatis meditantem, parùm Theologicè, & pingui minervâ discurrit. Unde modus ille, quo in Evangelio revelata est pœnitentia Tyriorum, solùm deservit, ut nos modo *illo illativo*, & conditionali, pro humani intellectus imperfectione intelligeremus illam veritatem, quam sine conditione, & discursu, unico intuitu in suâ essentiâ, sive in illâ idæâ certissimè cognoscit.

In divinâ essentiâ est idæa, & medium perfectissimè repræsentâs illam cõversionẽ.

185. Tum etiam quia qui cognoscit medium, in quo certissimè, & perfectissimè repræsentatur aliqua res, non potest non cognoscere eam in tali medio; ut exemplo speculi, & pluribus aliis ostendimus suprà: non aliâ ratione, nisi propter connexionem medii cum objecto repræsentato. Sed talis idæa est medium perfectissimè repræsentans pœnitentiam Tyriorum in illis circunstantiis. Ergo talis idæa necessariò connexa cum tali objecto repræsentato, erit causa connexionis, & infallibilitatis ad certò cognoscendam talem veritatem. Tum quia si artifex aliquis in suâ mente formaret idæam alicujus domûs, quæ esset v. g. octangula, & cum hâc, vel illa dispositione atrii, turrium, cubiculorum, & aliorum juxtà regulas artis; quamvis non haberet voluntatem fabricandi opere externo hujusmodi domum sic ideatam; nullus dubitat, quin certò possit elicere hunc discursum conditionalem: Si ego velim domum, quam in hâc meâ idæâ cognosco, ad opus externum producere, illa erit octangula; hoc atrio, turribus, & aliis ornaretur: Ridiculum enim esset, si Theologaster aliquis diceret, artificem hunc non posse cognoscere talem veritatem, nisi eliciendo actum liberum, quo vellet sub conditione nunquàm ponendâ, talem domum esse octangulam; & quod hic actus subjectivè ex parte artificis, & conditionatus ex parte objecti, esset causa veritatis conditionatæ. Ergo cum Deus ex infinitâ suæ essentiæ perfectione habeat idæas omnium actuum liberorum, & contingentium in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus; poterit multò perfectiùs cognoscere omnes veritates, quæ ex connexione medii cum objecto in illis repræsentantur; quin ad hoc teneatur Deus elicere illa decreta omninò sterilia, supervacua, & infructuosa, ut tales causent veritates: Certè cum hoc in creato artifice supervacaneum, & ridendum censeatur, sincerè fateor, talia decreta in Deo esse mihi mysteria captu prorsùs difficilia.

Hinc patet solutio ad 2.

186. Hinc facilis est solutio ad confirmationem, quam format Gonetus ex veritatibus in sacrâ paginâ revelatis. Dico ergo, veritates conditionales illarum propositionum non contineri præcisè in connexione antecedentis cum consequenti in vi illationis præcisè; sed solùm in medio divinæ essentiæ, sive in idæâ illâ, in quâ conjungitur repræsentativè antecedens cum consequenti: Nunquàm tamen hujusmodi veritates posse contineri in decreto illo, quod ponitur à Thomistis, tamquàm causâ extrinsecâ earum. Tres partes continet solutio. Ratio primæ est omnibus communis, & nota. Quia in illâ propositione conditionaliter illativâ; v. g. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuissent*, &c. antecedens est virtutes illæ positæ in Tyriis, & Sydoniis ad movendos eos ad pœnitentiam. Sed nullum principium intrinsecum ex parte causæ liberæ habet infallibilem connexionem cum actu determinato illius. Ergo veritas talis conditionalis nullo modo continetur in connexione antecedentis cum consequenti. Rursùs.

Etiamsi

Etiamsi idæa illa, in quâ repræsentatur liberum Tyriorum arbitrium cum illis virtutibus, & aliis comprincipiis ad operandum nostro modo intelligendi consideretur ut antecedens, nullam potest dicere adhuc repræsentativè infallibilem connexionem cum illo consequenti pœnitentiæ Tyriorum. Cujus ulterior est ratio. Quia medium repræsentans objectum antecedentis cum indifferentiâ ad utrumlibet, non potest adhuc repræsentativè inferre infallibiliter alterum ex extremis determinatè: Quia in medio indifferenti ad utrumlibet, neutrum potest determinatè cognosci, nec infallibiliter inferri. Sed illa idæa solùm repræsentat illud antecedens liberi arbitrii, & virtutum cum cæteris requisitis. Ergo talis idæa non potest esse causa infallibilis connexionis illius antecedentis cum consequenti pœnitentiæ illius conditionatæ.

Illa ergo connexio solùm est in divinâ idæâ, in quâ repræsentativè cõjũgitur antecedens cum consequenti.

187. Ratio secundæ partis est primò. Quia, ut probatum est, in Deo dantur idææ, in quibus cognoscuntur cognitione, & scientiâ speculativâ omnes operationes contingentes, & actus liberi arbitrii independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei. Ergo dantur in Deo idææ, in quibus repræsententur, & cognoscantur causæ liberæ actu operantes utrumque contradictionis extremum simul; v. g. consensum, & dissensum, pœnitentiam simul, & impœnitentiam Tyriorum sub illis virtutibus. Ergo dantur in Deo ideæ, in quibus repræsententur, & cognoscantur operationes liberæ determinatæ, hæ potiùs, quàm aliæ in hâc circunstantiâ, & occasione; vel causæ liberæ actu operantes hunc actum possibilem potiùs, quàm alium: Permitte modum loquendi in statu merè possibilitatis. Primum antecedens, & consequentia constant. Minor verò subsumpta probatur. Quia dari idæas in Deo, in quibus repræsententur causæ liberæ actu operantes; aliud non est, quàm dari in Deo rationes, vel similitudines substantiales causarum liberarum actu operantium: Sicut dari in speculo idæam, vel speciem, in quâ repræsentetur Petrus ingrediens cubiculum; aliud non est, quàm dari in speculo idæam, sive speciem, quæ sit expressa similitudo accidentalis Petri, cubiculum ingredientis. Sed implicat in Deo similitudo, sive idæa duplicis contradictorii, v. g. consensûs, & dissensûs simul in eâdem occasione, & temporis circunstantiâ; aut similitudo pœnitentiæ simul, & impœnitentiæ sub illis virtutibus, & circunstantiis Mathæi 11. revelatis. Ergo solùm potest dari idæa, sive similitudo pœnitentiæ Tyriorum in illis circunstantiis potiùs, quàm impœnitentiæ. Major constat. Minor verò videtur ex ipsis terminis certa. Quia sicut in Deo non datur potentia ad terminum contradictoriè oppositum; sic intrà sphæram rerum possibilium non datur idæa, aut similitudo ad veritatem, quæ implicat contradictionem. Consequentia verò legitimè infertur. Sed in illâ idæâ, quæ est similitudo pœnitentiæ Tyriorum potiùs, quàm impœnitentiæ sub illis virtutibus, & in illis circunstantiis, sive (quod idem est) similitudo, & repræsentatio liberi arbitrii Tyriorum cum talibus virtutibus, & reliquis comprincipiis liberè operantis; conjunguntur repræsentativè antecedens, & consequens illius propositionis conditionalis; videlicèt *Si in Tyro, & Sydone*, &c. Ergo talis idæa est medium, & causa cognoscendi connexionem illius antecedentis cum consequenti, sive (quod idem est) infallibilem veritatem illius conditionalis.

Ulteriori ratione hanc cõnexionẽ firmo in idæâ divinâ.

188. Secundò. Quia in hoc absoluto rerum statu certum planè apud Theologos est, Deum non solùm cognoscere scientiâ visionis causas liberas cum indifferentiâ ad utrumlibet; sed etiam illas actu operantes pro suâ temporis differentiâ: Unde antequàm apud Judæos contingerent, cognovit conversionem Divæ Magdalenæ potiùs, quàm non conversionem, vel ejus voluntatem ex amore, & contritione determinatè operantem; & sic de aliis actibus liberis absolutè respectu nostri futuris. Sed, ut in superioribus ostensum est ex Sanctis Augustino, Thomâ, & aliis Patribus, Deus solùm cognoscit in se ipso omnia absolutè existentia, aut absolutè futura. Ergo in medio, in quo Deus cognoscit voluntatem D. Magdalenæ actu absolutè, & determinatè pœnitentem potiùs, quàm non pœnitentem; cognoscit conjunctionem ejus voluntatis cum divinis auxiliis, cum ejus actuali conversione; pœnitentiâ, lacrymis, &c. Ergo sicut medium, in quo antecedens, & consequens conjunctim cognoscuntur pro statu absoluto, est causa certò, & infallibiliter cognoscendi in statu absoluto, veritatem absolutam talis conversionis; sic in medio illo, in quo independenter ab omni decreto actu terminativè ex parte Dei, cognoscit conversionem possibilem Tyriorum potiùs, quàm non conversionem possibilem sub illis virtutibus, & circunstantiis; ac proinde conjunctionem antecedentis causæ cum omnibus requisitis, cum operatione consequentis, Deus certò cognoscit veritatem illam de pœnitentiâ Tyriorum ex connexione ipsius medii cum antecedenti, & consequenti, quæ in illo conjunctim repræsentantur. Tertiò. Quia suppositis hujusmodi rationibus,

nibus, & idæis, quæ non possunt Deo tutò negari, nisi intellectus in meridianâ luce cœcutiat; veriſſimè formamus hanc conditionalem independenter ab omni decreto Dei, ſic diſcurrendo: Deus ſcientiâ, & cognitione ſpeculativâ cognoſcit verè poſſibilem conjunctionem voluntatis Tyriorum cum eorum pœnitentiâ, cum illis virtutibus, & in illis circunſtantiis: Ex quo principio hæc conditionalis eſt infallibiliter vera: Ergo ſi Deus velit, aut vellet pro ſuo libito, & poteſtate transferre de ſtatu poſſibilitatis talem conjunctionem ad ſtatum abſolutæ futuritionis, talis conjunctio, certiſſimè eſſet, aut erit. Sed talis conjunctio eſt veritas in Evangelio revelata; videlicèt *Si in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent*, &c. Ergo Deus independenter ab omni decreto, & intrà ſphæram ſtatûs poſſibilitatis, in medio ſuæ eſſentiæ, vel in ſuis idæis cognoſcit certò, & infallibiliter hanc veritatem conditionatam; ſicut & omnes alias, quæ in hâc controverſiâ diſputandæ trahuntur.

Nùc probo, illa Thomiſtica decreta non poſſe eſſe cauſâ cõtinentem illam infallibilem antecedẽtis cũ cõſequenti connexionem.

189. Ratio tertiæ partis; nimirùm illa decreta Thomiſtica non poſſe eſſe cauſam extrinſecam, quæ contineat infallibilem connexionem antecedentis cum conſequenti ad certò cognoſcendas veritates illas ſub nunquàm ponendâ conditione revelatas; probata manet ſuperabundanter, & efficaciter omnibus illis rationibus, quas efformavimus in prima & ſecunda Concluſione, & ferè in totâ hâc controverſiâ contrà hujuſmodi decreta, Divi Thomæ, & bonæ Theologiæ repugnantia principiis. Præterea: Certum eſt ex Angelici doctrinâ, ea objecta, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec futura ſunt, eſſe poſſibilia. Sed objecta purè conditionata ſunt de his, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec unquàm futura ſunt. Ergo talia objecta purè conditionata ſunt poſſibilia. Major eſt Sancti Doctoris lib. 1. contra gentes, cap. 60. ibi: *Ea enim, quæ non ſunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo ſciuntur, quaſi ejus virtuti poſſibilia.* Tunc ſic. Sed veritates eorum objectorum, quæ ſunt poſſibilia divinæ virtuti, non poſſunt cognoſci in decreto actu terminativè ex parte Dei; cum nullum decretum actu liberum Dei ad poſſibilia terminetur. Ergo veritates illæ conditionatæ non poſſunt cognoſci in illo decreto Thomiſtico, nec circa tales veritates hujuſmodi decreta poſſunt verſari. Ulteriùs: Quod tales veritates ſint conditionales, & conditionatè futuræ, nec extrahit eas ab ſtatu poſſibilium; nec facit, quod Deus modo conditionali, & ut futura cognoſcat: Hoc enim, ut diximus, ſolùm provenit ex imperfecto modo cognoſcendi intellectus creati: Aliud quidem eſt, quod ſcientia divina cognoſcat veritatem propoſitionis conditionatæ, quam formæ intellectus creatus: Et aliud, quod veritatem illam conditionatè futuram, modo conditionali, & illativo, & ſecundùm modum futuritionis attingat: Hoc, inquam, eſt falſum; licèt primum ſit verum. Relinquitur ergo, in illis Thomiſtarum decretis non contineri, nec ab illis poſſe cauſari veritates illas purè conditionatas.

Pluribus implicatur Gonet dicens, quod poſtà illarũ virtutum cõditione Deũ decreviſſe Tyrii, dare gratiam efficacem.

190. Denique illud, quod ex ſuâ Schola inducit Magiſt. Gonet; videlicèt decretum illud efficax; conditionatum tamen ex parte objecti, eſſe cauſam extrinſecam infallibilis connexionis antecedentis cum conſequenti; ac proinde veritatis conditionatæ; eò quòd, poſitâ tali conditione, decrevit Deus dare gratiam efficacem, per quam Tyrii, & Sydonii infallibiliter, ſimul & liberè converterentur ad fidem: Plures patitur implicationes. Tum quia cum hujuſmodi gratia efficax conſiſtat in phyſica prædeterminatione infallibiliter ex naturâ ſuâ cum illâ Tyriorum converſione connexâ; talis converſio etiam conditionata non poſſet eſſe libera; ut in antelapſo Opuſculo contrà ipſum Gonet, & Recentiores Thomiſtas latiſſimè, & efficaciter oſtendi. Tum quia cum hujuſmodi gratia efficax, ſivè phyſica prædeterminatio non ſit extrinſeca; ſed intrinſeca voluntati creatæ; non ſolùm daretur cauſa extrinſeca illius infallibilis connexionis, & veritatis; ſed etiam cauſa intrinſeca; nimirùm talis phyſica prædeterminatio intrinſecè, & infallibiliter connexa cum pœnitentiâ Tyriorum; ac proinde aliquod creatum poſſet Deo eſſe medium certò cognoſcendi res creatas: Quod expreſsè contradicit totius Divi Thomæ Theologiæ principiis. Et tamen ſequela probatur. Quia in medio intrinſecè, & ex naturâ ſuâ connexo cum conſequenti, certò, & infallibiliter poteſt cognoſci veritas conſequentis. Sed phyſica illa prædeterminatio ex ſuâ natura eſſentialiter, & infallibiliter connectitur cum veritate conſequentis; videlicèt Tyriorum pœnitentia. Ergo Deo eſſet medium certò cognoſcendi pœnitentiam illam Tyriorum, &c.

Arguunt 3. Quia cũ futuritio ſit determinatio in causâ; illa converſio Tyriorũ eſt determinata per de-

191. Arguitur tertiò. Quia futuritio eſt determinatio in causâ. Ergo implicat, rem aliquam eſſe ſub conditione futuram, niſi cauſa prima ſit ab æterno determinata ad dandam illi exiſtentiam in tempore, ſi aliqua conditio ponatur. Sed talis determinatio eſt decretum ſubjectivè abſolutum, & objectivè conditionatum. Ergo decreta illa neceſſariò in Deo admittenda ſunt. Confirmatur ex S. Auguſtino Tract. 68. in

cretum absolutū.

68. in Joannem : Deus fecit futura, ea prædestinando. Sed quæ sunt futura solùm sub conditione, non prædestinavit absolutè saltem ex parte objecti. Ergo ea prædestinavit dependenter ab aliquâ conditione, se ex parte objecti tenente.

Futuritio igitur cõditionata sicut non dependet à cõditione, quæ absolutè sit; sic nec à decreto quod sit absolutè.

192. Objectio procedit ex abusu scientiæ conditionatæ, & non satis penetratâ doctrinâ conditionatorum. Respondeo primò quod sicut futuritio conditionata non dependet à conditione, quæ absolutè sit; sed solùm à conditione, quæ esset; sic non dependet à divino decreto, quod absolutè sit ex parte Dei; sed solùm à decreto, quod esset: Si enim veritas futuri, aut effectûs conditionati, non requirit existentiam conditionis causæ secundæ, à quâ dependet, sed ut ea infallibiliter salvetur, sufficit causa secunda, quæ esset; certè absque ullo fundamento petitur ad hujusmodi veritatem, quod ex parte Dei actu absolutè existat terminativè decretum illud tamquàm causa prima causans talem veritatem.

Veritas propositionis cõditionatæ solùm respectu nostri habet rationem futuritionis, & conditionalis; nõ autem respectu Dei.

193. Respondeo secundò veritatem propositionis conditionatæ, quæ respectu nostri intellectûs habet rationem conditionalis, & rationem futuritionis; respectu intellectûs divini solùm habere rationem certæ, & infallibilis veritatis; quin conditio, & futuritio se habeant ex parte scientiæ Dei. Ratio est. Quia Deus in suâ essentiâ, vel in idæâ, quæ necessariò exprimit, & speculativè repræsentat conversionem v. g. Tyriorum sub illis virtutibus potiùs, quàm non conversionem, &c. Juxtà explicationem suprà datam, & simul sui dominii potestatem ad ponendum, vel non ponendum extrà causas, quod per talem idæam repræsentatur; unico cognoscit intuitu, quod si ei libuerit extra causas educere, quod in tali ideâ repræsentatur; certò, & infallibiliter erit, aut esset pœnitentia Tyriorum, quæ est veritas revelata. Relinquitur, quod Deus independenter ab omni decreto certissimè cognoscit omnes veritates contingentium sub conditione futuras absque ullâ conditione, illatione, aut futuritione ex parte scientiæ Dei: Cum ergo hujusmodi scientia sit, quam Jesuitarum Schola uno omnium assensu, licèt non unâ omnium explicatione, appellat scientiam conditionatam, sive mediam, duo clarè ex principiis nostris evincuntur: Primum scilicèt, scientiam conditionatam, sive mediam non fundari in decreto absoluto, & efficaci ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti; sed esse anteriorem, & omninò independentem à tali decreto. Secundum, talem scientiam saltem reductivè pertinere ad scientiam simplicis intelligentiæ: Cujus abusus (ut vehementer suspicor) ortum duxit ex eo, quod imperfectus modus, quo intellectus noster attingit veritates conditionatè futuras, ad divinam scientiam transferri videtur: Cum reverà nihil aliud sit, quàm veritates possibiles actuum liberorum, quos si Deus velit, aut voluisset extrà produci per suas causas, certissimè essent, sicuti certissimè repræsentantur in essentiâ divinâ, sive in idæis talium actuum ex quidditate suâ contingentium, & liberorum; ut sæpius manet explicitum.

Mẽs Augustini de futuris absolutis, infœliciter detorquetur ad purè conditionata.

194. Ad confirmationem dic, mentem S. Augustini de futuris absolutis malè, & infœliciter detorqueri ad futura conditionata. Certum enim est, omnia absolutè futura respectu nostri, determinasse, aut prædestinasse Deum per suum decretum absolutum, cujus terminus semper esse debet aliquid extrà pro suâ temporis differentia contingenter existens. Ex hoc autem inferri, dare in Deo decreta absoluta actu terminativè, & subjectivè, aut prædestinationem absolutam, & efficacem ex parte Dei circa futura conditionata, quæ ex defectu conditionis nunquàm purificandæ nec fuerunt, nec sunt, nec unquàm absolutè erunt; est commentitia, & Scholastica quædam imaginatio Sapientissimi Magistri Goneti, à sensu Magni Augustini omninò abhorrens.

Arguunt 4. Quia ratione Thomistici decreti vult Deus extrahere ab statu purę possibilitatis ad futuritionis conditionatæ cõversionem, &c.

195. Arguit quartò præcitatus Magister. Nihil potest extrahi ab statu meræ possibilitatis ad statum aliquem futuritionis independenter à primo ente, & causalitate ipsius. Sed Deus cum sit agens primum, non aliter operatur, nec extrahit res ad statum aliquem futuritionis, nisi suo decreto illi proportionato mediante. Ergo necesse est, dari in Deo decretum ex parte sui subjectivè absolutum, ratione cujus velit, futura conditionata ab statu meræ possibilitatis extrahere. Confirmatur. Futurum conditionatum habet aliquam actualitatem, quæ non convenit rei merè possibili: Dicit enim ordinem ad existentiam ut habendam dependenter ab aliquâ conditione; à quo præscindit res merè possibilis. Ergo oportet assignari aliquam causam hujus majoris actualitatis, hujusque ordinis ad existentiam sub tali conditione habendam. Sed nulla alia potest esse in Deo, quàm decretum absolutum ex parte subjecti, & conditionatum ex parte objecti; cum Deus sit agens liberum, & omnia operetur juxta consilium voluntatis suæ, ut ait Apostolus. Ergo.

Igitur solùm est opus dissali-

196. Distinguo majorem: Nihil potest extrahi ab statu meræ possibilitatis independenter à primo ente, & ab ejus cau-

vino decreto ad extrahēdā rē de purè possibili ad futuritionem absolutā.

salitate, ad statum aliquem futuritionis absolutæ, ut existat in suâ propriâ naturâ pro suâ temporis differentia; concedo: Ad statum futuritionis solùm enuntiatæ, & objectivæ, nego suppositum. Quia, ut patet ex dictis, est impossibilis, & imperceptibilis transitus de statu meræ possibilitatis, mediante actuali decreto ex parte Dei, nisi ad statum existentiæ realis, & propriæ, aut absolutæ futuritionis respectu nostri. Ratio est primò. Quia quod extrahitur de statu meræ possibilitatis. mediante decreto actualiter operandi, non potest non extrahi, mediante actione divinæ omnipotentiæ. Sed transitus de statu meræ possibilitatis, mediante actione omnipotentiæ, ad statum, qui non sit existentiæ realis absolutæ; sed solùm existentiæ objectivæ, intentionalis, & enunciatæ, est planè chymæricus, ut suprà ostendimus efficaciter. Ergo. Secundò. Quia illud esse objectivum futuritionis conditionatæ, quod causatur à tali decreto, vel est distinctum ab esse objectivo, quod Deus cognoscit scientiâ simplicis intelligentiæ in idæâ illâ expressivâ v. g. pœnitentiæ Tyriorum conditionæ; vel est idem esse objectivum? Si hoc secundum: Ergo pœnitentia Tyriorum non extrahitur, nec transit ad statum distinctum. Transitus igitur ex suâ ratione formali duos terminos involuit; *à quo* videlicèt, & *ad quem*; ac proinde postulat duplex esse distinctum; sicut patet de esse possibili, & objectivo, & esse actualis existentiæ.

Decretū autē Thomisticum non est causa objecti conditionati in esse physico, nec objectivo.

197. Si verò dicatur primum: Contra est. Quia decretum absolutum ex parte Dei non potest esse causa objecti conditionati, v. g. illius pœnitentiæ conditionatæ, nisi det illi esse objectivum. Sed tale decretum non potest causare tale esse objectivum, & intelligibile distinctum ab illo esse objectivo possibili. Ergo. Major patet. Tum quia causare aliquid, est dare illi aliquod esse: Tum quia impossibile est, quod Petrus causet objectum sui in speculo, quin producat speciem sui tamquàm medium, in quo Petrus habeat esse objectivum, & intentionale, ut experientia ostendit. Minor probatur efficaciter. Quia nulla res potest habere esse objectivum, & intentionale, nisi in aliquo medio, in quo repræsentetur. Sed per decretum liberum Dei nullum medium causatur, in quo pœnitentia illa purè conditionata cognoscatur. Ergo. Major constat. Quia, ut sæpè probavimus ex Divo Thomâ, res vel habent esse proprium suæ naturæ in se ipsis, vel habent esse objectivum, & intentionale in aliquo medio, in quo cognoscuntur. Minor verò probatur. Quia illud medium, in quo cognoscitur à Deo pœnitentia illa purè conditionata, vel est aliquod divinum, vel aliquod creatum? Non primum: Tum quia per decretum liberum Dei nulla perfectio divina causatur. Tum quia quod causatur per decretum liberum Dei, est formaliter contingens; ac proinde potens esse, & non esse, quocumque modo, aut ratione causetur. Sed nulla perfectio divina est formaliter contingens, nec potens esse, & non esse. Ergo tale medium non potest esse aliquid divinum, nec perfectio. Sed nec primum dici valet. Tum quia medium creatum distinctum à Deo, quod non existat in propriâ suâ naturâ realiter, hactenùs non est à Theologis excogitatum. Tum quia inter esse, quod res habent in mente divinâ, & esse, quod res habent in se ipsis in suâ propriâ naturâ absolutè existentibus, nec S. Thomas, nec Sancti Patres invenere medium. Tum quia illud medium creatum causatum per tale decretum, esset similitudo aliqua creata, in quâ pœnitentia illa conditionata cognosceretur. Ergo esset aliquod exemplar aut idæa creata. Atqui Deus in medio creato, aut idæâ creatâ non potest cognoscere veritates creatas, ut ex communi Theologiâ Thomistica Schola fatetur. Ergo tale medium creatum causatum per decretum liberum Dei, est chymericum. Ergo imperceptibile est, objecta purè conditionata causari verè, & propriè in esse objectivo per illa decreta. Ergo imperceptibile est, objecta purè conditionata vi decreti absoluti extrahi, & transire de statu meræ possibilitatis ad alium statum futuritionis conditionatæ, ab statu possibili condistinctum, & inter hunc, & statum realis, & propriæ existentiæ omninò medium. Ex quibus patet ad reliqua argumenti.

Ad 2. ne. go actualitatem ullam futuri merè conditionati.

198. Ad confirmationem nego absolutè antecedens, & omnia, quæ ex eo, fallò præjudicio laborans subintalit Gonet. Quia cum futuritio illa purè conditionata non sit absoluta; sed solùm certò, & infallibiliter enunciata, non habet aliam actualitatem objectivam, præter illam, quam Deus in suâ essentiâ cognoscit, sive in idæâ cujuscumque objecti conditionati independenter ab omni decreto absoluto ex parte Dei: Sicut enim artifex contemplans in idæâ, quam de aliquâ domo formavit, ordinem, & illius dispositionem, independenter à proposito illam opere externo exequendi, vel etiam si nollet eam extrà fabricare, verè enuntiaret in tali casu: *Si vellem domum, quam objectivè in idæâ formavi, extrà construere, illa esset octangula; hanc, vel illam dispositionem haberet*: Quin opus illi esset habere decretum, quo diceret: *Volo sub tali conditione, quod talis domus*

domus sit octangula; hâc, vel illâ formâ dispositâ: Esset enim, ut suprà dicebam, talis conditionata volitio omninò supervacua, & prorsùs ridicula:

Et probo inutilitatē illius divini decreti à paritate artificis creati.

199. Sic igitur Deus, qui necessariò habet, ut supremus artifex, omnium actuum liberorum, & contingentium idæas; in idæa, quâ cognoscit pœnitentiam Tyriorum sub virtutibus, & miraculis Christi Domini certò possibilem potiùs, quàm eorum impœnitentiam, certò, & infallibiliter cognoscit hæc duo: Primum, à potestate, & sui dominii plenitudine pendere, quod talis pœnitentia prægnita sit, vel non sit pro suâ differentiâ temporis extitura extrà suas causas: Secundum, quod si eam vellet extra producere, Tyrii, & Sydonii certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent. Et ratio est. Quia cum talis futuritio sub illâ conditione non sit absoluta; sed solùm enunciata, ad infallibilem connexionem, & veritatem illius, non est necessarium, quod talis pœnitentia sic cognita extrahatur de suo possibilitatis statu ad aliam actualitatem objectivam formaliter contingentem, & mediam inter statum suæ possibilitatis, & realis existentiæ in suâ propriâ naturâ: Talis enim actualitas media objectivè existens, si stemus doctrinæ Magistri Angelici, & veræ Theologiæ principiis, inintelligibilis, & inexplicabilis est. Unde falsò asserit citatus Magister, actualitatem illam objectivam futuritionis conditionatæ, sive illius veritatis conditionalis in ordine ad existentiam sub conditione habendam, non convenire rei merè possibili. Tum quia, ut expressè docuit S. Thomas ubi supra, quæ nunquàm fuerunt, nec sunt, nec erunt, sunt absolutè possibilia divinæ virtuti. Sed purè conditionata, de quibus nunc loquimur, nec fuerunt, nec sunt, nec erunt. Ergo virtuti divinæ sunt absolutè possibilia. Ergo purè conditionata nec extrahuntur ab statu puræ possibilitatis; nec ordo illorum ad existentiam sub conditione habendam, tollit, quominus veritas conditionata rei merè possibili conveniat.

Replicas. Veritas revelata est de pœnitentiâ Tyriorum, quæ determinatè esset, non quæ est possibilis esse, & nō esse.

200. Replicabis. Pœnitentia Tyri, & Sydonis adhuc sub illis virtutibus, & miraculis Christi Domini, est, aut fuit possibilis esse, & non esse. Sed veritas revelata in Evangelio, non est de pœnitentia Tyriorum, quæ erat possibilis esse, & non esse; sed de pœnitentiâ, quæ sub illis virtutibus certò, & determinatè esset. Ergo veritas de tali pœnitentiâ sub illâ conditione revelatâ, habet aliquam actualitatem saltem objectivam, quæ non convenit possibili pœnitentiæ Tyriorum; ac proinde merè possibilis pœnitentia præscindit ab illâ actualitate sub conditione futurâ. Cum ergo id ipsum contingat in omnibus veritatibus purè conditionatis, de quibus est disputatio, opus est, assignare aliquam eorum causam, & medium, in quo certò cognoscantur. Nulla autem alia est excogitabilis præter decretum absolutum ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ergo talia decreta sunt Deo necessariò concedenda.

Respondeo, dupliciter cōsiderādo Tyriorū pœnitentiam possibilē; 1. in suâ causâ: 2. ex suppositione.

201. Consultò equidem hujus replicæ ratiocinium efformavi, ut æquivocationem, quâ in hâc materiâ Recentiores Thomistæ, & alii omninò plures laborant, detegerem. Unde in formâ distinguo majorem: est, & fuit possibilis esse, & non esse, possibilitate, & indifferentiâ absolutâ suæ causæ, concedo: Possibilitate conditionatâ, & ex suppositione, nego majorem. Quia res dum est sive in esse objectivo, sive in esse reali, & proprio suæ naturæ, necesse est esse, non necessitate absolutâ; sed conditionatâ, & ex suppositione. Res declaratur. Duplici igitur modo possumus considerare, pœnitentiam Tyriorum esse possibilem: Primò in suâ causâ cum omnibus illis virtutibus, miraculis, & quibuscumque aliis comprincipiis, ex suâ quidditate, & naturâ indifferenti ad utrumlibet; hoc autem modo pœnitentia illa est, & fuit possibilis esse, & non esse tam objectivè, quàm realiter in suâ propriâ naturâ; quin de illâ possit sub tali medio enunciari adhuc conditionatè, quod sub illis virtutibus determinatè esset, nec quod determinatè non esset; sed solùm quod erat possibilis esse, & non esse. Secundo modo illa Tyriorum pœnitentia potest considerari ex suppositione determinationis voluntatis: Cum enim licèt voluntas cum illis virtutibus, & reliquis comprincipiis sit indifferens ad utrumlibet contradictionis extremum, & pro ejus libito unum ex illis præeligere debeat; suppositio jam, quod pœnitentiam, aut conversionem elegerit, talis conversio jam non erit possibilis esse, & non esse; sed determinatè est, aut pro suâ differentiâ temporis in illis circunstantiis, & rerum serie determinatè fuisset. Quod quidem explicari potest; adducto exemplo ex Antichristi peccato, in hoc divinæ providentiæ præsenti ordine. Peccatum etenim Antichristi si consideretur comparativè ad suam causam liberam omnibus comprincipiis instructam, est absolutè contingens, & possibile, ut sit, & non sit: Quia cum voluntas sit indifferens cum potestate ad peccandum, & non peccandum, nullam cum peccato dicit connexionem. Si verò comparetur ad illam temporis differentiam, in quâ Antichristus liberè peccabit; ex hâc liberæ determinationis suppositione, peccatum Anti-

christi non est possibile esse, & non esse; sed certo, & determinatè est respectu nostri absolutè futurum, ex divinâ revelatione: Quamvis, ut supra notavimus cum S. Thomâ, & Boëtio prælud. 4. propos. 5. per totam, respectu scientiæ Dei sit præsens.

Essentia divina est infinitè imitabilis & 2. diversitatè rerum, à quibus potest imitari, diversæ quoque assignatur ideæ.

202. Ex his, ut ad punctum difficultatis propriùs accedamus, discursum nostrum in ipsum usque Deum elevari, necesse est. Constat igitur primò ex dictis, essentiam divinam ut infinitè imitabilem à creaturis, esse medium cognoscendi omnes creaturas possibiles in quocumque rerum ordine, quem velit eis voluntas divina præfigere. Constat secundò. Secundùm diversitatem rerum, à quibus essentia divina imitabilis est, diversas quoquè idæas designari à Sanctis Augustino, Thomâ, & aliis Patribus in ipso Deo; ut tenet communis Theologiâ: Non quia diversitas, & pluralitas rationum, sive idæarum sit ex parte divinæ essentiæ: Sed quia nostro modo concipiendi habito fundamento tum ex summâ divinæ naturæ perfectione, tum ex imperfectione nostri intellectûs, tum ex varietate, & diversitate rerum propter diversas habitudines, quibus divinam essentiam concipimus imitabilem à creaturis, & in ordine ad illas, istarum rationes, & idæas multiplicamus; ita, ut essentia divina quatenus imitabilis ab Angelo, & similitudo expressa illius, sit ratio, aut idæa Angeli; & quatenùs imitabilis ab homine, & exemplar istius expressivum, sit idæa hominis; & sic de reliquis. Constat tertiò dari idæas in Deo, in quibus certò cognoscit causas liberas, & contingentes secundùm earum quidditates, & conditiones, cum omnibus suis comprincipiis, & requisitis ad operandum, vel quibus possint operari, & non operari, juxtà modum, & naturam ipsarum in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus possibilibus.

In his ergo idæis non cognoscit Deus determinatè unũ præ alio actu libero.

203. Sisto hîc tantisper, & rogo primò an in hujusmodi idæis, in quibus Deus præcisè præcognoscit causas liberas cum suis comprincipiis, certò cognoscat adhuc ut possibilem aliquem actum liberum determinatè potiùs, quàm alium? Respondendum est negativè, propter rationem suprà tactam: Quia in medio, in quo solùm exprimitur, & assimilatur causa libera cum indifferentia ad utrumlibet contradictionis extremum, non potest Deus certò, & infallibiliter cognoscere unum extremum determinatè præ alio. Sed quælibet ex prædictis idæis est medium expressivum causæ liberæ sub omnibus ejus comprincipiis cum indifferentiâ ad utrumlibet contradictionis extremum. Ergo in tali ratione, sive idæâ non potest Deus certò, & infallibiliter cognoscere adhuc possibile unum extremum determinatè potiùs, quàm aliud; v. g. conversionem Divi Pauli, potiùs, quàm non conversionem.

In illis autẽ solùm cognoscit actus liberos possibiles in causis.

204. Rogo secundò quo pacto Deus in hujusmodi idæis cognoscat operationes, sive actus liberos talium causarum? Et certò respondendum est, Deum in hujusmodi idæis cognoscere actus liberos absolutè possibiles possibilitate in causâ; non verò possibiles possibilitate ex parte unius operationis, sivè actûs liberi determinatè potiùs, quàm alterius, propter rationem nuper dictam. Quia in medio, in quo solùm cognoscitur causa libera cum indifferentiâ ad utrumlibet, non potest cognosci alterum extremum determinatè possibile ex parte sui potiùs, quàm alterius; sed solùm possibile in suâ causâ. Rogo tertiò an in hujusmodi idæis possit Deus certò cognoscere veritates conditionatas futurorum contingentium, sive quæ revelantur in scripturis, sive quæ nostro intellectu formari solent? Et similiter certò respondendum est negativè. Ratio est. Quia in hujusmodi veritatibus, & propositionibus conditionalibus semper verificatur, & enunciatur sub aliquâ conditione operatio determinata voluntatis creatæ; qualis est illa; *Si factæ fuissent in Tyro, & Sydone virtutes*, &c. *pœnitentiam egissent.* Sed nulla ex his veritatibus sub conditione futuris potest præcognosci à Deo in talibus idæis. Ergo. Major patet. Minor verò probatur primò. Quia hujusmodi veritates conditionatæ dicunt infallibilem connexionem cum conditione, sub quâ enuntiantur, & supponuntur certò futuræ. Sed in medio, in quo solùm cognoscuntur operationes liberæ possibiles solùm possibilitate in causâ, non potest certò, & infallibiliter cognosci connexio voluntatis, neque alicujus comprincipii sive conditionis cum operatione aliquâ liberâ determinatè. Ergo. Major constat. Minor probatur. Quia in ratione illâ, sive idæâ, in quâ solùm repræsentantur, & cognoscuntur voluntas Tyriorum, & virtutes cum aliis comprincipiis; consideratâ naturâ, & quidditate cùm voluntatis Tyriorum, tum illarum virtutum, sive cujuscumque alterius comprincipii, nulla est connexio. Cum conversione determinatè potiùs, quàm cum non conversione; aliàs conversio, aut pœnitentia Tyriorum non esset libera; cum antecedens connexum ex parte causæ cum consequenti, necessariò inferat necessitate absolutâ causæ ipsum consequens, ac proinde consequentis libertatem evertat. Ergo in tali idæâ non potest cognosci infallibilis illarum virtutum cum Tyriorum pœnitentiâ connexio.

205. Pro-

Efficaci ratione assumptū ultrà promoveo.

205. Probatur secundò illa minor primi syllogismi. Quia quæcumque Deus certò prænoscit in suis idæis speculativâ cognitione, sive scientiâ simplicis intelligentiæ, potest pro suo libitò determinare, aut præfinire in ordine ad futuritionem, sive existentiam absolutam. Sed ex vi eorum, quæ repræsentantur, & cognoscuntur in idæis causarum liberarum cum suis virtutibus, & comprincipiis indifferentibus ad utrumlibet, non potest Deus determinare, nec præfinire existentiam, aut futuritionem absolutam unius actûs liberi præ alio; v. g. conversionem liberam potiùs, quàm non conversionem. Ergo ideo est, quia Deus in hujusmodi idæis non cognoscit actum liberum, sive conversionem determinatè posibilem potiùs, quàm non conversionem. Major constat. Minorem probo. Tum quia quod non cognoscitur determinatè posibile, non potest à Deo determinatè præfiniri in ordine ad existentiam. Tum quia si Deus posset præfinire existentiam absolutam conversionis potiùs, quàm non conversionis, cœco modo, & absque certâ providentiâ procederet; cum in illis idæis non prænoscat conversionem determinatè posibilem potiùs, quàm non conversionem; sed solùm utrumque extremum posibile posibilitate in causâ ex quidditate suâ indifferenti ad utrumlibet, ut probatum est. Hujusmodi ergo præfinitio absque certâ, & infallibili cognitione objecti præfiniti, est imposibilis, & prorsùs indigna sapientissimo, & supremo artifice: Tum quia aut tolleret libertatem causæ, quam prægnoscit indifferentem ex suâ naturâ, ac quidditate ad operandum, & non operandum, ne frustraretur ejus absoluta, & efficax præfinitio: Aut saltem ex eventu operationis, aut non operationis in statu existentiæ absolutæ penderet frustrari, aut non frustrari ejus decretum præfinitivum: Quæ contingentia respectu divinæ voluntatis absurda est. Ergo ex vi eorum, quæ in hujusmodi idæis causarum liberarum præcisè prænoscit Deus, non potest determinare, & præfinire in ordine ad absolutam existentiam, conversionem potiùs, quàm non conversionem, nec aliquam liberam operationem determinatè potiùs; quàm ejus oppositum.

Scientia Dei ita causas liberas, & in illis posibiles earū actus cognoscens, est simplicis, & absolutæ intelligentiæ.

206. Rogo quartò quo pacto, aut nomine sit nuncupanda scientia illa, sive speculativa cognitio, quâ independenter ab omni decreto prænoscit Deus in hujusmodi idæis causas liberas cum omnibus virtutibus, & comprincipiis indifferentibus ad utrumlibet, ac proinde earum actus liberos solùm posibiles, posibilitate in causâ? Facilè respondeo ex communi Theologiâ, hanc scientiam rectè, dici, & appellari simplicis, & absolutæ intelligentiæ. In quo nec inter Doctores, nec inter utramque Scholam; Thomisticam scilicèt, & Jesuiticam potest de re aliquod formari dissidium. Ex his discursum promoveamus.

In essentia divinâ utpotè non solùm à causis liberis; sed ab earum actibus imitabili, horū dantur idææ, in quibus Deus illos hunc præ alio determinatè cognoscit

207. Constat ergo quartò ex his, quæ fusiori calamo suprà ostendimus, esse etiam in Deo rationes, & idæas, in quibus cognoscuntur à Deo determinatè posibiles omnes operationes liberæ causarum contingentium, & liberarum; ac proinde causæ liberæ objectivè, & repræsentativè, sive intentionaliter, cum suis actibus, & liberis operationibus conjunctæ. Hæc illatio, præter jam dicta, potest breviter probari primò. Quia alia est veritas causæ liberæ cum omnibus suis comprincipiis quidditativè indifferentibus ad utrumlibet; vel (ut alii communiter dicunt) causæ in actu primo proximo (nam sub hoc actu voluntas etiam est proximè libera, & indifferens ad utrumlibet, ut efficaciter ostendimus contra Magist. Gonetum citato Opusculo de divinâ motione:) Et alia est veritas causæ liberæ actu operantis hunc potiùs actum, quàm alium. Sed juxtà diversitatem veritatum, & objectorum diversas idæas ponimus in Deo, ut suprà notavi. Ergo. Secundò. Quia essentia divina non solùm est imitabilis à causis liberis, & contingentibus; sed etiam ab earum operationibus liberis. Sed propter diversas habitudines, quibus est imitabilis à creaturis, ponuntur diversæ quoquè idææ, & rationes in Deo. Ergo.

Efficacibus rationibus intentum firmo.

208. Tertiò. Quia loquendo de divinis idæis practicè sumptis, quæ respiciunt statum absolutum existentiæ rerum, non solùm dantur idææ practicæ, in quibus cognoscuntur causæ liberæ, & contingentes cum omnibus virtutibus, & comprincipiis indifferentes ad operandum, vel non operandum; volendum; & non volendum, secundùm propriam naturam, & existentiam realem: Sed etiam concedūntur idææ practicæ, in quibus, posito decreto absoluto, certò cognoscuntur operationes liberæ, & contingentia absolutè futura; ita, ut juxtà uniuscujusque idæam, & rationem certissimè prænoscat; v. g. conversionem Magdalenæ potiùs, quàm non conversionem; Antichristi peccatum absolutè, & determinatè futurum potiùs, quàm rectam ejusdem operationem. Sed idææ, quæ per decretum absolutum, & præfinitivum Dei dicuntur practicæ, ante decretum sunt speculativæ; ut est suprà probatum cum Sancto Thomâ: Et res, quæ per comparationem ad idæas practicas, & scientiam visionis dicuntur absolutè

lutè futuræ; comparativè ad idæas ſpeculativè ſumptas dicuntur poſſibiles. Ergo ſicut per ſcientiam viſionis, poſito decreto abſoluto, in idæâ practicâ expreſſivâ converſionis Divæ Magdalenæ, certiſſimè cognoſcit ab æterno ejus converſionem abſolutè futuram determinatè potiùs, quàm non converſionem: Sic in idæâ ſpeculativè ſumptâ ante tale decretum prænovit Deus talem converſionem determinatè poſſibilem potiùs, quàm non converſionem. Patet conſequentia. Quia converſio S. Magdalenæ (ſicut & quælibet res abſolutè futura) eo modo, quo fuit futura per decretum, & ſuas cauſas, eo modo ante decretum fuit poſſibilis: Et eo pacto, quo Deus illam cognovit, poſito decreto certò abſolutè futuram ſcientiâ, aut cognitione practicâ; ſic ante decretum certò prænovit illam ſcientiâ, aut cognitione ſpeculativâ determinatè poſſibilem. Tunc ſic. Sed S. Magdalenæ converſio fuit determinatè futura potiùs, quàm non converſio; & Deus eam cognitione, & ſcientiâ practicâ prænovit determinatè, & certò futuram potiùs, quàm non converſionem. Ergo Deus ſcientiâ, & cognitione ſpeculativâ ante omne decretum prænovit talem converſionem determinatè poſſibilem potiùs, quàm non converſionem. Ergo neceſſe eſt, concedere hujuſmodi idæas ſpeculativè ſumptas, in quibus Deus cognoſcat operationes, & actus liberos determinatè poſſibiles potiùs, quam eorum contrarios.

209. Quartò. Quia licèt tales actus ut poſſibiles poſſibilitate in cauſâ, non ſint determinatè; ſed indifferenter poſſibiles, juxtà naturam, & quidditatem cauſarum indifferentium; at in actu ſecundo non ſunt compoſſibiles propter ſimultaneam eorum oppoſitionem; ſicut patet de illis in ſtatu futuritionis, & exiſtentiæ abſolutæ. Ergo neceſſe eſt, eis aſſignari idæas, in quibus diviſim, & abſque ullâ contradictione, Deus eos certò prænoſcat ut determinatè poſsibiles. Quintò. Quia niſi hujuſmodi idææ ſpeculativæ admittantur in Deo; non datur modus, quo Deus certò comprehendat omnes operationes liberas, & contingentes determinatè poſſibiles; ſicut comprehendit operationes liberas determinatè futuras: Quod quidem infinitæ ſcientiæ Dei maximè derogaret.

Igitur poſſibilitas liberæ operationis in cauſâ præſcindit ab omni determinatâ futuritione.

210. Ex quibus omnibus clarè evincitur primò poſsibilitatem cujuſcumque operationis liberæ in cauſâ præſcindere ab omni futuritione infallibili ſive abſolutâ; ſive conditionatâ: Quia hæc dependet à determinatione cauſæ, & ex ſuppoſitione illius dependet veritas determinata, illis poſitis requiſitis. Evincitur ſecundò idæam illam, quæ eſt medium præciſè cognoſcendi cauſam liberam cum omnibus virtutibus, & prærequiſitis indifferentem ex quidditate ſuâ ad utrumlibet actum, & in quâ uterque actus ſolùm cognoſcitur poſsibilis poſsibilitate in cauſâ, noſtro modo cognoſcendi quaſi præſcindere ab eo, quod exprimat, & repræſentet aliquem actum determinatè poſsibilem præ alio; ac proinde præſcindere etiam à futuritione conditionatâ unius extremi præ alio, propter rationes indicatas. Evincitur tertiò poſsibilitatem operationis liberæ potiùs, quàm ejus oppoſiti, quam, diximus, Deum certò prænoſcere in idæis, quæ determinatè repræſentant cauſas liberas in actu ſecundo poſſibili, ſive ejus operationes determinatè poſsibiles; nullo modo præſcindere à futuritione conditionatâ talium operationum, neque à veritatibus purè, & ſpeculativè conditionatis, quæ vel revelatæ ſunt, vel à nobis formari poſſunt, juxtà à nobis dicta. Ratio eſt. Quia Deus cognoſcendo ante omne decretum in unâ idæâ converſionem v. g. Divi Petri determinatè poſsibilem, potiùs, quàm ejus non converſionem; & in ideâ illâ Tyri, & Sydonis ſub illis virtutibus pœnitentiam Tyriorum determinatè poſsibilem potiùs, quàm non pœnitentiam; & ſic de omnibus illis idæis, in quibus, ut jam probatum eſt, ſcientiâ, & cognitione ſpeculativâ Dei cognoſcuntur objectivè omnes actus liberi, & contingentes determinatè poſsibiles, ac proindè omnes cauſæ liberæ in actu ſecundo repræſentativè juxtà varias circunſtantias, & ſeries rerum poſsibiles; abſque dubio, & omni certitudine ſimul cognoſcit Deus, ſe eſſe perfectiſsimè liberum, pleniſsimamque poteſtatem habere ad manifeſtandum, & extrà producendum ea omnia, quæ in hujuſmodi idæis cognoſcit. Ergo certò, & infallibiliter prænoſcit, quod ſi juxtà ſuæ divinæ voluntatis conſilium velit mundum creare, & S. Petrum conſtituere in circunſtantiis, in quibus prævidet ſuam converſionem determinatè poſsibilem potiùs, quàm oppoſitum; & ſimiliter Tyrios, & Sydonios, &c. Petrus, Tyrii, & Sydonii certiſsimè convertentur. Quæ omnia, & hujuſmodi alia infallibiliter prænoſcit Deus, non modo illativo, & conditionato; ſed unico, & ſimplici intuitu; licèt nos, quæ Deus ſic cognoſcit, non poſſimus intelligere, & explicare, niſi per diſcurſum illationis conditionatæ, ut ſuprà manet expoſitum. Subſumo jam. Sed ex eo, quod Deus hoc modo certò, & infallibiliter cognoſcat omnes actus, & operationes liberas determinatè poſsibiles, non poteſt non cognoſcere certò omnes,

veri-

veritates conditionatas, quæ revelatæ sunt, & quæ passim formantur à nobis ad explicandum rectum divinæ providentiæ, & prædestinationis ordinem, & cum eisdem nostri liberi arbitrii concordiam. Ergo possibilitas illa determinata actuum liberorum, & contingentium non præscindit ab eorum conditionatâ futuritione: Cum idem omninò sit, Deum cognoscere in suis idæis operationes liberas determinatè possibiles, ac veritates conditionatas, quæ ex eis certò, & infallibiliter inferuntur.

Explico, quo pacto operationes liberæ in suis idæis præcognitæ ante decretū, possint esse, & non esse

211. Dices. Operationes liberæ etiam præcognitæ in suis idæis, possunt esse, & non esse; cum cognoscantur ante omne decretum. Sed quod potest esse, & non esse, non est conditionatè futurum potiùs, quàm non futurum. Ergo Deus non potest in earū idæis illas conditionatè futuras, ac proindè nec veritates conditionatas cognoscere. Distinguo majorem: Possunt esse, & non esse possibilitate in causâ tantùm, nego: Possunt esse, & non esse possibilitate determinatâ unius operationis præ aliâ, concedo majorem, & distinguo minorem: Quod potest esse, & non esse possibilitate absolutâ, & in causâ, non est conditionatè futurum potiùs, quàm non futurum, concedo: Quod potest esse, & non esse possibilitate determinatâ, & ex suppositione, subdistinguo: non est absolutè futurum potiùs, quàm non absolutè futurum, concedo: non est conditionatè futurum potiùs, quàm non conditionatè futurum, nego minorem. Ratio disparitatis est, & etiam solutionis. Quia quod sint absolutè futuræ operationes liberæ, quas Deus in suis idæis prænoscit determinatè possibiles, pendet ex absoluto Dei decreto: Et ideò cum ante omne decretum cognoscantur determinatè possibiles scientiâ, & cognitione speculativâ, Deus non potest eas cognoscere nec respectu sui ut existentes, & præsentes, nec respectu nostri ut absolutè futuras, nec ut non futuras absolutè. At verò quod operationes liberæ determinatè possibiles sint conditionatè futuræ, non pendet ab ullo decreto terminativè ex parte Dei, sed solùm ab eo, quod cognoscat se esse liberæ, & infinitæ potestatis; & simul conversionem Tyriorum sub illis virtutibus, & in illis circunstantiis; & conversionem S. Petri esse determinatè possibiles potiùs, quàm ipsorum non conversiones: Vi cujus certissimæ cognitionis non potest Deus non cognoscere unico, & simplicissimo intuitu, quod si velit constituere S. Petrum, Tyrios, & Sydonios in illis circunstantiis, certissimè convertentur. Ex quo fit, utriusque conversionis veritatem conditionatè futuram, pertinere ad scientiam, & cognitionem speculativam Dei: Hoc solùm discrimine, quod veritas conversionis Beati Petri per decretum absolutum, & efficax Dei quasi pertransiit de determinatè possibili, sive conditionatè futura, ad esse existentiæ propriæ naturæ, sive futuritionis absolutæ: Secùs autem conversio determinatè possibilis, sive conditionatè futura Tyri, & Sydonis, quæ ex placito divinæ voluntatis nolentis eam extrahere ab illo statu suæ determinatæ possibilitatis, sive futuritionis conditionatæ, ad absolutæ existentiæ, sive futuritionis statum; solùm permansit, & permanet in statu determinatè possibilis, sive futuritionis conditionatæ; ut suprà satis manet expositum.

Scientia, quâ Deus in idæis actuum liberorū, eos cognoscit ut determinatè possibiles, est scientia media. Et multis probatur.

212. Evincitur quartò. Scientiam illam, sive speculativam cognitionem, quâ Deus in idæis operationum liberarum certò cognoscit eas ut determinatè possibiles, ac proinde conditionatè futuras, esse scientiam conditionatam, sive mediam, quam independenter ab omni decreto ex parte Dei universim Societatis Doctores propugnant, licèt sub variis, & diversis explicationibus, in quibus unusquisque suo sensu abundavit; nos verò præsenti explicationi ex Magno Augustino, & Angelico Thomâ depromptæ, meritò, & fidenter insistimus: Et nomen scientiæ conditionatæ, & mediæ non incongruè à nostris Doctoribus ei adaptari, iterùm firmamus, primò. Quia ex diversitate objectorum, & veritatum, nostro modo intelligendi diversificantur scientiæ in Deo. Sed in idæis, aut rationibus actuum liberorum determinatè possibilium, alio modo cognoscuntur actus liberi, ac in idæis, in quibus præcisè cognoscuntur causæ liberæ cum omnibus suis comprincipiis, & requisitis. Ergo nostro modo intelligendi rectè potest diversa scientia constitui. Major constat. Minor verò probatur. Quia in idæis causarum contingentium præcisè, solùm cognoscuntur actus liberi possibiles possibilitate in causâ; in rationibus verò, & idæis, in quibus cognoscuntur tales actus liberi, repræsentantur determinatè possibiles, ac proindè conditionatè futuri; ut ostensum est. Ergo scientia, quâ Deus certò cognoscit actus liberos determinatè possibiles potius, quàm eorum oppositum; distincta est nostro modo intelligendi à scientiâ, quâ tales actus liberos solùm cognoscit possibiles possibilitate in causâ. At ex dictis constat, idem esse cognoscere actus liberos determinatè possibiles, ac eos prænoscere conditionatè futuros. Ergo scientia attingens hujusmodi futura conditionata, ex diversâ habitudine ad objectum conditionatum rectè dicitur conditionata. Totus discursus

cum

cum subsumptâ minori patet. Quia, ut dictum est cum S. Thomâ, purè conditionata, de quibus disputamus, sunt in statu determinatè possibilium, nec de illo transeunt nisi per decretum absolutum, & efficax, ad statum absolutæ sive existentiæ, sive futuritionis.

213. Secundò. Quia hæc scientia respectu actuum liberorum determinatè possibilium, & sub conditione futurorum, mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoscit tales actus liberos certò possibiles possibilitate in causâ in idæis causarum; & inter scientiam visionis absolutæ, quâ solùm cognoscuntur existentia, & absolutè futura. Et ratio hujus est. Quia medium certò cognoscendi actus liberos determinatè possibiles, sive conditionatè futuros, sunt idææ talium actuum determinatè possibilium. Sed hujusmodi idææ mediant inter illas idæas, sive rationes, in quibus tales actus cognoscuntur solùm purè possibiles possibilitate in causâ quidditativè indifferenti, & nondùm determinatâ, adhuc per similitudinem, & in repræsentando; & inter idæas practicè sumptas, in quibus Deus certò cognoscit res existentes, & absolutè futuras. Ergo scientia, quâ Deus in tali medio cognoscit futura contingentia conditionata, non absque re, à controversiâ Sapientissimi Molinæ ad hæc usque tempora scientiæ mediæ nomenclaturâ insignitur. Tertiò. Quia hæc scientia conditionata, & media cum sit independens à decreto actu ex parte Dei, illoque anterior, potiùs est dicenda scientia naturalis, quàm libera; ac proinde reductivè pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, quæ versatur circà possibilia, à quorum statu non extrahuntur purè conditionata, nisi sequatur absolutum Dei decretum, quod ea ordinet ad absolutam existentiam in suâ propriâ naturâ. Ita noster insignis Theologus Molina 1. par. quæst. 14. art. 13. disput. 17. dicens ibi: *Scifcitabitur fortè aliquis, an hujusmodi scientia media appellanda sit libera, vel naturalis? Ad quod in primis respondendum est, eam nullâ ratione esse dicendam liberam; tum quia antecedit omnem liberum actum voluntatis divinæ: Tum quia in potestate Dei non fuit scire per eam scientiam aliud, quàm re ipsâ sciverit; ac proinde cum naturali, ut distinguitur contra liberam, erit annumeranda.* Hæc in hoc puncto Princeps Jesuitarum Theologus.

In Gonet cõtra illã stomachatum, plura profero necessariò ab ipso devorãda

214. His ita; cum præstet temperatè agere, stylumque asperum à viro docto cohibendum, Theologica ratio suadeat; pendat Lector, si Sapientissimi Goneti Theologiæ clypeum versavit; quo jure hic Magister stomachatus fuerit contra scientiam mediam Jesuitarum; cum Recentiores Thomistæ præter ea, quæ, ut constat ex rationibus suprà formatis, malè recocta deglutire tenentur, coacti sint sequentia defendere primum; dari scientiam mediam visionis. Ratio est. Quia scientia conditionata cum in eorum sententiâ non sit anterior; sed posterior decreto absoluto ex parte Dei, non potest dici scientia naturalis simplicis intelligentiæ. Sed nec potest dici scientia absoluta visionis, sive approbationis; cum hæc solùm versetur circà objecta absolutè futura. Ergo erit scientia media visionis conditionatæ, eò quòd mediet inter scientiam naturalem simplicis intelligentiæ, & scientiam absolutam visionis. Patet consequentia. Quia ex objecto conditionato, quod nec est objectum simplicis intelligentiæ in eorum Scholâ, nec est objectum scientiæ visionis absolutæ, ab ipsis talis scientia dicitur conditionata. Sed tale objectum conditionatum in eorum etiam sententiâ est medium inter objectum simplicis intelligentiæ, & objectum absolutæ visionis. Ergo propter eandem rationem ex objecto illo medio talis scientia, si stemus connexioni doctrinæ, erit scientia media visionis. Secundum: Dari in Deo voluntatem divinam mediam. Ratio est. Quia inter scientiam simplicis intelligentiæ, & voluntatem efficacem prædeterminantem actus liberos absolutè futuros, mediat illa voluntas, actu subjectivè ex parte Dei, sive decretum prædeterminans actus liberos conditionatè futuros. Ergo in sententiâ Thomistarum non solùm est in Deo scientia media; sed voluntas media.

1. Dari scientiam mediam visionis

2. Dari voluntatem divinam mediam.

215. Tertium: Dari in Deo liberrattem actualem terminativè; idæas etiam practicè medias. Utrumque ostenditur. Quia inter scientiam necessariam simplicis intelligentiæ, & decretum absolutum, & efficax tam ex parte subjecti, quàm ex parte objecti, mediat aliud decretum actu liberum ex parte Dei, quod est causa futuri contingentis conditionati; & consequenter idæa practica medians inter absolutè practicas rerum absolutè existentium: Eo enim ipso, quod mediet causa libera subjectivè objecti conditionati, consequenter mediare debet idæa practica, ad cujus exemplar causatum fuerit tale objectum conditionatum. Ergo. Quartum: Concedendam esse etiam in Deo omnipotentiam mediam, & creationem mediam actu ex parte Dei. Cujus etiam est ratio. Tum quia implicat, quod detur in Deo decretum absolutè prædeterminans aliquod objectum tam ex parte subjecti, quàm ex parte ipsius objecti, quin per tale decretum absolutè determinetur omnipotentia Dei ad dandum esse pro suâ tempo-

3. Dari in Deo liberratè mediã actualè terminativè; & idæas practicè mediãs.

4. Dari in Deo omnipotentiã mediã, & actu mediã creationem ex parte Dei.

temporis differentiâ tali objecto, sive termino. Ergo proportionis & paritatis consequentiâ servatâ, implicabit etiam, quod detur decretum actu liberum ex parte Dei, quod sit causa libera objecti conditionati, quin eodem modo, & câdem proportione determinetur Omnipotentia Dei ad dandum esse conditionatum tali objecto vi talis decreti. Hoc autem ut probatum est, est voluntas media. Ergo dabitur Omnipotentia media.

Firmū cõtra Gonet firmo ex D. Th. 2. cõtra gẽtes, cap. 23. n. 4.

216. Tum etiam quia Divus Thomas lib. 2. contra Gentes, cap. 23. expresè asserit, actionem quâ Deus operatur ad extra, pertinere ad intellectionem, & volitionem liberam, dum num. 4. sic ait: ibi, *Divina autem actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ sunt in agente; cum sua actio sit sua substantia, ut in 1. ostensum est: Oportet igitur, quod sit de genere illarum actionum, qua sunt in agente, & sunt quasi perfectio ipsius: hujusmodi autem non sunt, nisi actiones cognoscentis, & appetentis: Deus igitur cognoscendo, & volendo agit & operatur: non igitur per necessitatem naturæ: sed per arbitrium voluntatis.* Hæc Sanctus Doctor. Tum sic. Volitio divina Dei est actio, quâ Deus operatur ad extra, propter rationes, quas in prædictis verbis, & toto illo Capite tangit Angelicus. Sed datur volitio libera actu subjectivè ex parte Dei, & conditionatè ex parte objecti, quæ sit media inter scientiam simplicis intelligentiæ, & decretum prædeterminans tam subjectivè, quàm objectivè. Ergo etiam actio Dei media ad extra circa objectum, & terminum purè conditionatum. Hæc cursim, & veluti summo vertice dixerim, ut omnibus innotescat, pro unâ scientiâ conditionatâ, quam Doctores Societatis mediam, invitis, & repugnantibus Thomistis proclamant; vi consequentiæ & doctrinæ connexione piam, juxta ac sapientissimam ipsorum Thomistarum Scholam teneri concedere in Deo scientiam non solùm conditionatam; sed & mediam posteriorem decreto, voluntatem divinam mediam, omnipotentiam mediam, actionem creativam mediam; imò ens aliquod medium liberè productum à Deo, quale est objectum purè conditionatum; medium quidem inter simpliciter possibile, & absolutè futurum, sive existens, ut ex dictis constat. Quid igitur ad hæc clypeus Magistri Goneti? ipsi, ad quorum examen appello, viderint Scholastici.

LECTIO V.

Examinantur, & expenduntur argumenta contra secundam nostram Conclusionem.

VErtit, & undequâque versat suum Theologicum Clypeum Magister Gonet, non jam ut convellat; sed ut confundat superstructam à nostris Doctoribus scientiæ mediæ molem: quia tamen omnia argumenta, quæ contra nos ad paginas omninò plures formavit, procedunt tum ex nostræ scientiæ mediæ abusu, tum ex non satis præintellectis Divi Thomæ principiis; si præ oculis versetur doctrina à nobis in præcedentibus Lectionibus exarata, non erit operosum, hoc Goneti clypeo Scholam Thomisticam exarmare.

Insurgit 1. Gõer, quia scientia media nullũ habet medũ suum objectum cognoscendi.

217. Objicitur primò in quâlibet scientiâ præter rem cognitam, debet admitti medium, in quo & per quod cognoscatur. At scientia media nullum habet medium, in quo suum objectum cognoscat. Ergo talis scientia fictitia, & chymærica est. Probatur minor. Scientia media non cognoscit actus liberos sub conditione futuros in signo rationis antecedenti decretum in idæis divinis, ut docet Ægidius Romanus: nec in supercomprehensione voluntatis creatæ, vel aliarum causarum contingentium; ut Patres Molina, & Becanus existimant: nec in decreto cognito ut futuro pro sequenti signo rationis; ut Suarez & Fonseca arbitrantur; nec in decretis absolutis ex parte subjecti & conditionati ex parte objecti. Cùm hujusmodi decreta defensores scientiæ mediæ non admittant: præter hæc autem non est excogitabile aliud medium. Ergo scientia media nullum habet medium. Probatur minor. Quia non potest cognosci actus liber sub conditione futurus in signo rationis antecedenti decretum in idæis divinis; in quo solùm posset esse difficultas: nam in se ipsis talia objecta conditionatè futura, ex dictis constat, non posse cognosci. Ergo. Probatur antecedens. Quia in illo priori signo rationis nullum contingens est determinatè futurum; sed in statu meræ possibilitatis, & indifferentiæ. Atqui quod non est indeterminatè futurum; nullam habet veritatem objectivam, ut possit cognosci. Ergo objectum scientiæ mediæ nullum habet medium, in quo possit cognosci. Ita Gonet disput. 6. de scientiâ mediâ, §. artic. 5.

Cõfirmat ex S. Th. 1. dist. 19. q. 1 a. 2. ad 1. & ex alio triplici capite.

218. Confirmatur primò ex Divo Thomâ in 1. dist. 19. quæst. 1. art. 2. ad 1. *Sicut scire divinum est subjectum libertati voluntatis, ita & idæa, secundùm quod ad eam terminatur actus*

actus divinæ scientiæ. Ergo antecedenter ad actum divinæ voluntatis non est medium, nec idæa, in quâ futura cognoscantur. Secundò, quia Deus non potest cognoscere in suis idæis res, nisi eo modo, quo in illis repræsentantur. Sed antecedenter ad decretum creaturæ non repræsentantur in essentiâ divinâ, ut habet rationem ideæ, ut futuræ; sed solùm ut merè possibiles. Ergo. Tertiò. Quia essentia divina non continet creaturas in essendo sub esse existentiæ, vel futuritionis, nisi per decretum determinata. Ergo non continet illas ut existentes aut futuras in esse intelligibili aut repræsentativo, nisi ut per illum repræsentata. Quartò. Quia repræsentatio idearum antecedenter ad decretum est repræsentatio naturalis & necessaria, pertinens ad scientiam naturalem, & simplicis intelligentiæ: non verò ad scientiam liberam & visionis: unde si Deus cognosceret futura contingentia in suis idæis antecedenter ad decretum, talis cognitio non esset libera, sed necessaria.

Displicet dicentes Deum futura conditionata in se ipso cognoscere.

219. Circa medium, in quo Deus futura conditionata cognoscat, mirùm quidem est, inquàm diversos opinandi modos Doctorum placita abierint: quia tamen eos nec referre, nec refellere vacat, unum vel alterum attingam. In primis rejicienda prorsùs est ut contraria Divo Thomæ omnium illorum sententia, quæ asserit, Deum cognoscere futura conditionata in seipsis: tum propter ea, quæ fusè expendimus supra Prælud. 4. propos. 2. Tum quia, quod nullo modo est, nec habet esse, non potest intelligi: cùm ex principiis Philosophicis certum sit, intelligibile debere esse in actu, ut intelligatur. Sed futura conditionata non habent esse actu distinctum à Deo ante decretum. Ergo cum in seipsis nihil sint, Deus ea in seipsis cognoscere non poterit.

P. Esparza sentit illorum veritatē cognosci à Deo in ipsorum cōditionata ex suis causis egressione.

120. Secundò. Patres Martinus de Esparza quæst. 18. de Scientiâ, Vir suo sæculo nemini posterior, & ejus vestigia relegens Doctissimus Chentuelli part. 3. Metaph. §. 6. de scientiâ conditionatâ, videntur sentire, veritatem contingentium conditionatè futurorum in conditionatâ ipsorum ex suis causis egressione, quæ sistitur Deo præsens, per idæas divinas, aut essentiam divinam cognosci. Addit tamen Chentuelli, probabilius esse Deum concipere & formare decreta conditionata, quamvis hæc non præponantur scientiæ conditionatæ. Ratio hujus explicationis est. Tum quia sicut futura absoluta videntur à Deo in absoluto egressu sui ipsorum à causis suis, & quidem certò & infallibiliter, ita futura conditionata nō possunt certò, & infallibiliter repræsentari Deo, nisi in egressione conditionata. Tum quia sicut in esse physico causa, sive libera, sive necessaria, operatur; sic in esse intentionali & objectivo operari debet. Ergo sicut Deus videt ipso egressu physico, & operationes liberas absolutè futuras sive existentes; sic in ipsâ operatione conditionatâ intelligibiliter erūpente à suâ causâ, Deo repræsentatur futurum conditionatum.

Non arridet; quia cum primis colnct dit & melà Theologica ratione proregitur.

221. Verùm hic modus, ut jacet, non satisfacit. Primò, Quia supponit, tam futura contingentia absoluta, quàm conditionata cognosci à Deo in se ipsis: cùm idem prorsùs sit, Deum ea cognoscere in egressu sive absoluto, sive conditionato à suis causis, quàm in se ipsis; hoc autem falsum omninò est, ut constat ex dictis. Secundò. Quia dicere, futura conditionata egredi, & à suis causis procedere in esse intentionali, & intelligibili; sicuti futura absoluta causantur, & procedunt à suis causis in esse physico & reali; nullâ videtur Theologicâ ratione fulciri. Ratio est. Quia actus liberi absolutè futuri non possunt procedere à causis physicis in statu absoluto, nisi tales causæ in esse physico & reali habeant esse, sive existentiam propriam distinctam à Deo: causa enim non existens physicè non potest alteri existentiam propriam communicare. Ergo actus liberi conditionatè futuri non possunt egredi & procedere à causis liberis, adhuc in esse intentionali & objectivo, nisi tales causæ habeant aliquod esse saltem objectivum, & intentionale. Dixi *saltem*: quia adhuc concesso tali esse objectivo & intentionali in causis, non facilè intelligitur quo pacto causa intentionaliter existens, producat actum & effectum secundùm esse intētionale. Sed hoc gratis permisso: Tunc sic arguo. Sed causæ liberæ nō habent esse objectivum, & intentionale distinctum à Deo. Ergo tales actus conditionatè futuri non possunt egredi & erumpere ab illis causis adhuc in esse intentionali. Minor subsumpta probatur. Tum quia, ut constat ex Opusc. de Possibilitate rerum, creaturæ possibiles, imò nec conditionatæ futuræ nō habent esse actu distinctum à Deo: Tum quia quodlibet esse creaturarum distinctum à Deo, & ab esse naturali propriæ existentiæ, est omninò chymæricum.

Rejicitur P. Michaël de Avendano futuritionem conditionatā esse verificativum.

222. Aliam viam non sine ingenii acumine tentavit P. Michaël de Avendano, quatenùs asserit futuritionem conditionatam, sive existentiam conditionatam, licet non sit quid actu existens; esse tamen ens verificativum, sive ens cum hoc addito *verificativum*, ac proinde scientiam Dei objectivè conditionatam noscere suum objectum, nempè futurum conditionatum contingens immediatè in se ipso. Conaturque in hunc dicendi modum pertrahere Patrem Robles, eximium Suarium, & alios. Verùm hæc nova cogitatio facilè rejicitur. Tum quia tale ens verificativum aut est chymæra, aut debet esse aliquid, quod quidditativè habeat essentiam. Sed omne quod habet essentiam, vel habet

habet esse in propriâ naturâ, vel in mente alicujus intelligentis Ergo tale ens verificativum futuri conditionati actu distinctum à Deo, est chymæra. Tum etiam quia nulla scientia Dei cognoscit res creatas, vel creabiles in se ipsis, ut loco supra citato probavimus. Unde his & aliis modis, qui prolixioribus salebris implicantur absque aliâ impugnatione nunc prætermissis:

Statuitur vera Solutio.

Deus igitur nō in liberarum causarum idæis; sed in expressivis actuum liberorum cognoscit conditionatè futuros.

223. Respondeo igitur ad argumentum in formâ, concessâ majori, negando minorem. Ad istius probationem, distinguo majorem: Scientia media non cognoscit actus liberos conditionatè futuros in ligno rationis antecedenti decretum, in idæis divinis causarum liberarum, in quibus actus liberi solùm cognoscuntur possibiles possibilitate in causâ indifferenti ad utrumlibet, concedo: non cognoscit actus liberos conditionatè futuros, in idæis, in quibus representantur tales actus determinatè possibiles potiùs, quàm eorum oppositi, nego majorem. Solutio constat ex fusè dictis Lectione præcedenti. Et quia meliùs declaratur exemplo. Ratio solutionis est primò. Quia in idæâ, quæ est similitudo pœnitentiæ v. g. Tyriorum sub virtutibus, & prædicatione Christi Domini determinatè possibilis potiùs, quàm non pœnitentiæ. Cognoscit certò & infallibiliter Deus pœnitentiam Tyriorum conditionatè futuram; ut patet ex dictis loco citato. Secundò. Quia in idæâ practicè sumptâ de conversione Divi Petri absolutè futurâ, aut absolutè existenti pro suâ differentiâ temporis, cognoscit Deus scientiâ visionis conversionem Sancti Petri absolutè futuram respectu nostri, aut absolutè existentem respectu sui potiùs, quàm non conversionem. Ergo in idæâ speculativè sumptâ aut conversionis Sancti Petri, aut pœnitentiæ Tyriorum, certò & infallibiliter prænoscit Deus tales conversiones determinatè possibiles potiùs, quàm non conversiones. Antecedens constat. Consequentia etiam patet. Quia quod est absolutè futurum, aut absolutè existens, eâ ratione fuit possibile. Sed conversio Divi Petri fuit absolutè futura, & absolutè determinatè existens potiùs, quàm non futura, aut existens. Ergo fuit determinatè possibilis potiùs, quàm non possibilis possibilitate operationis. Tertiò. Quia Deus cognoscendo se esse absolutè liberum, & in illâ idæâ de pœnitentiâ Tyriorum, ei representari sub illis virtutibus, & in illis circumstantiis conversionem Tyriorum potiùs, quàm non conversionem, non potest non cognoscere certò infallibiliter, quod si velit Tyrios constituere in talibus circumstantiis, certissimè convertentur, aut pœnitentiam egissent: quia ex suppositione talis ideæ representantis Tyriorum conversionem potiùs, quam non conversionem; si Deus velit extra producere, quod in tali idæâ repræsentatur, & in illis circūstantiis Tyrios constituere, non potest non poni in rerum naturâ pœnitentia illa Tyriorum, aliàs idæa illa esset falsa.

Repeto Creati artificis paritatem, respectu divini opportunam

224. Quartò. Quia Artifex independenter à voluntate opere externo fabricandi, idæam alicujus domûs, hâc vel illâ dispositione sibi efformavit, certissimè in tali idæâ prænoscit, quod si velit idæatam domum extra construere, domus evaderet hujus vel illius dispositionis, quin, ut supra notabam, opus sit Artifici elicere actum conditionatum, ut veritatem objectivam domûs certò cognoscat: similiter si Deus aut in mente alicujus hominis infunderet, aut in speculo imprimeret speciem aliquam, in quâ nobis objiceretur Tragœdia aliqua, quæ nec est, nec fuit, nec erit; v. g. duorum exercituum mordicùs utrinque certantium acrior pugna, ita ut hinc inde apparerent hostiles incursus, vulnera, mortes, & tandem in quam partem inclinaret victoria: Certè qui cruentum hoc spectaculum secundùm esse intentionale, & representativum, quod in tali haberet specie, intra speculum cerneret, plures propositiones, & veritates conditionatas posset efformare: dicendo, si Deus secundùm existentiâ propriam, & naturalem hos duos exercitus producere voluisset, ad cruendam pugnam venirent, in quâ gregarius ille miles inclytū illum Ducem Scelopo occideret: & sic de aliis casibus in speculo representatis; certòque & infallibiliter sciret quæ acies victoriam decantasset: Si enim hanc scientiam absque ullâ difficultate similia in speculo videnti concedimus; quâ ratione, vel quâ inverecundâ fronte hoc ipsum, & infinita alia Deo Optimo Maximo, in suis idæis veluti in terso speculo divinæ essentiæ certissimè prævidenti, poterit denegari? Ex quibus patet ad reliqua argumenti.

Ad confirmationē dico, non nobis ibi Angelicū refragari.

225. Ad primam confirmationem dico Sanctum Thomam, ut ex ejusdem verbis cō. stat, clarissimè loqui de scientiâ visionis, quæ per decretum absolutum & efficax quasi determinatur ad cognoscenda absolutè futura; quæ, ut supra explicuimus, posito decreto absoluto tam ex parte subjecti, quàm ex parte objecti in essentiâ divinâ, aut in illis idæis practicè sumptis, cognoscuntur. Ad secundam confirmationem eodem modo quoad argumentum: Respondeo, majori concessâ, distinguendo minorem: antecedenter ad decretum non representantur in essentiâ divinâ, ut habet rationem ideæ, rei, ut absolutè futuræ, concedo: non representantur conditionatè futuræ juxta explicationem sæpiùs datam, nego minorem. Nam si loquamur juxta quæstionis propositum, de idæis, in

quibus repræsentantur operationes liberæ, sive causæ secundæ actu operantes, sive conjunctæ cum suis operationibus, tunc tales operationes non cognoscuntur possibiles solùm possibilitate in causâ; sed determinatè possibiles potiùs, quàm earum oppositum, sicut dictum est de idæis practicis, in quibus cognoscit operationes liberas absolutè futuras potiùs quàm non futuras.

Ad 3. respondeo, & evinco minùs theologicè dari essentiâ divinâ continere creaturas in essendo sub esse existentiæ ut per decretum determinatas.

226. Ad tertiam confirmationem respondetur, id esse verùm de rebus absolutè futuris, sive existentibus, quæ non possunt intelligi secundùm esse proprium, & naturale, nisi per decretum absolutum, vi cujus determinat Deus existentias rerum. Illud autem, quod addit Gonet, videlicet essentiam divinam non continere creaturas in essendo sub esse existentiæ, nisi ut determinatæ per decretum, minùs theologicè dictum est. Quia creaturæ non continentur in essentiâ divinâ ante & post decretum secundùm esse proprium suæ existentiæ: sed immaterialiter & longè alio perfectiori modo. Ad quartam respondeo, repræsentationem idearum in Deo antecedenter ad decretum, pertinere ad scientiam naturalem, & necessariam Dei. Ad illud verò, quod additur, quod si Deus in illis idæis cognosceret contingentia conditionatè futura antecedenter ad decretum, talis scientia non esset visionis & libera; sed *necessaria*: cõcedenda est prima pars: secunda verò sic distinguenda: sed necessaria ex parte rei cognoscentis, concedo: necessaria ex parte cognitæ, subdistinguo: necessaria necessitate absolutâ, nego: necessitate ex suppositione, concedo.

Conspicuam præbeo solutionis rationem.

227. Ratio solutionis constat ex dictis. Quia omnis scientia Dei, etiam visionis, est perfectio Dei: perfectio autem divina non potest Deo non esse necessaria. Si verò futurũ contingens conditionatum consideretur etiã ante decretum, secundùm se, & ex parte sui; sic non est necessarium necessitate absoluta: quia cùm sit possibile possibilitate in causâ ex suâ essentiâ, & quidditate indifferenti ad utrumlibet, adhuc objectivè & secundùm esse intentionale non est necessarium necessitate absolutâ: in quo distinguitur ortus Solis possibilis, sive combustio ignis possibilis, à volitione liberâ possibili, sive quocunque alio actu ex suâ quidditate contingenti: primi enim effectus sunt necessarii necessitate absolutâ; quia comparantur ad causas ex suâ quidditate ad unum determinatas; secùs autem secundi, qui sunt actus causarum, quæ non sunt determinatæ ad unum; sed ex suâ quidditate indifferentes ad utrumlibet contradictionis extremum. Relinquitur ergo, quod operationes liberæ antecedenter ad decretum solùm sunt necessariæ necessitate ex suppositione: quia cum Deus in suâ divinâ essentiâ cognoscat, & comprehendat non solùm causas liberas, & contingentes possibiles; sed etiam actus liberos, & contingentes possibiles in quâcumque rerum serie, ex suppositione quod eos in suis idæis cognoscat, atque comprehendat; tales actus determinatè possibiles, sive (quod idem est) conditionatè futura, juxta superiùs dicta, dicuntur etiam ante decretum necessarii necessitate conditionatâ, sive ex suppositione.

Replicatur duplicem inferendo sequelam.

228. Replicabis primò. Pœnitentia Tyriorum conditionatè futura (idem est de alio quolibet contingenti conditionatè futuro) si ante omne decretum esset necessaria necessitate solùm conditionatâ, & ex suppositione sequeretur primò, quod talis pœnitentia taliter esset determinatè possibilis & conditionatè futura, ut ante decretum potuisset esse, & non esse determinatè possibilis, & conditionatè futura. Sed ante decretum nullum est objectum scientiæ necessariæ Dei, quod potuisset esse & non esse. Ergo. Sequeretur secundò, quod scientia necessaria Dei, sive conditionata, & media esset variabilis. Hoc autem est absurdum. Ergò. Probatur sequela. Quia si pœnitentia cõditionata Tyriorum secundùm possibilitatem in causâ, potuit esse & non esse sub his virtutibus, & prædicatione Christi Domini: eò quòd istæ nullam dicunt connexionem ex se cum tali pœnitentiâ, potuisset Deus videre non pœnitentiam conditionatam Tyri & Sidonis sub illis virtutibus, in quo casu Deus prævidisset oppositum ejus, quod nunc videt. Sed hoc est, variari divinam scientiam. Ergo.

Ad 2. respondeo sub illâ distinctione possibilitatis actûs in ordine ad causam quidditativè in actu 2.

229. Ad primam replicæ sequelam distinguo majorem: Potuisset esse, & non esse conditionatè futura, sumptâ possibilitate in ordine ad causam quidditativè sumptam in actu primo, concedo: Possibilitate sumptâ in ordine ad causam in actu secundo, sive conjunctam cum operatione liberâ, sive pœnitentiâ illâ conditionatâ, nego majorem. Quia cum res, dum est sive secundùm esse physicum, sive secundùm esse objectivum, & intentionale, necesse sit, esse; ex suppositione, quod Deus semel prænoverit, & in suâ divinâ essentiâ comprehenderit pœnitentiam Tyriorum determinatè possibilem potiùs, quàm non pœnitentiam sub illis virtutibus, & in illis circunstantiis, talis pœnitentia non potuit non esse conditionatè futura, sive determinatè possibilis. Et sub eâdem distinctione diluenda est minor. Ad secundam sequelam nego majorem. Ad ejus probationem, concessâ majori, nego minorem. Ratio sumitur ex Divo Thomâ pluribus in locis, præsertim quæst. 2. de scientiâ Dei, artic. 13. in corpore. Quia cum scientia sit medium inter cognoscentem, & cognitum, duplex potest in ipsâ variatio contingere: Uno modo ex parte cognoscentis; alio modo ex parte rei

res cognitæ: Scientia autem Dei cum non solùm sit rerum existentium, sive absolutè futurarum, ut est scientia visionis; sed etiam omnium purè possibilium; ut est scientia sive simplicis intelligentiæ absolutè, sive scientia conditionata, aut media, juxtà explicationem suprà datam, nullo modo ex parte Dei potest variari. Ratio est. Tum quia prædictæ scientiæ in Deo cum sint certæ, & infallibiles, omnem contingentiam, & variationem excludunt; ut latè probavimus suprà quæst. 1. prælud. 4. propos. 5. quibus in locis ex Boëtio, & Angelico Magistro certitudinem, & infallibilitatem divinæ scientiæ luculenter composuimus cum ipsâ rerum contingentiâ; absque eo, quod ulla actibus liberis, & contingentibus à Deo necessitas imponatur. Tum quia scientia conditionata, & media, circà quam versatur præcipua difficultas, est necessaria, & naturalis ex suppositione operationis liberæ determinatè possibilis potiùs, quàm ejus oppositi; ex quâ suppositione non potest variari. Tum quia, etiam loquendo de rebus contingentibus, quæ Deus semel prævidit, & voluit, non potest non providere, & velle; unde nec scientia, nec voluntas Dei ullam mutationem pati possunt.

Rursùs nec ex parte rei cognitæ scientia media: & patet ex S. Thomæ dicto art. 13. in corpore ad finem.

230. Rursùs etiam ex parte rei cognitæ scientia conditionata, sive media variari non potest: Quod Sanctus Thomas dicto artic. 13. in corpore ad finem, hâc ratione suadet, ibi: *Ex parte rei cognitæ scientia variatur secundùm veritatem, & falsitatem; quia eâdem existimatione remanente, si res mutetur, erit existimatio falsa, quæ fuit priùs vera: Quod etiam in Deo non potest esse; quia intuitus divinæ cognitionis fertur in rem, secundùm quod est in suâ præsentialitate, prout est jam determinata ad unum.* Tunc sic. Sed scientia conditionata, & media fertur in res contingentes conditionatè futuras, prout sunt Deo præsentes secundùm esse objectivum, & intentionale in suis idæis, in quibus repræsentantur determinatè possibiles, & in quibus causæ liberæ cognoscuntur conjunctæ cum suis operationibus, & consequenter liberæ determinatæ ad unum. Ergo ex hâc suppositione scientia media variari non potest.

Eandem invariabilitatem ulteriùs suadeo à paritate scientiæ visionis.

231. Suadetur ulteriùs à paritate scientiæ visionis. Etenim si res, & actus liberi absolutè futuri, potuissent non esse, nullus Theologus ex Catholicis hactenùs asseruit, scientiam visionis esse variabilem: Non aliâ ratione, nisi quia scientia visionis necessariò intuetur actus liberos absolutè futuros ut sibi præsentes in suâ temporis differentiâ; ita, ut quamvis res transeant successivè de uno tempore in aliud; ratione cujus transitûs, & nostri modi cognoscendi etiam successivi, & imperfecti, quoad nos sint præteritæ, & futuræ; respectu tamen Dei, qui unico intuitu suæ æternitati commensurato, omnia ut sibi præsentia habet, tales actus liberi, sive res non sint præteritæ, & futuræ; sed præsentes. Propter quod satis eleganter addidit D. Thomas, ibidem: *Si autem res ipsa aliam dispositionem accipiat; illa iterum erit eodem modo divinæ visioni subjecta; & sic scientia Dei nullo modo variabilis est.* Ità ibi. Tunc sic. Sed negari non potest, quin Deus scientiâ necessariâ, & naturali præviderit actus liberos possibiles ut sibi præsentes secundùm esse intentionale, & objectivum in suis idæis, quos nunc scientiâ visionis prænoscit: Cum certum sit, fuisse independenter ab omni decreto priùs absolutè possibilia, quæ nunc sunt actu absolutè existentia, aut absolutè futura. Ergo si Deus scientiâ visionis absque ullâ variatione, & mutatione tàm ex parte cognoscentis, quàm ex parte rei cognitæ prænoscit actus nostros liberos certò, & determinatè futuros potiùs, quàm eorum oppositos; necessariò concedendum est, Deum absque ullâ variatione, & mutatione scientiâ necessariâ prænoscere actus liberos secundùm esse intentionale determinatè possibiles potiùs, quàm eorum oppositos: Quam scientiam, propter rationes dictas, conditionatam appellamus, & mediam, quæ utpotè anterior omni decreto, reducenda potiùs est ad scientiam simplicis intelligentiæ, quàm visionis.

Verùtamè præjacta replica robustiùs contra Thomistas invalescit.

232. Addiderim, præfatam replicam de variatione scientiæ Dei majori vi invalescere contra Thomistarum scientiam conditionatam. Ratio est. Quia istius objectum nec est existens in propriâ naturâ, nec est possibile; sed medium quoddam objectum formaliter contingens secundùm esse objectivum causatum per decretum liberum absolutum ex parte Dei; quo deficiente (ut in eorum sententia potuit saltem terminativè deficere) tale esse objectivum futuri purè conditionati per nullam scientiam cognosceretur à Deo. Rem ostendo. Omne, quod cognoscitur, juxta Divum Thomam, & communem Philosophiam, debet esse in aliquo actu; nam quod nullo modo est, nullo modo cognoscitur. Sed deficiente illo Thomistarum decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, tale objectum conditionatè futurum, nullo modo esset. Ergo. Probatur minor. Tale objectum purè conditionatum; v. g. pœnitentia conditionata Tyriorum sub illis virtutibus, est actus liber contingens, & conditionatè futurus potiùs, quàm ejus caren-

carentia, aut oppositum, nullo modo esset, deficiente tali decreto conditionato. Ergo. Probatur minor primò. Quia talis pœnitentia Tyriorum nec haberet esse objectivum, nec cognosceretur in decreto illo conditionato veluti in medio; quia, ut supponitur, tale decretum actu terminativè ex parte Dei, deficeret. Secundò. Quia multò minùs cognosceretur, nec haberet esse objectivum in decreto aliquo absoluto tam ex parte actûs, quàm ex parte objecti: Cum certum sit, tale decretum non esse in Deo. Tertiò. Quia talis pœnitentia secundùm illud esse objectivum non cognosceretur in se ipsâ; tum quia in sententiâ Divi Thomæ, & veriori Theologiâ (ut constat ex dictis prælud. 4.) Deus nullum objectum creatum cognoscit immediatè in se ipso. Denique talis pœnitentia conditionata nullo modo haberet esse objectivum, nec cognosceretur ante omne actuale decretum ex parte Dei in essentiâ divinâ, nec in aliquâ idæâ.

Ostendo multipliciter, illâ Tyriorũ pœnitentiã nullatenùs antedecretũ habiturũ esse objectivũ, nec cognoscẽdum in divinâ essentiâ, nec in aliquâ idæâ.

233. Quod sic ostendo primò. Quia talis pœnitentia Tyriorum est actus liber conditionatè futurus potiùs, quàm ejus carentia, sive impœnitentia: Nam veritas revelata in Evangelio, est sub illâ conditione determinatè futura. Sed Deus talem veritatem non cognoscit independenter ab omni decreto; ut communiter docent Thomistæ: Aliàs jam scientia conditionata esset anterior omni decreto; quod pro viribus negant. Ergo deficiente tali decreto absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti, ut pro libito Dei potuit deficere; pœnitentia illa sub conditione determinatè futura potiùs, quàm ejus carentia, aut oppositum, per nullam scientiam posset cognosci, nec esset aliquod medium, in quo cognosci posset à Deo. Ostendo secundò. Quia, omnibus benè consideratis, si per aliquam scientiam posset à Deo cognosci talis pœnitentia conditionatè futura, maximè per scientiam simplicis intelligentiæ, quæ illam cognosceret ut possibilem sub illis virtutibus, & prædicatione Christi. At per scientiam simplicis intelligentiæ non cognosceret illam possibilem. Ergo. Probatur minor. Quia vel Deus cognosceret talem pœnitentiam possibilem possibilitate in causâ ex suâ quidditate ad utrumlibet indifferenti; vel illam cognosceret possibilem possibilitate ipsius pœnitentiæ determinatæ sub illis virtutibus, & in illis circunstantiis potiùs, quàm ejusdem carentiam? Si primum: Contra est. Quia in medio, in quo cognoscitur causa libera indeterminata, & indifferens ad utrumlibet, non magis cognoscitur pœnitentia Tyriorum possibilis, quàm eorum impœnitentia; sicut in causâ liberâ absolutè existenti cum indifferentiâ ad volendum, & nolendum, non potest cognosci volitio potiùs determinatè futura, quàm ejus nolitio. Sed veritas revelata est de pœnitentiâ determinatè sub conditione futurâ potiùs, quàm de impœnitentiâ. Ergo talis veritas non potest cognosci per scientiam simplicis intelligentiæ in illo medio, in quo solùm cognoscitur posibilis posibilitate in causâ indeterminatâ, & omninò indifferenti ad utrumlibet.

234. Si secundum dicatur: Jungamus dexteras. Ergo jam antè omne decretum datur medium, in quo Deus cognoscat certò, & infallibiliter pœnitentiam Tyriorum sub illis virtutibus determinatè posibilem potiùs, quàm eorum impœnitentiam. Jam verò cum ex dictis constet, idem esse, Deum certò, & infallibiliter cognoscere ante omne decretum pœnitentiam Tyriorum determinatè posibilem potiùs, quàm impœnitentiam; ac certò cognoscere pœnitentiam illam conditionatè futuram: Relinquitur, scientiam conditionatam, sive mediam esse in Deo ante illud decretum Thomisticum absolutum, & subjectivè ex parte Dei, & conditionatum ex parte objecti. Ex quibus omnibus fit, ut consequentia ad propositum redeat, sequelam de variabilitate, & mutatione scientiæ Dei efficaciùs urgere Thomistas; cum scientia conditionata juxtà illos pendeat necessariò ab objecto conditionato, secundùm esse objectivum formaliter contingenti, & producto per illud liberum decretum. Unde sicut scientia visionis variaretur, si dependeret à rebus absolutè futuris per decretum absolutum, & efficax; ita, ut independenter à decreto nullum aliud esse objectivum haberent in Deo, nec in eo esset aliquod medium cognoscendi id, quod per tale decretum dicitur absolutè futurum: Sic eandem mutationem videtur incurrere scientia conditionata in sententiâ Thomistarum, propter rationem suprà tactam. Si jungamus dexteras.

235. Replicabis secundò id, quod est determinatè posibile, potest esse, & non esse. Sed pœnitentia conditionata Tyriorum non potest esse, & non esse; cum determinatè sit conditionatè futura. Ergo objecta contingentia conditionatè futura non pertinent ad statum posibilitatis. Distinguo majorem: Potest absolutè esse, & non esse in ordine ad existentiam propriam suæ naturæ, concedo: In ordine ad existentiam objectivam, & intentionalem in essentiâ divinâ, aut in propriâ idæâ, nego majorem. Et distinguo minorem: Non potest absolutè esse, & non esse in ordine ad existentiam propriam suæ naturæ, nego: Iterùm explico, quo pacto id, quod est determinatè posibile, possit esse, & non esse.

go: In ordine existentiam objectivam, & intentionalem in Deo, concedo minorem. Igitur talis pœnitentia conditionata, & omnes operationes liberæ, & contingentes, quatenùs cognoscuntur ut determinatè possibiles in suis idæis, comparativè ad liberam potestatem Dei possunt absolutè esse & non esse in propriâ naturâ; cum pro libito ponit disponere Deus, ut extrà causas existant, & producantur. At verò comparativè ad esse intentionale, & objectivum, seu per similitudinem, quod habent in suis idæis, non possunt esse, & non esse intentionaliter, sed habent esse intentionale determinatum: Quia ex suppositione quod Deus comprehendens infinitam imitabilitatem suæ essentiæ, prænoverit comprehensivè omnes actus liberos, & contingentes causarum secundarum; quilibet actus liber habet esse intentionale determinatum in suâ idæâ potiùs, quàm ejus oppositum; & secundùm tale esse non potest esse, & non esse; sed necessariò est determinatè possibilis, & determinatè conditionatè futurus: Quemadmodùm actus liber absolutè futurus ex suppositione, quod sit in propriâ naturâ pro suâ differentiâ temporis, non potest esse, & non esse; sed necessariò est; necessitate tamen conditionatâ, & ex suppositione, ut suprà notavimus ex S. Thomæ, & Boëtii doctrinâ.

236. Replicabis tertiò. Quia nihil habet idæam, nisi quod habet esse determinatum. Sed quod nec fuit, nec est, nec erit, non habet esse determinatum. Ergo objecta purè conditionata, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non possunt habere idæam in Deo; ac proinde nec pœnitentia illa conditionata. Respondet Angelicus Magister quæst. 3. de idæis, artic. 6. his verbis: *Dicendum, quod quamvis quod nec fuit, nec est, nec erit, non habeat esse determinatum in se; est tamen determinatè in Dei cognitione.* Quæ solutio majori explicatione non indiget. Jam verò cum pœnitentia conditionata Tyriorum nec sit, nec fuerit, nec futura sit; ad ejus infallibilem veritatem, & cognitionem sufficit, quod habeat esse determinatum intentionaliter in propriâ idæâ. Et obiter notandum est, S. Doctorem non dixisse, habere esse determinatum in aliquo decreto Dei, nec in se ipsâ; sed solùm in cognitione, sive idæâ. Tum quia decretum actuale ex parte Dei circà ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec unquàm erunt, in viâ Divi Thomæ chymæricum prorsùs est. Tum quia S. Doctor non agnovit medium essendi inter esse, quod res habent determinatè in cognitione, aut idæâ Dei; & inter esse proprium, quod res habent in se ipsis, secundùm propriam naturam, & extrà causas. Ergo illud esse medium objectivum formaliter contingens, & causatum à decreto actu subjectivè ex parte Dei, est planè confictum, & contra omnia S. Thomæ principia.

Id, quod nec fuit, nec est, nec erit, habet in Deo determinatâ idæam, ex S. Thomâ q. 3. de idæis, artic. 6.

237. Replicabis quartò. Scientia conditionata, & media est libera, & contingens. Sed independenter ab omni decreto, non potest Deus habere scientiam liberam, & contingentem. Ergo talis scientia non habet suum objectum independenter à decreto Dei. Probatur major. Scientia, cujus objectum potuit deficere, est libera, & contingens. Sed pœnitentia v. g. Tyriorum adhuc sub illâ conditione virtutum, & signorum Christi Domini potuit deficere. Ergo. Respondeo negando majorem. Quoad utramque partem. Ratio primæ est. Quia denominatio liberæ non competit divinæ scientiæ, nisi mediante decreto absoluto Dei, vi cujus existat in rerum naturâ objectum divinæ scientiæ: Cum ergo objectum scientiæ conditionatæ, & mediæ nullum habeat esse proprium suæ naturæ; sed solùm esse intentionale, & similitudinis in essentiâ divinâ, aut in idæâ ipsius repræsentativâ; inde est, scientiam conditionatam, sive mediam non esse, nec dici liberam. Ratio secundæ partis est. Quia licèt objectum scientiæ conditionatæ, & mediæ; v. g. pœnitentia determinatè possibilis, aut conditionatè futura Tyriorum, sit contingens adhuc objectivè, & intentionaliter in causâ ex suæ naturæ quidditate indifferenti; non ideò scientia Dei est contingens; quia non sequitur naturam, & conditionem objecti; sed solùm naturam cognoscentis; ut cum Divo Thomâ, & Boëtio latè probavimus quæst. 1. hujus controversiæ. Unde cum talis scientia conditionata tale cognoscat objectum in suâ idæâ; ex suppositione quod in illâ habeat esse intentionale ex infinitâ comprehensione omnium veritatum; potiùs dicenda est naturalis, & necessaria, quàm contingens, aut libera. Nec majorem difficultatem præsefert scientia conditionata, & media quantum ad hoc, ac scientia visionis: Sicut enim hæc non est, nec dici potest contingens ex parte actûs, eò quòd tota contingentia se habet ex parte objecti, quod in suâ causâ fuit possibile esse, & non esse; quin inde inferatur, scientiam Dei esse in se, & ex parte actûs contingentem, nec esse in se defectibilem, aut variabilem, quamvis ejus objectum potuisset deficere, attentâ naturâ, & conditione suæ causæ: Sic scientia conditionata, & media de Tyriorum pœnitentiâ determinatè possibili, aut conditionatè futurâ, non potest dici contingens ex parte sui: Quia tota contingentia se habet ex parte

Scientiam conditionatam, & mediam nec esse liberâ, nec contingere, efficaciter proba.

objecti, quod fuit possibile esse, & non esse possibilitate in causâ; ut superiùs manet explicitum.

Doctrinâ illustro, insistens scientiæ visionis exemplo: & inde triplicem propositionē exaro, & earū veritatē firmo; & nunc primæ de infallibilitate conversionis Magdalenæ.

238. Res potest ulteriùs illustrari, insistendo scientiæ visionis exemplo. Posito enim decreto absoluto, & efficaci abæterno de conversione Sanctissimæ Magdalenæ; istæ propositiones sunt veræ, quarum veritates certò, & infallibiliter prænovit Deus; prima est: *Deus suâ scientiâ visionis præscivit certò, & infallibiliter conversionem Magdalenæ absolutè futuram respectu nostri, & respectu Dei ut sibi præsentem pro suâ differentiâ temporis.* Secunda est: *Adhuc posito decreto efficaci, conversio Magdalenæ potuit existere, & non existere; ac proinde fuit formaliter contingens, sive possibilis esse, & non esse.* Tertia est: *Scientia visionis de conversione Magdalenæ est certissima, & infallibilis.* Ratio primæ propositionis, de cujus veritate nullus Theologorum dubitat, est. Quia cum scientia Dei mensuretur ejus æternitate; & Dei æternitas utpotè indivisibilis sit tota simul, & præsens omnibus temporum differentiis; necessariò cognoscit simul simultate ex parte actûs omnia, quæ pro illis temporum differentiis existunt; ac proindè conversionem Magdalenæ pro suâ temporis differentiâ in domo Pharisæi.

Ratio 2. propositionis de ejus conversionis cõtingentiâ, & libertate.

239. Ratio secundæ propositionis est non minùs certa. Tum quia decretum absolutum, & efficax de conversione Magdalenæ (dummodò non sit illativum physicæ prædeterminationis in voluntate creatâ) non immutat naturam, & conditionem liberi arbitrii, istudque relinquit in manu consilii sui; in cujus potestate absolutè fuit ponere, vel non ponere conversionem. Unde in medio, in quo Deus prænovit voluntatem Magdalenæ cum omnibus suis comprincipiis proximè converti, & non converti potentem; certissimè prænovit Deus hanc veritatem: *Conversio Magdalenæ est possibilis, & contingens esse, & non esse*: Aliàs posito decreto absoluto, nec voluntas Magdalenæ esset libera, aut proximè potens converti, & non converti; nec conversio illius esset formaliter contingens esse, & non esse; quod quidem absurdum: Aliàs voluntas creata, posito decreto Dei ex infallibilitate suæ præscientiæ præfiniente actus liberos, non esset proximè libera ad operandum, & non operandum; ut in Opusculo antelapso de divinâ motione latè ostendimus contra M. Gonetum, & Thomistarum Scholam. Tum etiam quia (ut quæst. 1. prælud. 4. propos. 5. per totam) scientia Dei non imponit necessitatem rebus contingentibus, & liberis.

Ratio 3. propositiones de infallibilitate scientiæ divinæ, conversionem illâ cognoscentia.

240. Ratio tertiæ propositionis est. Quia scientia visionis nullatenùs versatur nisi in objectum sibi præsens, & existens: Cum ergo res dum est, necesse sit, esse, non potest non esse infallibilis, & certissima scientia visionis circà conversionem Magdalenæ, ex suppositione quod illa existat. Jam verò cum veritates, quæ habentur de rebus in statu absoluto post decretum efficax, non possint non esse possibiles in statu possibilitatis ante omne decretum: Fit primò veritatem secundæ propositionis correspondere scientiæ simplicis intelligentiæ, quâ Deus cognoscit in suâ essentiâ, vel in idæâ causæ liberæ cum suis comprincipiis indifferentis ex suâ quidditate ad utrumlibet, conversionem B. Magdalenæ possibilem, & contingentem possibilitate, & contingentiâ causæ. Fit secundò veritates primæ, & tertiæ propositionis correspondere scientiæ etiam naturali, quam rectè dicimus conditionatam, & mediam, quâ Deus prænovit in idæâ, quæ repræsentat voluntatem in actu secundo, conversionem Magdalenæ determinatè possibilem potiùs, quàm ejus oppositum.

Doctorũ rationem cõpertam exhibeo.

241. Ratio est. Tum quia sicut voluntas creata in statu absolutæ existentiæ pro instanti suæ operationis non potest non habere aliquod extremum determinatè existens ex his, ad quæ antecedenter erat indifferens. Tum quia sicut scientia visionis certò, & infallibiliter prænoscit ex suppositione determinationis voluntatis illud extremum, ad quod est determinata; v. g. determinatam conversionem Magdalenæ: Sic scientia conditionata, & media prænoscit tale extremum, sive conversionem determinatè possibilem potiùs, quàm ejus oppositum, ex suppositione determinationis possibilis voluntatis, quam debet necessariò comprehendere, ut suprà ostendimus. Tum quia sicut perfectione scientiæ visionis non derogat, nec in aliquo derogaret, quod conversio Magdalenæ potuisset deficere, imò & quod actu deficeret in aliâ rerum serie: Quia tunc eadem certitudine, & infallibilitate contrariam voluntatis operationem videret; sic scientiæ naturali conditionatæ, & mediæ minimè derogat, nec derogare posset, quod illâ conversio determinatè possibilis potuisset non esse; imò & quod de facto non esset secundùm esse intentionale, & objectivum; quia tunc Deus prævideret, & comprehenderet alterum voluntatis extremum determinatè possibile. Tum denique quia cum Deus non immutet essentias rerum, nec modum operandi causarum secundarum, ad certitudinem, & infallibilitatem scientiæ divinæ solùm pertinet præscire, & videre operationes liberas,

ras,

ras, ex suppositione quod sint ei præsentes, sive in statu absoluto secundùm propriam naturam; sive in statu possibili determinatè secundùm esse intentionale & objectivum; ita ut ex præscientiâ actuum liberorũ determinatè possibilium, Deus dirigatur ex infinitâ suâ bonitate ad rectè & providè disponendum de rebus & causis liberis in statu absolutæ futuritionis, sive realis existentiæ: aliàs cæco, & inconsulto modo procederet in directione, & gubernatione causarum contingentium, & liberarum: pro quo declinando absurdo abstruitur à nobis scientia conditionata, & media anterior omni decreto actu terminativo, & subjectivè ex parte Dei.

Insurgit 2. in Deo negans independenter à decreto ideas rerum quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt.

242. Objicitur secundò. Futura contingentia purè conditionatè futura, de quorum ratione est pœnitentia conditionata Tyriorum, nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Sed respectu illorum, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non dantur ideæ independenter ab omni decreto. Ergo scientia de purè conditionatè futuris non potest intelligi in Deo ante omne decretum. Probatur minor, in quâ est difficultas. Quia ut ait S. Dionysius cap. de divinis Nominibus à medio; exemplaria sunt divinæ & bonæ voluntates, quæ sunt prædeterminativæ, & effectivæ rerum. Sed illud, quod nec fuit, nec est, nec erit, nunquam fuit determinatum à divinâ Voluntate. Ergo futura purè conditionata non hebent ante decretum ideas vel exemplaria, in quibus cognoscantur à Deo.

S. Th. huic satisfacit argumẽto q. 3. de idẽ is. a. 6. in corpore illud ibi si bi proponens,

243. Doctor Angelicus quæst. de idæis, artic. 6. ut se ab hoc argumento expediret, in ejusdem articuli corpore sic ait: *Dicendum, quod idæa propriè dicta respicit practicam cognitionem non solùm in actu, sed in habitu: Unde cùm Deus de his quæ facere potest, quamvis nunquam sint facta, nec futura, habeat cognitionem virtualiter practicam; relinquitur, quod idæa possit esse ejus, quod nec est, nec fuit, nec erit, non tamen eo modo, sicut est eorum, quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt: quia ad ea quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt, producenda determinatur ex proposito divinæ voluntatis, non autem ad ea quæ nec sunt nec erunt, nec fuerunt, & si hujusmodi indeterminatas idæas, &c.* Hæc Sanctissimus Doctor; & quidem omnia ad disputationis propositum utilissima.

Quæ constent ex D. Thom. doctrinâ pro nobis inculco.

244. Ex cuius doctrinâ constat primò, Divum Thomam docuisse, esse in Deo idæas virtualiter practicas ante, & independenter à suæ divinæ voluntatis proposito, in quibus cognoscit ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt. Sed pœnitentia conditionata Tyriorum, nec fuit, nec erit, & idem est de aliis veritatibus purè conditionatis. Ergo pœnitentia Tyriorum, & aliæ veritates purè conditionatæ cognoscuntur à Deo in illis idæis virtualiter practicis ante & independenter à divinæ voluntatis proposito. Manifestè ergo & aperto marte resistunt Recentiores Thomistæ suo, & communi Magistro, dum confingunt divinæ voluntatis propositum subjectivè ex parte Dei ad cognoscendas hujusmodi veritates. Secundò Divum Thomam solùm agnovisse propositum, sive decretum divinæ voluntatis pro iis rebus & objectis, quæ producenda sunt, & quæ absolutè fuerunt, sunt, vel erunt. Ast pœnitentia purè conditionata Tyriorum, & aliæ hujusmodi veritates conditionatæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt producendæ. Ergo nullum divinæ voluntatis agnoscit propositum quod circa illas versetur. Constat tertiò, Divum Thomam nullum invenire medium inter idæas indeterminatas; hoc est: non determinatas ex proposito divinæ voluntatis, & decreto Dei ad ea, quæ fuerunt, vel sunt, vel erunt producenda. Thomistæ verò pro suâ scientiâ conditionatâ tuendâ aliud medium confingunt inter purè possibile, & inter absolutè futurum, sive existens; illud nimirùm, quod quamvis nec sit purè possibile, nec sit existens aut producendum in propriâ naturâ; est tamen causatum, & productum, & formaliter contingens secundùm esse objectivum: quod medium mirabile prorsùs est in his, qui in scientiâ Dei nomen *Mediæ* sic exhorrent.

Nunc respondet Angelicus ad argumentum, ibidem, prorsùs evertens Thomistarum sententiam.

245. Ad argumentum verò ex doctrinâ illâ in corpore præmissa, sic respondet Angelicus, ibi: *Quod quamvis Deus nunquam voluerit producere hujusmodi res in esse, quarum idæas habet; tamẽ vult se posse eas producere, & se habere scientiam eas producendi: Unde & Dionysius non dicit quod ad rationem exemplaris exigeretur voluntas prædefiniens, & efficiens; definitiva & effectiva.* Hæc Sanctus Doctor, Sententiam Thomistarum apertissimè convellens. Rem ostendo. Inter voluntatem Dei præfinientem, & efficientem; & voluntatem Dei præfinitivam, & effectivam, hoc, & maximè notandum discrimen intercedit: quod nimirùm decretum, sive voluntas præfiniens, & efficiens est actu subjectivè ex parte Dei præfiniens, & efficiens terminum pro suâ differentiâ temporis producendum; ut ex ipsâ primâ terminorum apprehensione innotescit. Ast voluntas solùm præfinitiva, & effectiva non respicit terminum actu existentem, sive producendum; sed solùm potestatem liberam illum producendi, secundùm modum, quem certissimè & infallibiliter cognoscit in suâ idæâ nondum determinatâ. Sed Sanctus Doctor non requirit voluntatem Dei præfinientem, & efficientem; sed solùm definitivam, & effectivam, ut Deus cognoscat ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt in suis idæis virtualiter practicis, & non determinatis ex proposito suæ voluntatis. Ergo ut Deus prænoscat pœnitentiam purè conditionatam Tyriorum & hujusmodi alias veritates sub conditione revelatas, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, nullo

modo

modo requiritur voluntas, sive decretum præfiniens, nec efficiens subjectivè ex parte Dei: sed sufficit voluntas præfinitiva, & effectiva: Ex cujus comprehensione æquivalenter, & perfectiori modo cognoscit, quod si per voluntatem suam fierent aut factę fuissent virtutes in Tyro, & Sydone, quæ factæ sunt apud Judæos, Tyri, & Sydonii pœnitentiam egissent. Jam ergo cùm universa Societas hoc semper constantissimè edocuerit, nulli potest esse dubium, quin hactenùs certaverit, & usquequòque certet pro mente, & doctrinâ Magistri Angelici. Favet etiam illud, quod Sanctus Doctor in solutione addit: videlicet ibi: *Tamen vult, se posse eas producere, & se habere scientiam producendi.* Per quæ verba significat, Deum se habere volitionem & amorem necessarium, quo sibi complacet, & amat potestatem, quam habet ad producendum ea, quæ independenter à decreto præfinienti in suis idæis prænoscit; & quo similiter complacet, & amat, se habere scientiam producendi. De quâ volitione non loquuntur Thomistæ: hi enim non adstruunt decretum præfiniens, ut Deus velit & amet, se posse producere; sed ut actu producat; tamen secundùm suum esse objectivum, & intentionale objecta purè conditionata, ut constat ex supra impugnatâ Goneti doctrinâ.

Insurgit 3 dicens, nullũ esse scientiæ mediæ fundamentum posi tũ ex duobus formatis contradictoriis contradictoriè futuris, quorũ unum sit determinatè verum. &c

246. Objicitur tertiò. Quia ideò adstruitur scientia media, & conditionata omni decreto anterior, quia formatis duobus contradictoriis conditionatè futuris ante decretum, altera debet esse determinatè vera, & altera determinatè falsa. Sed ad hoc est inutilis scientia media, & conditionata. Ergo. Major supponitur à Goneto. Minor verò probatur primò ex Sancto Thoma expresè docente, Propositiones de futuro contingenti non habere determinatam veritatem; ut constat ex lect. 13. Periherm. & in 1. Sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 5. ad 2. Ibi: *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causas determinatas.* Probatur secundò. Quia etiam possunt formari propositiones contradictoriæ de futuris contingentibus absolutè futuris; & tamen nulla ex illis habet determinatam veritatem independenter à divino decreto, ut est communis sententia. Ergo.

Igitur id nõ est potissimum sententiæ nostræ fundamẽtum.

247. Respondeo ad objectionem, aliud esse, duas propositiones contradictorias de conditionatè futuris, quarum altera ante omne decretum sit determinatè vera, & altera determinatè falsa; assumi pro medio à nostris Doctoribus ad probandum, scientiam mediam esse independentem ab omni decreto: & aliud potissimam rationem adstruendi scientiam mediam, esse illas propositiones sibi immediatè contradicentes. Primum est verum; quia hoc argumento plures utuntur. Secundum autem est falsum: quia præcipuus scientiæ mediæ scopus in eum finem præfixus est, ut Deus certò, & providè dirigat operationes liberas & contingentes; & ad creatæ libertatis concordiam cum infallibilitate scientiæ, & efficaciâ divinæ voluntatis, & gratiæ sanctificantis. Ad primam probationem dico, Sanctum Doctorem in eâ fuisse sententiâ cum ipso Aristotele; quorum vestigiis insistens ultimo Tractatu Logicæ, libr. Perihem. disput. 3. section. 2. conclus. 2. ostendi, propositiones singulares de futuro contingenti, & libero secundùm se, sive futurum sit absolutum, sive conditionatum, non habere veritatem determinatam, nec determinatam falsitatem: quam conclusionem efficaciter ratione, & authoritate probavi: ibique discipulos monui, sententiam Societatis sub ibi datâ explicatione nec in minimo lædi.

Quia tales propositiones sunt de objecto possibili possibilitate in causâ liberâ, & indifferenti.

248. Ratio potissima fuit. Quia propositiones de futuro contingenti secundùm se sunt illæ, quæ formantur de objecto, prout est possibile possibilitate in causis; & prout sic, contingens esse, & non esse. Sed quod est contingens esse, & non esse, determinatè non est; & quod determinatè non est, determinatam veritatem habere non potest. Ergo tales propositiones de futuro contingenti, cùm loquantur de objecto in signo indifferentiæ causæ, & ante ejus determinationem, non possunt habere determinatam veritatem, nec falsitatem. Quod quidem ita verum est, ut cum Divo Thomâ communis Theologorum sententia doceat, vel ipsum Deum nec in causâ liberâ, nec in alio medio indifferenti ad utrumlibet, cognoscere certò, & infallibiliter determinatè unum potiùs extremum, quàm aliud.

Verùm respectu Dei contradictoriæ de futuro cõtingenti sunt determinatè verę & falsę.

249. Hoc tamen non tollit, quin futura contingentia, sive absolutè futura, posito decreto absoluto, sive futura conditionatè ante omne decretum, habeant respectu Dei determinatam veritatem; ac proindè propositiones contradictorias de futuro contingenti respectu illius sint determinatè veræ, aut determinatè falsæ. Ratio constat ex supra dictis. Quia respectu Dei, qui omnia ut sibi præsentia sive in esse reali, sive in esse objectivo tantùm, intuetur, nullum objectum sive absolutum, sive conditionatum est futurum, sed illi præsens, & pro suâ temporis differentiâ coexistens. Cùm ergo res dum est, necesse sit, esse, respectu scientiæ Dei tollitur contingentia, quâ sublatâ, objectum illarum propositionum, aut est determinatè verum, aut determinatè falsum. Undè infallibilitas, & certitudo divinæ scientiæ circa futura contingentia, non sumitur à medio

medio indifferenti ad utrumlibet; sed à suâ divinâ essentiâ, sive idæis, in quibus repræsentantur objecta ex suppositione quod sint sive in esse objectivo tantùm.

Unde nostræ de talibus futuris conditionatis propositiones, respectu Dei sunt determinatè veræ aut falsæ ante omne decretum.

250. Quo supposito, fit primò propositiones contradictorias, quæ formantur à nobis de objectis contingentibus conditionatè futuris, habere respectu Dei determinatam veritatem, aut falsitatem ante omne decretum: quia cùm Deus independenter ab omni decreto habeat idæas virtute practicas, in quibus hujusmodi contingentia, sive actus liberos conditionatè futuros cognoscit, non ut futuros; sed ut sibi objectivè, & intentionaliter præsentes; nec ut conditionatos; cùm Deus non cognoscat modo conditionato, nec discursivo: sed unico, & simplicissimo eos comprehendat intuitu ut determinatè possibiles potiùs quàm eorum oppositum; benè arguunt nostri Doctores, tales propositiones esse determinatè veras, aut determinatè falsas: ac proindè dari ante omne decretum scientiam conditionatam, mediam: Ubi enim datur medium certò cognoscendi tales veritates conditionatè futuras, consequenter est concedenda scientia & cognitio eorum. Fit secundò. Propositiones contradictorias, quæ à nobis formantur de contingentibus absolutè futuris, non posse habere veritatem determinatam, aut determinatam falsitatem ante decretum Dei. Ratio est. Quia medium cognoscendi contingentia absolutè futura, sunt ideæ actu practicæ & determinatæ ex decreto, & proposito divinæ voluntatis, ut supra docuit Sanctus Thomas. Cùm ergo implicet, tales idæas esse actu practicas, & determinatas ex proposito voluntatis ante decretum, ante illud nec datur, nec dari potest medium, in quo hujusmodi veritates cognoscantur. Ex quibus fit tertiò veritates de futuris contingentibus liberis & absolutè futuris, certò & infallibiliter cognosci à Deo in suis idæis actu practicis, & determinatis ex proposito, sive decreto absoluto & efficaci divinæ voluntatis: quia tales ideæ repræsentant actus liberos existentes pro suâ differentiâ temporis.

Ante divinæ voluntatis decretũ, nullum objectum in idæis repræsentatur ut existens in suâ propriâ naturâ.

251. Dices. Ante decretum, & propositum divinæ voluntatis tales ideæ non repræsentabant actus liberos, & objecta contingentia secundùm existentiam propriam suæ naturæ. Ergo per decretum liberum Dei additur essentiæ divinæ, aut ejusdem idæis aliqua virtus repræsentatur, aut dicendum est, ab ipsis actibus liberis existentibus causari repræsentationem, quâ eos ut existentes agnoscat. Hoc autem absurdissimum est. Ergo. Respondeo, ante decretum, & divinæ voluntatis propositum nullum objectum repræsentari ut existens in suâ propriâ naturâ; quia existentia, aut absoluta futuritio rerum pendet a decreto absoluto Dei; sicut enim omnia quæcumque voluit, fecit, & existunt: sic quæcumque non voluit, nec fecit, nec existunt. Ex hoc autem non sequitur, per decretum Dei superaddi essentiæ divinæ, aut ejus idæis virtutem aliquam, quâ repræsentent existentiam rerum in propriâ naturâ. Tum quia virtus repræsentandi est perfectio divina: nulla autem perfectio divina advenit Deo per suum decretum liberum. Tum quia objectum divini decreti actu terminativè semper est aliquid creatum, & contingens; ut ostendimus supra contra illa Thomistarum decreta circa objecta purè conditionata. Tum quia quod essentia divina, & ejus ideæ non repræsentent ante decretum absolutum existentias rerum, non oritur ex defectu virtutis repræsentativæ; sed ex defectu existentiæ rerum ante decretum. Tum quia Divus Thomas lib. 2. contra Gentes, cap. 12. num. 3. ait ibi: *Deus autem non aliter refertur ad ea, quæ sunt actu, quàm ad ea, quæ sunt potentiâ: quia non mutatur ex hoc, quod aliqua producit.* Et lib. 1. cap. 66. ibi: *Omne esse cujuscumque rei Deus cognoscit per essentiam suam: nam sua essentia est repræsentabilis secundùm multa, quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt: Ipsa etiam est similitudo virtutis cujuslibet causæ, secundùm quam præexistunt effectus in causis*: Esse etiam cujuslibet rei quod habet in se ipsâ, est ab eâ exemplariter deductum. Hæc mirabiliter, & profundissimè Angelicus.

Quod autem Deus ante decretũ non cognoscat rerum existentias & actuum liberorũid provenit ex talis ex istentiæ defectu.

252. Ex quibus hunc discursum efficacem produco. Si esse rerum, sive earum existentia in propriâ naturâ, est exemplariter deducta ab essentiâ divinâ, sive (quod idem est) à suis idæis? ergo esse rerum, quod istæ habent in propriâ naturâ, prænovit Deus, antequam res in propriâ naturâ existerent, in suâ essentiâ objectivè tanquam in exemplari, & illius idæâ. Ergo quod Deus non cognoscat existentias rerum, & actuum liberorum ante decretum, & propositum divinæ voluntatis, non oritur ex defectu scientiæ, & repræsentationis divinæ; sed ex defectu existentiæ rerum, quam nisi per decretum, nulla creatura potest habere. Patet consequentia. Quia Deus in suâ essentiâ velut in exemplari jam præsciebat in esse intentionali, & objectivo ante omne decretum, rerum existentiam; aliàs hæc non esset deducta exemplariter, ab essentiâ divinâ extra causas per ipsum Deum, contra id, quod expressè tradidit Angelicus Doctor.

Idem illustro exemplo materialis speculi.

253. Illustratur hoc exemplo materialis speculi. Pone, quod Deus tibi objiciat in speculo speciem impressam alicujus objecti nondum existentis in propriâ naturâ; certè in

in tali casu videres rem illam repræsentatam in medio illius speciei, & similitudinis intentionalis; non minùs, ac modò vides Petrum à tergo existentem, per speciem, quæ ab illo impingitur in speculum: hoc solùm discrimine, quod in primâ specie solùm vides existentiam illius objecti in esse intentionale, & objectivo, quia, ut supponitur, nondùm in esse suo reali & naturali existit, sicut existit Petrus. Pone rursùs quod Deus postea producat tale objectum secundùm esse proprium suæ naturæ, & quidem à tergo tibi existens: in hoc ergo casu eadem species priùs impressa, quæ supponitur perseverare absque ullâ sui mutatione tibi repræsentaret eodem modo suum objectum in suâ propriâ naturâ, quin opus esset illi addere aliquam virtutem in ratione repræsentandi: quia quod ante non repræsentaret suum objectum existens, non erat ex defectu repræsentationis, & similitudinis; sed ex defectu existentiæ naturalis sui objecti, quæ ex Dei decreto pendebat. Hæc igitur cùm ita sint, ad illud divinæ essentiæ speculum infinitum mentis oculos eleva, ut in illâ videas tanquam in exemplari omnia non solùm quoad essentias, sed etiam quoad existentias repræsentari in esse objectivo & intentionali: quia est infinita omnium similitudo, quin talis scientia, & repræsentatio à libero Dei decreto dependeat. Quod si ex efficaci divinæ voluntatis proposito res, & quicumque actus liberi extra causas producantur, & existant in propriâ naturâ, non ideo mutatur divina essentia, nec ejus scientia; sed tota mutatio, sive contingentia se habet ex parte objecti. Ex quo fit, decreta, sive absoluta, sive conditionata non esse Deo medium cognoscendi; sed solùm veluti determinativum, ut essentia divina, sive ejus ideæ repræsentent absque ullâ sui additione, & mutatione res ipsas secundùm proprias eorum existentias.

Adhuc ad missis decretis, cõditionatis illa non essent medium conditionata objecta cognoscendi.

254. Dixi *sive decreta conditionata*: non quia istorum existentiam, nec possibilitatem probemus: cùm satis rejecta, & à suis fundamentis sint à nobis suprà concussa; sed quia adhuc datâ eorum hypothesi, non essent Deo medium cognoscendi objecta conditionata. Ratio est. Tùm quia medium cognoscendi pertinet ad esse intelligibile, & intentionale, quod semper se habet ut species, & similitudo rei cognitæ: decreta autem divina propriè & formaliter loquendo, cùm sint de genere volitivo, ad esse intelligibile non spectant; sed illud quodammodo supponunt. Tùm quia volitio necessaria, & volitio libera nullo modo distinguuntur ex parte perfectionis actûs, & utraque est in genere volitivo. Sed volitio necessaria Dei propriè, & formaliter non est medium, in quo Deus cognoscat creaturas possibiles. Ergo neque volitio libera erit medium cognoscendi creaturas existentes, aut futuras. Major, & minor probatione non egent. Consequentia verò probatur. Quia volitio libera, & volitio necessaria se habent in suâ lineâ; sicut scientia necessaria, & scientia visionis, sive libera. Sed ex eo quod scientia libera cognoscat futura, & existentia, scientia necessaria cognoscat possibilia; & è contra. Ergo ex eo quod volitio libera esset medium cognoscendi futura; consequenter volitio necessaria deberet esse medium cognoscendi objecta possibilia: quod quidem à communi, & verâ Theologiâ peregrinum, & valdè alienum est: & idcircò potiùs rejiciendum.

Id probo ex actu necessario divino, qui juxta Thomist. non est medium cognoscendi futura.

255. Tum quia, ut supra notatum est, difficile, & multis salebris implexum est, quid addat actus liber Dei supra necessarium: cùm certum sit, utrumque actum esse eandem perfectionem divinam. Ergo cùm perfectio actûs necessarii Dei, adhuc juxta Thomistas non sit medium cognoscendi futura, & existentia; actus liber Dei solùm poterit esse medium ea cognoscendi ratione illius, quod addit. Ergo eisdem nodis implicatur apud Thomistas quæstio, an Deus in suis decretis futura cognoscat, ac illa, in quo consistat actus liber Dei: cùm ratio istius debeat esse ratio alterius. Ratum ergo, & fixum apud nos sit, decreta absoluta terminativè sumpta solùm esse determinativum tanquam causam futurorum & existentium, ut Deus in suâ divinâ essentiâ, sive in suis *ideis* actu determinatis per decretum, res existentes, & futuras cognoscat: & hæc est, & semper fuit Divi Thomæ sententia. Quo autem pacto volitio, sive decretum liberum sit determinativum, ut Deus cognoscat in essentiâ suâ res existentes, & absolutè futuras; si tempus vacaverit, infra dicetur: pro nunc dicere suppetat, quod sicut volitio libera absque contingentiâ, & mutatione sui est causa rerum contingentium, & mutabilium; sic absque ullâ mutatione determinat divinam essentiam, ejusque ideas, ut repræsentent res existentes, atque futuras. Quæ omnia prænotari debent, ut in hâc, & aliis materiebus Theologicis tricis, quæ plurimùm negotii faceſſunt, facilè, & opportunè expediamur.



LECTIO VI.

Abusus Scientiæ mediæ detegitur ulteriùs ex clarâ, & brevi solutione plurium difficultatum à M. Goneto, & aliis Thomistis propositarum.

QUia necessitas, & summa scientiæ mediæ utilitas ex hactenùs disputatis satis elucescunt; præ inopiâ temporis cursim, & breviter expediam nonnulla argumenta, quæ ex hujus præclarissimæ scientiæ abusu Sapientissimus Gonet pro Illustrissimâ suâ Scholâ contra Jesuiticam efformavit.

Dicit 1. Gonet, scientiam mediam esse Deo inutilē ad nostros salutares actus dirigendos; cum id præstet scientia simplicis intelligētiæ.

256. Sit ergo primum argumentum. Scientia media est inutilis, ut Deus dirigatur in suis decretis absolutis circà hominum salutem, & conversionem. Ergo. Probatur antecedens. Per scientiam simplicis intelligentiæ videt, in Thesauris divinæ omnipotentiæ infinita media latere, sive auxilia efficacissima, & suavissima, quibus potest hominum voluntates potenter, & suaviter ad se pertrahere, quando, & ubi voluerit: Cum Sanctus Augustinus dicat: *Quis enim tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere.* Ergo opus non est, ut Deus per scientiam mediam quærat, & exploret opportunitates temporis, & loci, vel genium, complexionem, aut temperamentum hominis.

Rursùs: quia aliter possibilis esset homo, quem Deus cōvertere, & prædestinare non posset.

257. Confirmatur primò. Quia si Deus scientiâ mediâ directrice disponeret conversionem, & prædestinationem hominum; sequeretur, non repugnare ex parte rei, & Metaphysicè loquendo, quem Deus etiam de potentiâ absolutâ convertere, & prædestinare non posset. Sed hoc est absurdissimum, & repugnat supremo Dei dominio in voluntates creatas. Ergo. Probatur sequela. Ex naturâ rei non repugnat, dari hominem, qui in nullo tempore, & in nullâ occasione, & cum nullis auxiliis ex se non efficacibus velit se convertere; cum talia auxilia nullam dicant connexionem intrinsecam cum ejus conversione, quæ propter eandem rationem semper est contingens: Licèt enim moraliter loquendo, impossibile sit, cum aliquo ex infinitis auxiliis illum non converti; tamen ex naturâ rei non repugnat.

Propterea pro-

258. Confirmatur secundò. Deus non potest hominem prædestinare, nisi per scientiam mediam prævideat eum tali vocationi responsurum, si ponatur in his, & illis circunstantiis; alioquin vel jura libertatis humanæ violaret, vel se exponeret periculo, quod non fieret, quod efficaciter decernit; ut assertores scientiæ mediæ docent. Atqui dabilis est casus, in quo homo in omni occasione, & circunstantiis supponatur resistens; siquidem nec singulæ vocationes, nec omnes collectivè superant resistentiam liberi arbitrii; cum nulla illarum gaudeat, juxta Adversarios, efficaciâ infallibiliter, connexâ cum futuro consensu. Ergo si prædestinatio supponat necessariò directionem scientiæ mediæ, & prævisionem futuri consensus voluntatis humanæ, sequitur, esse casum Metaphysicè saltem possibilem, in quo Deus de potentiâ absolutâ hominem convertere, & prædestinare non posset. movet ulcrà eundē casum.

259. Hæc tamen cum ex falsò præjudicio, & pingui scientiæ mediæ abusu procedant, non erit operosum, uno veluti spiritu difflare. Unde ad argumentum respondeo negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ cognoscit voluntates hominum cum omnibus illis auxiliis indifferentes ad utrumlibet, nego: Per scientiam simplicis intelligentiæ, quâ Deus videt voluntates hominum in essentiâ divinâ, sive in suis idæis in esse objectivo, aut intentionali conjunctas cum suis operationibus liberis determinatè possibilibus, potiùs quàm cum earum oppositis, concedo antecedens. Et sub hâc distinctione verissima sunt S. Augustini verba. Ratio solutionis constat ex dictis in antecedenti Lectione, in quâ duplicem scientiam simplicis intelligentiæ illustravimus: Aliam, quâ cognoscit operationes liberas possibiles possibilitate in causâ; in illis videlicèt idæis, in quibus repræsentantur causæ liberæ cum omnibus auxiliis ut indifferentes ad utrumlibet: Per quam scientiam simplicis intelligentiæ non dirigitur, nec potest dirigi Deus ad certam, & infallibilem conversionem, & prædestinationem hominum: Alteram verò, quâ cognoscit Deus operationes liberas determinatè possibiles potiùs, quàm earum oppositum, in essentiâ divinâ, aut in ejus idæis, prout repræsentant in esse objectivo causas liberas, & omnia earum comprincipia conjuncta cum suis operationibus; talem autem scientiam dicimus esse conditionatam, & mediam; & reduci non ad scientiam visionis; sed ad scientiam simplicis intelligentiæ; eò quòd ante omne decretum actu terminativè attingat veritates liberas determinatè possibiles, sive conditionatè futuras, Ad 1. nego assūptū, & iterū inculco idæarū diversitatē; causarū scilicèt liberarū; & ipsarū actuū cōtingētiū.

turas, ut explicatum fuit in antelapsâ Lectione.

Thesaûri divinæ omnipotentiæ, & divitiarũ sapientiæ Dei comprehenduntur in simplici intelligẽtiâ utroq; modo acceptâ.

260. Ex his duo inferes. Primum est, Thesauros divinæ omnipotentiæ, & altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei non comprehendi in scientiâ simplicis intelligentiæ primo modo sumptâ; sed in eâ utroque modo accepta: Quia sub utrâque ratione certò, & infallibiliter cognoscit Deus determinatè, & clarè omnes veritates, sive quæ pertinent ad causas liberas ex suâ quidditate indifferentes ad utrumlibet; sive quæ pertinent ad earum operationes determinatè possibiles. Secundum est, falsò supponi in ultimo consequenti, Deum per scientiam mediam quærere, & explorare opportunitates temporis, & loci, vel genium, & complexionem hominis. Ratio est. Quia cum Deus independenter ab omni decreto habeat sibi præsentissimam suam essentiam ut infinitè imitabilem, consequenterque idæas omnes, in quibus secundùm esse objectivum, & intentionale repræsentantur operationes, & actus liberi omnes determinatè possibiles in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus possibilibus; non est illi opus quærere, & explorare, & quasi tentare opportunitates temporis, & loci, genium, & hominum complexiones, ut eos certò, & proindè per sua decreta absoluta in viam salutis dirigat, & manuducat: Hæc enim cogitatio est prorsùs ridicula, & indigna Deo; ut patet in scientiâ visionis, quâ, & decretis, Dei absolutis positis, hæc duo componuntur; & quod omnes operationes liberæ sint contingentes in suis causis; & quod certò, & infallibiliter eas cognoscat pro suis temporum differentiis existentes; quin opus sit Deo tentare, & explorare opportunitates, occasiones, genium, & hominum complexiones; eò quòd omnia sibi præsentissima habeat in suâ essentiâ, ejusque idæis determinatis per absoluta decreta: Quod enim dicimus de operationibus determinatè futuris liberis per decretum, potiùs quàm earum oppositum; absque eo, quod per scientiam visionis quidquam Deus tentet, & exploret; id ipsum affirmamus de eisdem operationibus liberis determinatè possibilibus, & conditionatè futuris ante decretum absolutum, ut possit Deus disponere, quidquid velit de illis, quin tentando, & explorando procedat: Quod est proprium intellectûs opinantis, & conjecturaliter solùm cognoscentis.

Ad 2. & 3. respondeo.

261. Hinc ad primam, & secundam confirmationem in formâ distinguo propositionem illam, in quâ objicitur difficultas: Possibilis est casus, saltem Metaphysicè loquendo, quo homo resistat omnibus auxiliis, omnique vocationi in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus, si hujusmodi auxilia, & vocationes comparentur cum causis liberis ex suâ quidditate indifferentibus ad utrumlibet, concedo: Si comparentur cum causis liberis in esse objectivo, & intentionali conjunctis cum suis operationibus determinatè possibilibus, nego. Ratio primi, quam vel ipsi Thomistæ tenentur concedere, est primò. Quia nulla est hominum voluntas, quæ considerata cum omnibus suis comprincipiis in actu primo, non sit proximè libera, proximèque indifferens ad operandum, & non operandum: Aliàs de medio tolleretur libertas, & indifferentia proxima liberi arbitrii. Ergo in quâcumque circunstantia, opportunitate, & occasione possibili nullus est homo, si compos est liberi arbitrii, qui non possit dissentire. Ergo casus ille comparatus cum humanâ voluntate ad utrumlibet indifferenti, etiam Metaphysicè loquendo, non solùm est possibilis respectu unius hominis; sed & ejus possibilitas omnium hominum voluntates transcendit. Secundò. Quia concors est Thomistarum opimo asserentium, propositiones contradictorias de futuris conditionatis contingentibus, non habere determinatam veritatem, nec falsitatem ante decretum liberum Dei. Sed tota eorum ratio est; quia in medio indifferenti ut indifferenti ad utrumlibet, utrumque extremum est contingens, & possibile esse, & non esse. Ergo casus ille comparativè ad voluntatem hominis cum omnibus auxiliis, & in quibuscumque circunstantiis possibilibus, ab omnibus Thomistis est concedendus; aut inevitabilis est eorum inconsequentia.

Implicatorius autem est, si cõparetur eũ causis liberis in esse objectivo cõjunctis cũ suis actibus determinatè possibilibus.

262. Ratio secundi membri distinctionis est primò. Quia Deus in idæis, in quibus comprehensivè cognoscit secundùm esse intentionale, & objectivum voluntates hominum conjunctas cum suis operationibus liberis determinatè possibilibus, certò, & infallibiliter prænoscit volitiones, & nolitiones; consensus, & dissensus; pœnitentiam, & impœnitentiam; conversiones, & non conversiones; resistentiam, & non resistentiam in variis, & diversis circunstantiis, sub infinitis modis, auxiliis, & adminiculis, quæ in illis idæis repræsentantur: Si enim scientiâ visionis Deus certò, & infallibiliter videt homines juxtà varias, & diversas occasiones modò conversos ad ipsum, modò recedentes ab eo; in hâc occasione consentientes, in aliâ dissentientes; sub his circunstantiis divinæ vocationi resistentes, & se nolentes disponere ad justificationis gratiam recipiendam; sub aliis verò ad illam præparari: Quare ergò hæc omnia non cognos-

cognoscit ut determinatè possibilia per scientiam illam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ. Unde casus ille comparatus cum scientiâ illâ naturali conditionatâ, & mediâ, summâ comprehensione videnti causas liberas, & hominum voluntates conjunctas in esse objectivo, & intentionali cum omnibus suis operationibus determinatè possibilibus, in suis idæis; est non solùm moraliter; sed etiam Metaphysicè loquendo prorsùs impossibilis. Secundò. Quia si esset possibilis homo, qui in actu secundo semper sub quibuscumque circunstantiis, auxiliis, & occasionibus determinatè dissentiret, & determinatam operationem eliceret; non esset, unde colligeretur, talem hominem esse liberum ad dissentiendum; sed potiùs necessitate quâdam naturæ dissentire: Sicut dicimus, solem illuminare, & ignem comburere ex suæ naturæ necessitate: Quia hujusmodi causas semper in omni eventu, & occasione cernimus ad unam operationem determinatas. Tertiò. Quia ex ipsâ voluntatis indifferentiâ ad utrumlibet, colligitur esse Metaphysicè impossibile, talem voluntatem liberè non exerceri cum hâc diversitate, & varietate operandi, modò liberè volendo, posteà cum eâdem diversitate nolendo; quin potiùs hæc ipsa varietas, & inconstantia operandi arguit, atque suadet ejus libertatem. Quartò. Quia ex parte divinæ omnipotentiæ, & summæ sapientiæ Dei apparet etiam Metaphysicè impossibile, ei deficere infinitos modos suaviter alliciendi homines in bonum, ut eos dirigat in viam salutis. Quintò. Quia ille casus æquè urget Adversarios, & ab illis est utiquè expediendus. Quia Schola Thomistica universim cum Divo Thomâ edocet, conversionem illius, & cujuscumque hominis esse contingentem in causâ, & in eâ possibilem esse, & non esse in quibuscumque circunstantiis, & sub quibuscumque auxiliis. Ergo quærendus est à Thomistis modus in eâ, quo casus ille vitetur, & absurdum nobis oppositum.

Nec valet illis favere recursus ad physicam præmotionem.

263. Dices, optimè vitari per efficaciam physicæ præmotionis essentialiter cum conversione connexam, quam Deus suo efficaci decreto prædeterminat. Verùm hîc non est immorandum; cum toto Opusculo præjacto hujusmodi præmotionem essentialiter, & ex naturâ suâ connexam cum actu libero, ut inimicam, & totius humanæ libertatis everfivam, multis rejecerim. Præterea. Quia adhuc eâ suppositâ, non exolvitur casus difficultas. Tum quia in sententiâ Thomistarum sicut hujusmodi prædeterminatio non tollit libertatem, sic nec tollit; conversionem illius hominis esse contingentem, & in suâ causâ possibilem esse, & non esse. Ergo comparativè ad illam dabilis est ille casus in quâcumque occasione, & sub quibuscumque auxiliis, etiam physicæ præmotionis: præsertim cum Thomistæ suadere conentur, voluntatem adhuc sub prædeterminatione, & cum illâ conjunctam, esse liberam, & ejus conversionem in illâ contingentem, atque esse, & non esse possibilem. Tum etiam quia ex physicâ illâ præmotione redditur planè inutilis scientia Thomistarum conditionata in illis absolutis ex parte Dei, & ex parte objecti conditionatis fundata decretis. Rem ostendo. Quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ prævidit possibilem physicam illam prædeterminationem, sub quâ pœnitentia Tyriorum conditionata cognoscitur, aut revelatur conditionatè futura. Ergo scientiâ simplicis intelligentiæ prænovit illius quidditatem, atque naturam. Sed quidditas, & naturalis conditio illius, est, esse infallibiliter connexam cum pœnitentia Tyriorum determinatè possibili potiùs, quàm cum eorum dissensu. Ergo hanc infallibilem, & essentialem connexionem prævidit.

Probo nùc inutilem conditionatâ scientiam decreto posteriorem.

264. Tunc sic. Ergo ad cognoscendam pœnitentiam Tyriorum conditionatè futuram, *inutilis* est scientia conditionata posterior decreto, & in ipso fundata. Probatur consequentia. Quia Deus scientiâ simplicis intelligentiæ prævidit, ignem A in tali occasione, & circunstantiis applicatum stupæ, possibiliter comburentem; inutilis, & supervacanea est scientia conditionata, ut Deus cognoscat hanc veritatem: *Si ignis A in tali occasione applicetur, aut applicatus fuisset stupæ, combustio ignis A erit, aut fuisset sub tali conditione*: Non aliâ ratione, nisi quia ignis A stupæ applicatus, habet infallibilem, & determinatam connexionem cum tali combustione. Sed physica illa præmotio habet essentialem, & infallibilem connexionem cum pœnitentiâ Tyriorum in illis circunstantiis potiùs, quàm cum eorum impœnitentiâ. Ergo physicæ illæ Thomistarum præmotiones convincunt *inutilitatem* scientiæ conditionatæ posterioris decreto, & in eo fundatæ. Consequentia verò subillata ad probationem minoris subsumptæ, constat. Quis enim Deum consideret occupatum in his formandis decretis: *Volo, ut si sol oriatur, luceat, & dies fit; si ignis applicetur stupæ, eam comburat*: Nec aliâ viâ posse cognoscere hujusmodi veritates conditionatas? Præsertim cum ex Divo Thomâ ostensum sit suprà, Deum nullum objectum comparativè ad suum actum cognoscere ut futurum, nec modo conditionato; idemque esse, Deum certò, & infallibiliter præscire actus liberos, & con-

tingentes ut determinatè possibiles potiùs, quàm eorum oppositos per scientiam conditionatam, & mediam simplicis intelligentiæ, ac certo cognoscere veritates, quas nos formamus de eisdem actibus, ut conditionatè futuras. Relinquitur ergo, ex abusu scientiæ mediæ non satis intellectæ, ejus inutilitatem à Magistro Gonet, ab aliisque ejus Scholæ Doctoribus nobis opponi.

Dixit 2. ex nostrâ seriè sèpè tiâ sequi, injustam fore increpationem Judæorum ex Tyriorũ cõparatione.

265. Sit secundum. Ex scientiâ mediâ sequitur idem absurdum, quod nostri Doctores objiciunt contra scientiam conditionatam Thomistarum ex illo loco Mathæi 11. *Væ tibi, Corozain*, &c. sive ex comparatione Judæorum cum Tyriis. Nostrorum ergo ratiocinium sic efformatur. Ideo Tyrii, & Sydonii in sententiâ Thomistarum, si factæ fuissent virtutes, &c. Certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent, quia ad eorum pœnitentiam fuisset decretum prædeterminans, & voluntas Dei efficax conferens physicam præmotionem infallibiliter cum eorum conversione connexam. Sed circà Judæos in circunstantiis illarum virtutum, & signorum Deus habuisset decretum prædeterminans, voluntatemque efficacem, vi cujus illis physicam præmotionem conferret essentialiter, & infallibiliter connexam cum eorum conversione, Judæi certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent. Ergo ex comparatione Tyriorum injustè increparentur, quod illam non egerint; cum possent respondere: Domine, infunde cordibus nostris illam physicam præmotionem ex voluntate prædeterminante, & efficaci, & certò ad te convertemur. Tunc sic. Sed hæc eadem Judæorum excusatio sequitur ex scientiâ mediâ. Ergo. Probatur minor. Quia ideò Tyrii, & Sydonii, si factæ fuissent illæ virtutes, certò, & infallibiliter pœnitentiam egissent, quia illis factæ fuissent, essentque auxilia collata ex scientiâ mediâ, quæ prænovit, Tyrios, & Sydonios cum illis virtutibus, & auxiliis convertendos. Sed etiam Judæi conversi fuissent, si eæ virtutes, eaque auxilia fuissent ex scientiâ mediâ collata, & in occasione, quâ prævidisset sub illis Judæorum conversionem. Ergo pari modo excusabiles forent Judæi ex illâ Tyriorum comparatione.

Id rotũdè nego, & inefficaciam retortionis pluribus ostendo.

266. Verùm huic Adversariorum argumento, quod putant pari difficultate retorqueri in nostram sententiam, plenissimè satisfaciunt nostri Doctores, præsertim pius juxtà, ac Sapientissimus Pater Joannes Gisbert tomo 2. art. 3. de scientiâ conditionatâ, §. 2. à num. 2. Respondeo igitur negando, eandem excusationem sequi ex scientiâ mediâ. Primò. Quia objurgatio Christi Domini adversùs Judæos justissimè procedebat, eò quòd cum eisdem virtutibus, & signis Tyrii, & Sydonii in actu secundo pœnitentiam egissent; ut patet ex sacro textu; quam non egere Judæi: Quando ergo eisdem donis divinæ gratiæ, quibus rectè uterentur Tyrii, abutuntur Judæi increduli, meritò isti præ illis objurgantur. Jam verò cum in sententiâ Societatis virtutes, & signa facta, & reliqua auxilia tam in Judæis, quàm in Tyriis, his strenuè, & benè operantibus sub illorum conditione, meritò reprehenduntur Judæi, purificatâ eâdem cognitione cum eisdem virtutibus, & æquali divinæ gratiæ auxilio, iniquè agentes: Secus autem in sententiâ Thomistarum, qui ad illam Tyriorum conversionem requirunt gratiam physicæ præmotionis essentialiter connexam cum Tyri, & Sydonis pœnitentiâ; quam negant collatam fuisse Judæis; ex quo fit, justam fore in hâc sententiâ excusationem Judæorum propter inæqualitatem gratiæ omninò requisitæ ad operandum.

Dèndo quia Chr. Domini objurgatio non processit ex comparatione potentiæ ad potentiam; sed actûs ad actum.

267. Secundò. Quia licèt Thomistica Schola satis difficilè asserat, gratiam physicæ prædeterminationis non esse necessariam ad posse operari; nihilominùs constanter asserit, eam esse ita necessariam ad actualem pœnitentiam, ut hæc sit chymærica, & impossibilis sine tali gratiâ prædeterminante. Sed objurgatio Christi Domini exemplo Tyriorum contra obstinationem Judæorum, non processit comparando potentiam operandi, & non operandi Tyriorum cum liberâ Judæorum potentiâ; sed actum cum actu comparando; videlicèt pœnitentiam illorum cum istorum impœnitentiâ: Ait enim expresè Christus Dominus, quod Tyrii pœnitentiam egissent; cujus verba actum manifestè declarant, & non potentiam. Ergo ut objurgatio Christi Domini justè afficeret Judæos, eò quòd actualem pœnitentiam non agebant sub illis virtutibus, quibus illam egissent Tyrii, & Sydonii; opus erat, Deum contulisse Judæis gratiam physicæ prædeterminationis, ut agerent pœnitentiam; quam, ut Thomistæ asserunt, contulisset Judæis, ut illam egissent.

Inde utgeo efficaciter Thomistas.

268. Urgeo, & quidem efficaciter. Quia Christus Dominus non reprehendit Judæos, quia isti poterant pœnitentiam agere; sed quia actu illam non agebant, sicut Tyrii, & Sydonii eam actu egissent. Ergo justissimè expostulabat à Judæis actualem pœnitentiam. Sed actualis pœnitentia, & conversio Tyriorum sine physicâ illâ prædeterminatione actualiter existente, & præmovente voluntatem Judæorum, erat

erat chymærica, & impossibilis; ut Thomistæ uno ore fatentur. Ergo Christus Dominus petebat à Judæis pœnitentiam chymæricam, & impossibilem. Justè igitur Judæi in querelas effusi, dicerent: Domine, quid mirùm, quod Tyrii pœnitentiam actu egissent, si Deus illis contulisset physicam præmotionem, quâ illam agerent, & sine quâ non egissent? Da nobis physicam præmotionem, & similiter certò ad te convertemur; sine quâ conversio nostra actu est impossibilis: Si ergo Deus eam nobis non infundit; sed potiùs denegat; quò tua objurgatio; cum à nobis exigas actualem pœnitentiam sine physicâ præmotione impossibilem prorsùs, atque chymæricam?

Ut Deus sufficientia, & necessaria hominibus auxilia cõferat per accidens est scientia prævidẽs eorũ bonũ usum, vel abusũ.

269. Tertiò. Quia dummodò Deus conferat auxilia sufficientia, & necessaria, quibus homines non solùm possint operari; sed actu benè operentur; si velint; ad laudem rectè operantium, justamque objurgationem, & supplicium iniquè agentium; per accidens est, talia media, ac auxilia conferri ex certâ scientiâ, quâ prævidit in his hominibus ex eorum abusu non habitura effectum; in aliis verò divinis donis benè utentibus, effectum conversionis, aut rectæ operationis fortitura. Quod est valde notandum, & multis suaderi potest. Primò. Quia auxilia divinæ gratiæ ex partè Dei quibusdam conferri ex certâ scientiâ conditionatâ, sive mediâ; imò & ex affectu speciali, sive præfinitione efficaci bonorum operum; aliis verò ex prævisione conditionatâ de auxiliorum abusu; hoc pertinet ad altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; & ut humili veneratione dignoscamus, quàm incomprehensibilia sint judicia Dei; non verò ad rectum, vel pravum auxiliorum usum ex parte hominum; ita, ut scientia, & voluntas Dei sint principia intrinseca voluntatis humanæ. Prima pars ostenditur. Tum quia ita clamant scripturæ: Apostolus ad Roman. 9. *Ergo cujus vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. Dices itaque mihi, quid adhuc quæritur? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Ad quem locum Divus Thomas Opusc. 63. num. 50. sic ait: *Item licèt teste Apostolo, incomprehensibilia modò sunt judicia Dei de damnandis, & investigabiles viæ ejus de salvandis; ibi tamen* (scilicèt in Patria) *comprehendet anima, quod universæ viæ Domini fuerunt misericordia, & veritas ..... O quàm occulta sunt in præsenti divina judicia! Quis enim investigare potest, cum dixerit Dominus*: Jacob dilexi, & Esau odi habui; *antequàm nati essent, quod vitium detestaretur in Esau, & quam virtutem diligeret in Jacob; cum nullum judicet; nisi secundùm præsentem justitiam? Similiter cum duo pueri portantur ad baptismum; unus natus de fideli moritur ante baptismum, descendens in limbum; alter natus de infideli, post baptismum moriens, evolat ad Cœlum. Similiter quarè Judam finaliter cadere, permisit, & nullum alium Apostolorum*, &c. Hæc enim inscrutabilia Dei judicia cum ad investigabiles divinæ scientiæ, & voluntatis divinæ vias spectent, nec liberum modum operandi voluntatis immutent; nec tollunt, ut ait S. Ambrosius lib. 2. commentar. Lucæ cap. 2. *Quin justorum, iniquorumque merita discernat, & pro nostrorum qualitate factorum judex verus, & justus aut supplicia decernat, aut præmia.*

Nõ autem spectare ad rectũ, vel pravũ auxiliorũ usũ; ita, ut scientia, & volũtatis Dei sint principia intrinseca volũtatis humanæ; probatur ex 2. Petri cap. 1.

270. Secunda illius rationis pars ostenditur. Tum quia in nostrâ sententiâ cum impii habeant intrinsecè ex parte suæ voluntatis media, & auxilia omnia necessaria, seclusâ ineluctabili illâ physicâ præmotione, quibus non solùm possint bene operari, & disponi ad gratiam justificationis; sed etiam quibus actu benè operentur, & ad eam, quantum est in se, disponantur, si velint, & nisi eis resistant, & actu malè operentur. Tum quia verba Divi Petri epist. 2. cap. 1. veritatem hujus Theologiæ luculenter demonstrant; dum sic omnes exhortatur, ibi: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis; hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Ex quibus sic arguo primò. Certum est, Apostolorum Principem ut Vicarium Christi Domini, & totius Ecclesiæ Magistrum, hanc verissimam Theologiam minimè ignorasse; nimirùm Deum ex inscrutabili suæ bonitatis, & misericordiæ judicio plures homines præ aliis speciali affectu diligere; idque oriri ex certitudine suæ præscientiæ, & speciali voluntate, indubitabile est. Sed his non obstantibus, absque personarum discrimine omnes homines hortatur, ut suam vocationem per sua bona opera certam faciant; non enim dixit: *Satagite, ut positis certam vestram vocationem facere*; sed potiùs ut in actu secundo, quam vocationem certam faciatis. Ergo ex verbis Beatissimi Petri hæc duo conciliare, necesse est; quod omnes homines habeant à Deo media, & auxilia gratiæ necessaria, non solùm ut suam vocationem certam possint facere; sed ut illam in actu secundo certam faciant.

Ex 1. sequitur, nullũ hominem posse justè excusari.

271. Tum sic. Sed ex primo sequitur, quod nullus hominum possit justè, & legitimè excusari, si suam vocationem certam non efficiat; quidquid sit de certitudine scientiæ, & speciali voluntate Dei; cum jure ab illo exigat Deus, ut actu benè operetur, beneque divinis utatur auxiliis,

xiliis, & donis divinæ gratiæ, quæ ei intrinsecè confert, non solùm ut possit honestè operari, sed etiam ut actu honestè operetur, si velit. Ergo si malè operetur, non potest justè excusari ex eo, quod ea dona non ei contulerit ex certâ scientiâ, aut speciali voluntate rectæ operationis: nam certitudo divinæ scientiæ, & specialis voluntas sicut nullam necessitatem imponunt humanæ voluntati ad operandum; sic nec ejus libertatem minuunt, nec benè operandi obligationem tollunt. Relinquitur ergo inexcusabiles reddi Judæos, eo quod illas virtutes eis non fecerit, nec signa ediderit ex infallibilitate, & certitudine scientiæ mediæ, sive conditionatè ut à nostris Doctoribus constanter propugnatur.

Ex 2. autē evidenter infertur, vel Deum omnibus hominibus Thomisticam præmotionem cōferre, vel eam non esse necessariam, ut actu benè operetur,

272. Ex secundo verò sequitur, vel Deum conferre omnibus hominibus physicam gratiæ præmotionem essentialiter connexam cum bonis operibus, & eorum conversione; aut physicam præmotionem non esse eis necessariam, ut actu benè operentur. Sequelam negant Thomistæ quoad utramque partem; eam tamen utrimque sic ostendo, Primò. Quia homines per bona opera certam facere suam vocationem; est ipsos actu rectè, & honestè operari. Sed Divus Petrus omnes hortatur, ut per bona opera certam suam vocationem faciant. Ergo omnes homines habent auxilia necessaria, quibus actu benè operentur, & per bona opera certam suam vocationem faciant. Tum sic. Sed juxta Thomisticæ Scholæ principia, homines, actu benè operari, & actu per bona opera certam suam vocationem facere, absque illâ physicâ prædeterminatione humanæ impressâ voluntati, est Chymæricum, & impossibile. Ergo aut omnes homines habent à Deo physicam præmotionem; aut eos Divus Petrus accendit, & hortatur ad rem chymæricam, & impossibilem. Secunda pars probatur. Quia exhortatio Divi Petri, ut omnes homines actu rectè operentur, & per sua bona opera suam vocationem actu efficiant; supponit in omnibus hominibus media & auxilia necessaria, quibus rectè operentur, certamque suam vocationem faciant; aliàs exhortatio Sancti Petri inutilis esset, ut ex ipsis terminis constat. Sed ex Thomistarum principiis non potest supponi in omnibus hominibus physica præmotio: aliàs omnes homines actu benè operarentur, actuque suam operationem certam facerent, cùm præmotio collata ad illam, sit infallibiliter, essentialiter, & metaphysicè cum illa connexa. Ergo signum est, physicam illam præmotionem non esse necessariam, ut homines rectè, & benè operentur.

Deindè ar guo ex ilâ antecedē-

273. Quartò. Quia, ut constat ex textu Sancti Pauli, quem supra cum Divo Thomâ expendimus. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quam voluntatem antecedentem ex parte Dei esse sanam, & ex infinitâ suâ bonitate procedere, negari non potest. Ergo vi talis voluntatis antecedentis omnibus hominibus præparat & confert media, & auxilia necessaria, quibus, si velint, & per ipsos non stet, omnes homines actu salvi fiant, & ad agnitionem veritatis actu deveniant. Patet consequentia. Quia, ut constat ex verbis Apostoli, voluntas illa Dei non dirigitur ad potentiam, sed ad actum: non enim voluit, omnes homines posse salvari, sed salvos fieri; nec posse venire ad fidem, & veritatis agnitionem; sed ut actu deveniant. Tum sic. Sed Deus vi talis voluntatis antecedentis non præparat, nec confert omnibus hominibus physicam illam præmotionem; ut vel ipsi Thomistæ concederetenentur. Ergo physica præmotio essentialiter & metaphysicè connexa cum honestâ & bonâ operatione, non est necessaria, ut homines rectè, & honestè actu operentur, neque ut actu salvi fiant; neque ut actu credant. & ad cognitionem veritatis deveniant. Quod quidem ipsâ doctrinâ Magistri Angelici roboratur, ut constat ex suprà datâ authoritate, in quâ Sanctus Doctor expresè docet, vi talis voluntatis antecedētis præparari à Deo omnibus hominibus auxilia necessaria, ut si velint, salvi fiant. Ex quibus, & aliis, à quibus temporis penuriâ cogit abstinere, & quæ latè prosequuntur nostri Doctores, facilè constat, latissimum esse discrimen inter certitudinem scientiæ mediæ, & physicam præmotionem vi decreti prædeterminantis, humanæ voluntati impressam, ita ut excusatio Judæorum ex defectu illius, cùm eam Tyriis, & Sydoniis Deus contulisset, in nostram sententiam nequeat ullatenùs retorqueri.

[1] Dei voluntate, ut homines omnes salvi fiant.

274. Hinc ut varia absurda, quæ ex scientiâ mediâ infert Gonet, & absque ullo negotio expediamus, eaque ex abusu talis scientiæ ortum & causam duxisse, demonstremus. Sequentes illationes oportet observari. Prima est, minimè sequi ex scientia media Deum moveri ex meritis conditionatis ad conferendam gratiam, aliaque dona electis & prædestinatis ab ipso, nec ad inferenda supplicia impiis & peccatoribus; nec initium justificationis ex operibus conditionatè futuris aliquo modo sumi. Ratio est clarissima. Quia opera conditionatè futura vel considerantur secundùm esse objectivum, & intelligibile, quod habent in divinâ essentiâ, aut in suis idæis; vel quatenùs simplici quâdam intelligentiâ cognoscuntur in illo medio secundùm eorum quidditatem atque naturam? Si primum: talia merita sunt ipse Deus: quia creaturæ secundùm esse, quod habent in divinâ essentiâ, nihil aliud sunt, quàm expressa, & substantialis similitudo earum; sicut Petrus secundùm

Nō sequitur ex scientiâ mediâ, Deum moveri ad conferendam gratiam ex meritis conditionatis, nec ad inferēda supplicia, &c.

secundùm esse, quod habet in imagine, sive specie speculi, non est propriè homo; sed similitudo accidentalis, & intentionalis hominis: cùm ergo in hoc sensu opera & merita conditionatè futura non sint operationes humanæ propriè, sed solùm similitudines, & ideæ humanorum actuum, non potest moveri Deus ex illis tanquam ex meritis ad conferendum præmium gratiæ & gloriæ: sicut Rex si haberet sibi præsentem similitudinem & imaginem alicujus pugnæ, & victoriæ suorum ducum & militum; antequam isti reipsâ & secundùm propriam naturam pugnarent, & triumphum reportarent, non moveretur ex gestis, pugnâ, & victoriâ solùm per imaginem, & similitudinem cognitis, tanquam ex merito ad conferenda præmia ducibus, atque militibus: cùm similitudo gestorum, pugnæ & victoriæ nec sit meritum, nec militibus possit tribui in laudem & proprium obsequium.

Si 2. non habet esse reale, & in propriâ naturâ, & sic nec possunt mov re ut merita vel demerita.

275. Si verò secundum dicatur: cum talia merita, & operationes conditionatè futuræ considerentur secundùm suam quidditatem absque ullo esse, sive existentia nec in propriâ naturâ, nec in Deo; certò certiùs est non posse tanquam meritum, & obsequium movere. Tum quia quod nullum habet esse creatum, non potest esse creaturæ meritum movens ad conferendum aliquid non solùm ut præmium; sed nec sub alio titulo dispositionis, &c. Tum quia exemplo speculi suprà adducto hujus doctrinæ veritas evidenter convincitur. Finge casum, & quidem satis divinæ Omnipotentiæ possibilem; quod scilicet species intentionales aliquorum hominum, ut Antichristi, & aliorum, antequam hi existant in suâ propriâ naturâ imprimat alicui speculo materiali eo ordine, quod eorum vitam, bonas & malas actiones quæ absolutè pro suis temporum differentiis futuræ sunt, nobis clarissimè repræsentent. In hoc igitur casu peccata, & abominationes Antichristi cerneres, videres aliorum hominum laudabiles, honestasque actiones, victorias Martyrum, qui futuris temporibus in suâ propriâ naturâ existentes, profuso pro fide sanguine, præclaris meritis comparabunt. Omnia igitur hæc in illis speculi speciebus tanquam in medio earum actionum, peccatorum & meritorum expressivo, absque dubio vel ipsis oculis præviderentur: quin de possibilitate casûs dubitari possit, si mentem convertas ad revelationes, Prophetias, Apocalypseos arcana, & alia id generis, in quibus res, & operationes hominum futuræ virtute divinâ per quædam exemplaria, & veluti similitudines, antequam existant in suâ propriâ naturâ prænuncian-tur. His ita.

Inde Gonetũ consulo, & efficacissimè impugno.

276. Consulo Sapientissimum Gonet, primò, an Deus ex pravis & indignis operibus Antichristi, quæ modo dicto in speciebus speculi repræsentantur, moveatur ad re-probationem Antichristi, ei infligendo supplicia? Secundò. An item honestis operibus, martyrio, aliisque bonis actionibus Virorum Illustrium, quæ similiter in aliis speculi repræsentantur, & à nobis videntur; Deus excitetur, & moveatur tanquam ex meritis ad conferendam gratiam & gloriam, & alia auxilia illis hominibus, in propriâ suâ naturâ posteâ extituris, aut existentibus? Quid hîc Gonet, Vir quidem inter Thomistas pietate & doctrinâ præditus? Certè quocumque vertat suæ Theologiæ clypeum, respondere tenetur, Deum, Maximum & Justũ neque ex oparibus Antichristi tanquam ex demeritis, neque ex martyrio, aliisque Virorum Illustrium honestis actionibus tanquam ex meritis objectivè in similitudine suarum specierum repræsentatis, fore ullo modo movendum, nec ad infligendum supplicium Antichristo in propriâ suâ naturâ existenti, nec ex operibus, martyrio, & honestis aliis actionibus in eis speciebus similiter repræsentatis, fore excitandum, ut conferret gratiam, gloriam, vel quodlibet aliud præmium etiam naturale Illustribus illis Viris, secundùm esse physicum, & proprium suæ naturæ existentibus. Cujus evidentissima ratio omnibus in cõfesso debet esse, tum quia peccata Antichristi sic in illis speculi speciebus intentionaliter visa & repræsentata, non sunt propriè demerita, & peccata; sed solùm impropriè & per similitudinem: sicut & ipse Antichristus in suâ specie repræsentatus & visus, non esset homo propriè; sed solùm impropriè & per similitudinem homo. Similiter martyrium; & bona illa opera reliquorum hominum non essent propriæ actiones honestæ, nec propriè merita; sed solùm impropriè, & per similitudinem. Ex demeritis igitur non propriis; sed solùm in repræsentando, & per similitudinem, justissimus Judex moveri non potest ad veram, & propriam pœnam infligendam Antichristo, nec aliis hominibus in suâ propriâ naturâ existentibus: nec in bonis operibus, sive meritis impropriè, & per solam repræsentationem, potest rectissimus suorum donorum dispensator Dominus induci ad vera, & propria suæ gratiæ dona conferenda. Tum etiam quia illa sive demerita, sive merita, quæ in illis speciebus speculi repræsentantur per similitudinem, nec essent libera, nec imputabilia ad laudem, & vituperium hominibus, adhuc in propriâ suâ naturâ non existentibus. Ergo propter illa Deus nec punire posset, nec præmio afficere.

Discursum elevo ad illud divinum speculũ idæale exprimens omnia bona

277. Ex his opus jam est, arrigat aures eruditus Gonet, & mentem nobiscum ad illas divinæ essentiæ idæas cum Magistro Angelico, & Magno Augustino elevet. Igitur absque ullâ oppositæ partis formidine pronuntiamus, Deum ante omne decretum prænoscere in suis idæis omnes liberas operationes

justorum, & pessima impiorū opera.

tiones, omniaque bona Justorum opera, etiam antequam isti existant; & quidem longè perfectiori modo, ac res nondum existentes in prædictis speciebus speculi præviderentur: quia tamen illi actus liberi non sunt propriè actiones humanæ, nec propriè merita: sed solùm impropriè, & per similitudinem, non potest Deus moveri ex illis tanquam ex meritis ad conferendum hominibus gratiam, nec ullum aliud præmium verum & reale, dum existunt in propriâ existentiâ. Jam verò cùm ex dictis. & suprà probatis constat, scientiam illam, quâ Deus præscivit illas operationes, sive bona opera determinatè possibilia, sive conditionatè futura, esse scientiam conditionatam, & mediam; manifestè colligitur, & concluditur, ex scientiâ mediâ minimè sequi absurda illa, quæ expingui ejus abusu nobis imputat Gonet; Deum scilicet moveri ex meritis conditionatis ad conferendam gratiam hominibus, ac proindè nostræ justificationis initium non à Deo; sed à nostris operibus conditionatè futuris derivari.

Sententia nostra infinitè distat à Pelagianis & Semipelagianis.

278. Unde colliges primò nostram de scientiâ mediâ sententiam non solùm procul abesse ab omni Pelagianismi, & Semipelagianismi suspicione, ut ex eâ potiùs, & ex doctrinâ pro illius illustratione nuper datâ, Sectariorum errores solidissimè convellantur. Colliges secundò D. Augustinum, & Angelicum Thomam pro scientiâ conditionatâ & mediâ reipsâ stetisse; licet verum sit, talia nomina eis usui non fuisse. Quare præclara hæc sanioris Theologiæ lumina solùm certarunt, acriterque invaluerunt contra talis scieniiæ abusum. Primum ostenditur ex S. Augustino lib. de corrept. & grat. cap. 8. loquente de his, qui non sunt rapti à Deo, ne malitia mutaret intellectum: Ibi: *Respondeant, si possunt* (scilicet Pelagiani) *cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum; utrum hoc in potestate nō habuit; an eorum malæ futura nescivit? Nempè nihil horum, nisi perversissimè, & insanissimè dicitur*, Sic S. Doctor apud Gonetum disp. 5. de scientiâ conditionatorum. art. 1. §. 1. Ex quibus discursus iste producitur. *Insanissimè dicitur*, Deum non potuisse rapere plures homines, dum piè & fideliter vivebant, antequam malitia mutaret eorum intellectum. Ergo liberum fuit Deo velle eos rapere ante illud tempus, & occasiones, in quibus prævidebantur peccaturi. Ergo ante omne decretum prævidit Deus eorum peccata conditionatè futura. Probatur hæc consequentia. Quia in eo signo, in quo Augustinus asserit, Deum habuisse potestatem rapiendi homines, dum piè vivebant, antequam peccarent, non erat decretum actu terminativè subjectivè ex parte Dei; sed solùm volendi potestas. Sed in eo signo prævidit Deus certò & infallibiliter eos homines, si diu viverent, & ante non raperentur, peccaturos. Ergo in illo signo ante omne decretum habuit scientiam de illis peccatis determinatè passibilibus, & conditionatè futuris. Major constat. Quia in eo signo, in quo consideratur Deus potens rapere, & non rapere eos homines, antequam fictio deciperet animas eorum, nec erat volitio, nec nolitio rapiendi tales homines. Minor probatur. Quia aliter potuisset Deus velle, quod in illo signo nesciebat: quod quidem perversissimè & insanissimè diceretur, ut constat ex illis Augustini verbis: *An eorum mala futura nescivit?* Quod quidem de futuris conditionatis, & determinatè passibilibus intelligi debet: cùm vel ipsi Thomistæ asserant, peccata absolutè futura nō cognosci, nisi post Dei decretum absolutum & efficax.

Aliud Augustini testimonium lib. de bono perseverant. cap. 9.

279. Secundum verò ex eodem Augustino in lib. de bono perseverantiæ, cap. 9. facilè probatur; ibi enim sic altè pronunciat: *Si etiam secundùm facta, quæ facturi essent, si viverent, mortui judicantur, profectò qui fideles futuri erant* (Tyri nimirùm & Sidonii) *si eu cum tantis miraculis esset prædicatum Evangelium, non sunt utiq; puniendi: punientur autem: falsum est igitur, secundùm ea mortuos judicari, quæ facturi essent, si ad viventes Evangelium perveniret.* Constat ergo, neque homines esse puniendos propter peccata, quæ sub conditione fuissent, nec remunerandos propter bona opera conditionatè futura: solùmque aperto marte pugnasse Magnum Augustinum contra abusum scientiæ mediæ, & conditionatæ: non verò contra ipsam scientiam: cùm scientia conditionata nonnisi perversissimè, & insanissimè possit negari Deo Opt. Max. ut ex illius verbis clarè constat.

Cum Augustino & Thomâ sentio, electorum prædestinationem non fuisse in Deo ante merita absolutè prævisa.

280. Dices, ex præjactâ doctrinâ sequi, prædestinationem electorum ad gloriam non fuisse in Deo ante merita absolutè prævisa. Fateor, id sequi, & hanc fuisse sententiam Sanctorum Augustini & Thomæ: qui distinguens voluntatem Dei antecedentem, quâ vult omnes homines salvos fieri; & voluntatem consequentem, quâ justos ad gloriam elegit, malos autem reprobavit, & destinavit ad pœnam: non aliam rationem assignavit, nisi quia æquum, & rationi consonum est, bene operantes præmiari; sicut & malè agentes suppliciis affici. Sed antequam pro suâ differentiâ temporis existant opera bona & mala, homines nec benè, nec malè agunt. Ergo antequam bona & mala opera existant, nec illos remunerari æquum est, nec justum istos ad pœnam per definitivam destinari sententiam. Rursùs, ut dictum est, merita, aut demerita, antequam à Deo pro suis temporum differentiis prævideantur existere, licet certissimè cognoscantur à Deo, non tamen cognoscuntur ut propriè merita, nec ut propriè demerita, nec ut propriè libera, & propriè hominibus

hominibus imputabilia ; sed solùm ut merita, & demerita per similitudinem. Sed rectissimus judex non potest ex delicto non cognito in propriâ naturâ ; sed solùm objectivè, & per similitudinem apprehenso, rationabiliter moveri ad ferendam veri supplicii sententiam : Nec bonus remunerator ex obsequiis, & meritis impropriis ; & per similitudinem obligari, aut moveri ad vera præmia largienda. Ergo. Hæc enim cursim, & brevi calamo dixerim, mentem aperuisse sufficiat, ut constet de consequentiâ, & connexione doctrinæ.

LECTIO VII.

Aliâ M. Goneti dissolvitur argumentum adversùs Concordiam gratiæ efficacis, & liberi arbitrii cum Scientiâ Mediâ.

TAngitur perdoctus hic Author frequenti impugnandi scientiam mediam pruritu ; & quia certitudo, & existentia ejus ante omne actuale decretum ex parte Dei, à nostris Doctoribus potissimum commendatur ; ex hoc maximè, quod viam sternit ad facilè expediendas difficultates, quæ in Scholis frequenter occurrunt tum inter Catholicos, tum adversùs hæreticos, circa efficaciam divinæ voluntatis, scientiæ, gratiæ, & liberi arbitrii ; in eum scopum suæ Theologiæ clypeum intendit, ut probet, scientiam mediam derogare omnipotentiæ divinæ, & efficaciæ divinæ gratiæ. Videatur ille disputat. 6. de scientiâ mediâ, artic. 6. §. 6.

Opponit Gonet, scientiam mediam divinæ omnipotentiæ derogare, & gratiæ efficaciam tollere ; & nos cum Semipelagianis sentire.

281. Opponit enim primò. Quia consensus non ponitur à scientiâ mediâ, nec prævidetur ab illâ ut proveniens à determinatione gratiæ infallibiliter agentis, & inclinantis ad illum ; sed ponitur ut determinans ipsam gratiam, quæ de se indifferens est, & per consensum à libertate ortum, non à Deo præfinitum, & prædestinatum auxilium ipsum determinatur, & redditur efficax. Ergo non prævidetur consensus ut ab omnipotentiâ Dei, ejusque gratiâ ; sed sub illo adjutorio illi absoluto à libertate enascens, sicut olim asserebant Semipelagiani. Ergo scientia media derogat omnipotentiæ divinæ, & tollit efficaciam gratiæ. Probat assumptum ex verbis Fulgentii de Incarnat. & gratiâ, cap. 29. ibi : *Quomodò Deus omnia, quæ vult, facit, si volens hominem salvum fieri ; cujus salus non nisi à bonâ incipit voluntate, ipsum velle non in homine inchoat ; sed ut ab homine nascatur, expectat ? O quàm pessimum nefas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur ; & homines opera Dei se in bonum mutari negant..... ut Deus, qui creator est hominis, valeat hominem facere non mutare ; & qui nullius eget adjutorio, ut hominem faciat ; operari tamen, quod vult, in hominis voluntate non possit, priusquàm in homine ipsum velle reperiret !* Hanc, inquit, *amentiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus.* Ita ibi. Sed hæc omnia sequuntur ex scientiâ mediâ ; & per physicam divinæ gratiæ prædeterminationem intrinsecè, & essentialiter connexam rectè componitur, quomodò Deus inchoet in voluntate bonum consensum. Ergo.

Aliâ duplicatione nos conatur impetere.

282. Opponit secundò. Quia cum omnis causa, præsertim prima, debeat esse prior saltem naturâ, & causalitate effectu, tantùm abest, quod sit impossibile, Deum causare liberum nostrum consensum per aliquid illum ex suâ naturâ inevitabiliter prædeterminans, quin potiùs contradictionem implicet, quin aliter liberum consensum causet, ac efficiat. Tertiò. Quia suppositâ scientiâ mediâ, v. g. de conversione Petri futurâ, si ponatur in his, & illis circunstantiis ; vel potest, stantibus illis conditionibus, divina voluntas velle oppositum, vel non potest id velle ? *Si primum* : Illa scientia non erit infallibilis : Si verò positâ illâ conditione, & cognitâ per scientiam mediam determinatione voluntatis Petri conditionatè futurâ, Deus non possit oppositum velle pro illo statu conditionato, diminuta est omnipotentia, & libertas divinæ voluntatis circà tale objectum, & circà omnes alias combinationes liberas conditionatas ; & aliquid est liberum, & possibile voluntati creatæ, quod non est possibile, nec liberum voluntati divinæ. Confirmatur. Pœnitentia Petri sub illis circunstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidetur conditionè futura, est libera voluntati Petri, & ab eâ possibilis impediri. Ergo si ea non sit libera voluntati, & ab eâ possibilis impediri, omnipotentiæ divinæ, ejusque libertati derogatur. Sed juxtà scientiæ mediæ assertores talis conversio nec est Deo libera, nec ab eo impedibilis. Ergo. Minor subsumpta probatur. Tum quia talis conversio conditionatè futura, cum sit ante omne decretum, non potest esse Deo libera. Tum quia scientia conditionata non est libera ex parte subjecti ; sed solùm ex parte objecti. Tum quia talis scientia non potest per voluntatem divinam falsificari. Ergo talis conversio non est Deo libera, nec possibilis à Deo impediri. Quartò. Ex variis locis Sanctorum Patrum, Augustini de gratiâ, & libero arbitr. cap. 16. ibi : *Deus facit, ut facia-*

faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati: Et lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagii, cap. 20. ibi: *Deus cor Regis occultiſſimâ, & efficaciſſimâ poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem.* Hæc autem omnia abſque gratiâ intrinſecè prædeterminante bonum conſenſum, ſalvari non poſſunt.

Omnia hæc ex falſo præjudicio laborant.

283. Verùm hæc, & alia contra ſcientiam mediam ſuperſtructa, cum ex falſo præjudicio, & abuſu illius malè materiata procedant; ex dictis ſupra facilè corruunt. Tum quia cum conſenſus conditionatus ſolùm ſit talis per ſimilitudinem, & objectivè, non eſt aliquid enaſcens propriè ab humanâ libertate; ſed ſolùm repræſentativè: Nec, ut dictum eſt, ex illo poteſt moveri Deus ad aliquid homini elargiendum, ſolùm ex infinitâ ſuâ bonitate. Tum quia omnipotentia Dei, & ipſius libertas non alium effectum, aut terminum ſibi præfigunt, niſi propriam cauſarum, & earum effectuum exiſtentiam. Unde quod Deus in ſuis idæis certò prænoſcat ſub auxiliis, & ſuæ gratiæ donis Petri converſionem, & alios actus liberos conditionatè futuros, vel determinatè poſſibiles, juxtà explicationem in ſuperioribus datam; non tollit, quin Deus ut omnipotens, & ſummè liber, poſſit in ordine ad propriam eorum exiſtentiam liberè de iis omnibus diſponere, aut non diſponere, prout ipſi placuerit. Tum quia non pertinet ad omnipotentiam, & divinam libertatem agere contra id, quod certò in ſuis idæis prænovit, licèt ea, quæ prænoſcit, ſit ei liberum facere, & non facere; quod eſt valde diverſum, & in quo maximè hallucinatur Gonetus.

Id cõſpicuâ ratione ſuadeo deſumptâ ex divinis idæis.

284. Ratio eſt. Quia, ut probavi ſuprà ex SS. Patribus, negari non poteſt, Deum, antequàm mundum conderet ſecundùm omnia ſive libera, ſive neceſſaria, quæ ſub hâc rerum ſerie in eo geruntur, in infinito ſuæ divinæ eſſentiæ Theſauro præhabuiſſe idæas totius fabricæ; aliàs non fuiſſet infinitus, & ſapientiſſimus artifex; quin ex eo liceat inferre, Deum non fuiſſe omnipotentem, & ſummè liberum ad producendum, vel non producendum extrà, & in propriâ ſuâ naturâ mundum illum idæalem, & per ſimilitudinem, quem ſibi objectivè præſentem habuit in ſuâ eſſentiâ, ſive in ejuſdem idæis: Quia tamen ſapientiſſimus artifex ſi velit operari ſua artefacta, & opera, debeat dirigi, & regulari per idæas, quas de illis habet; non poteſt non operari niſi per conformitatem ad illas; alias Deus à ſuâ divinâ arte, & ſapientiâ deficeret in operando. Relinquitur ergo, quod omnipotentia, & perfectiſſima Dei libertas ſalvantur in eo, quod Deus poſſit pro ſuo nutu facere, & non facere ea; quæ in ſuis idæis tamquam in medio certò cognoſcit; non tamen poſſe, ſi velit juxtà tales idæas operari, res aliter fieri, ac in illis repræſentantur: Cum non poſſit Deus tales idæas, & præſcientiam in illis tamquàm in medio cognoſcendi fundatam, falſificare. Ex quibus fit, Deum poſſe converſionem Petri præviſam ſub illis circunſtantiis conditionatè futuram, efficere, & non efficere: In quo ſtat Dei omnipotentia, ipſiusque ſuprema libertas. Aſt ſi velit operari juxtà idæam illam, in quâ talem converſionem prævidit determinatè poſſibilem, aut conditionatè futuram ſub illis auxiliis, occaſione, & circunſtantiis, non poterit contrarium velle, aut efficere; cum certitudinem ſuæ ſcientiæ falſificare non poſſit. Ad illud autem de efficaciâ divinæ gratiæ de ſcientiâ conditionatâ, quamvis multiplex, & ſatis congrua noſtrorum doctrina ſuppetat; ex manuſcriptis de gratiâ pro ſolutione argumenti neceſſe erit aliqua perſtringere; non tam rem profeſſo calamo diſputando, quàm attingendo principia, quibus præfato argumento ſatisfiat; quod utriuſque Scholæ ſcriptores in ſuis libris, & tractatibus de hoc prælo datis, frequenter præſtant.

Expenditur Solutio R. P. M. Joannis Sandin.

Magiſt. Sandin in ſcientiam mediam inſurgit, eã conans inutilem ſuadere.

285. HIc Author inter Scotiſtas cultiſſimo ingenio præditus, nec phyſicis Thomiſtarum prædeterminationibus acquieſcens, nec ſcientiæ mediæ Jeſuitarum omninò fidens, quin potiùs utriuſque opinionis recens, & acerrimus oppugnator, tract. 5. de gratia actuali, ſect. 2. mediam, & peculiarem viam aggreſſus eſt; aſſerit enim, efficaciam gratiæ conſiſtere in vocatione ſic attemperatâ voluntati, ut voluntatem moraliter, & infalliblliter determinet ad poſitionem actûs. Pro quâ aſſertione illuſtrandâ pariter, ac ſuadendâ plura ſupponit: Primò ſcientiam mediam non eſſe neceſſariam Deo nec ad directionem prædeſtinationis, nec præfinitionis. Cujus ratio eſt. Quia ad hoc ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Tum quia per ſcientiam iſtam cognoſcit Deus, repugnare hominem, quem mediis ſuis auxiliis non poſſit liberè convertere. Ergo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit, eſſe in ſuâ poteſtate conferre auxilia, per quæ infallibiliter converſio ponatur. Sic habet tract. 4. diſput. 8. ſect. 2. §. 2. Tum quia ſi decretum collativum auxilii ad conſenſum, neceſſariò prærequirit eſſe directum à ſcientiâ mediâ, ſequitur, eum, qui vocationi diſſentit, non fuiſſe libe-

liberum ad consensum; cum non habuerit decretum ex parte Dei directum ex scientiâ mediâ, quod supponitur necessariò requisitum ad consensum. Sic ille loco citato, sect. 3.

Deinde dicit, optimè cõponi, quod inter antecedens, & cõsequẽs sit illatio moraliter infallibilis scientia autem de illâ Metaphysicè certa.

286. Supponit secundò. Optimè componi, quod inter antecedens, & consequens tantùm sit illatio infallibilis infallibilitate morali; & quod scientia talis illationis sit certa certitudine Metaphysicâ. Quod sic probat. Hæc propositio: *Si voluntas creata destituatur auxilio efficaci, & gravi tentatione tentetur consentiet*; est propositio infallibilis infallibilitate Metaphysicâ; similiter hæc: *Si homo justus specialissimâ gratiâ destituatur, aliquod peccatum veniale committet*: Quia plures sunt occasiones peccandi, & summa est humana fragilitas. Sed inter tentationem gravem, & consensum, tantùm datur connexio, aut illatio moralis; similiter inter occasiones hujus vitæ, & peccatum veniale tantùm datur illatio moralis. Ergo stat benè, quod illatio sit tantùm infallibilis infallibilitate morali; & tamen quod certitudo illationis sit Metaphysica. Probat majorem. Quia prima propositio in communiori opinione est de fide, & colligitur ex Divo Paulo, qui ad Roman. 7. sic ait: *Infœlix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM-CHRISTUM Dominum nostrum.* Insuper certum de fide est, quod tentatio gravis contra castitatem absque speciali gratiâ vinci non potest; ut constat ex sapientiæ 8. *Nemo potest esse continens, nisi Deus dederit.* Secunda propositio est definita in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 23. Sed omnis propositio de fide est certa certitudine Metaphysicâ; quia repugnat, quod possit subesse falso. Ergo stat, quod illatio ex parte objecti sit moralis.

Id confirmat ex scientia simplicis intelligẽtiæ de quidditate infallibilitatis moralis.

287. Confirmat. Quia Deus per scientiam simplicis intelligentiæ comprehensivè penetrat cujuslibet objecti quidditatem. Ergo etiam comprehendit quidditatem infallibilitatis moralis. Sed quidditas moralis infallibilitatis stat in hoc, quod licèt semper liberè ponatur consensus à voluntate, si sub talibus motivis constituatur, etiamsi in voluntate resideat potestas physica, & Metaphysica ad omittendum consensum. Ergo Deus per scientiam simplicis intelligentiæ omne hoc cognoscit. Ergo ut Deus cognoscat, quod positâ tentatione gravi, homo consentiet, & quod diu nequit perseverare in justitiâ acceptâ inter tot, ac tanta pericula; ac demùm quod nequit evitare omnia peccata venialia collectivè, impertinenter recurritur ad scientiam mediam; cum totum hoc cognosci possit in naturâ determinationis moralis, quæ provenit ex his motivis, & circunstantiis. Sic habet dictâ disputat. 4. sect. 3. à num. 28.

Hujus Recẽtioris cogitationem speciosam magis, quàm veram esse, solidis evinco rationibus.

288. Verùm hujus Neoterici cogitatio speciosâ magis, quàm verâ ratione munita, semper mihi visa fuit. Primò. Quia ex abusu scientiæ mediæ procedens putat, scientiam mediam non pertinere ad scientiam naturalem simplicis intelligentiæ; cujus oppositum multis ostendimus. Secundò. Quia ex eo sequitur, scientiam simplicis intelligentiæ solùm esse certam, & infallibilem infallibilitate morali: Quod quidem eisdem principiis rejicitur, ac scientia conjecturalis, vel cognitio moraliter certa expunguntur à Deo, ut infinitâ Dei sapientiâ prorsùs indignæ. Tertiò. Quia nullum est assignabile medium, in quo illud objectum infallibile infallibilitate morali, Deus prænoscat. Ratio est. Tum quia consensus ille infallibilis infallibilitate morali, quatenus est objectum simplicis intelligentiæ, nihil est in suâ propriâ naturâ. Sed quod in se ipso nihil est, in se ipso cognosci non potest. Ergo solùm potest cognosci secundùm esse, quod habet in Deo. Ergo sola essentia divina, aut aliqua illius idæa poterit esse medium, in quo cognoscatur infallibiliter talis consensus. Sed essentia divina, aut ejus idææ non possunt movere Deum ad cognoscenda ea, quæ in illis objectivè repræsentantur, ut certa, & infallibilia solâ certitudine, & infallibilitate morali; sed potiùs certitudine, & infallibilitate Metaphysicâ: Aliàs cum scientia mensuretur ex suo motivo, & medio, talis scientia simplicis intelligentiæ esset solùm moraliter certa, & moraliter infallibilis: Quod est contrà communem Theologorum sententiam. Ergo implicat, Deum per scientiam simplicis intelligentiæ prænoscere aliquod objectum infallibiliter solùm infallibilitate morali, sive morali certitudine.

Impugno illud de infallibilitate morali.

289. Tum quia prædictus Author infallibilitatem moralem illius consensûs componit cum physicâ, & metaphysicâ voluntatis potestate ad consensum. Ergo opus est, ut Deus per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscat ex parte voluntatis hujusmodi potestatem physicam, & metaphysicam ad consensum, & dissensum. Ergo per talem scientiam cognoscit consensum quidditativè contingentem saltem physicè, & metaphysicè. Sed in medio, in quo Deus certò, & metaphysicè cognoscit quidditativam contingentiam consensûs ex parte voluntatis, etiam cum omnibus motivis, & circunstantiis, quæ sibi excogitavit Magist. Sandin, non potest cognoscere talem consensum ut certum certitudine morali, nisi aut opinando, aut conjecturando, aut alio modo imperfectissimo; quorum absurditatem

ipsa prima terminorum apprehensio in verâ, & sanâ Theologiâ excludit à Deo. Ergo infallibilitas illa moralis, in quâ præcitatus Author constituit efficaciam divinæ gratiæ, comparativè ad Deum est omninò impossibilis, & undequâquè chymæricâ.

Procul à vero est, Deũ cognoscere certitudine fidei, quæ sunt fidei; & morali, quæ sunt certa moraliter.

290. Quartò. Quia quæcumque humanus intellectus vel ut certa certitudine fidei, vel certitudine morali; qualia sunt exempla adducta de casu in tentationem gravem, & alia hujusmodi; vel de lapsu justi in venialia sine specialissimo adjutorio Dei, juxtà mentum Tridentini; vel solùm ut opinabilia, & probabilia; si transferantur ad scientiam divinam, certo certius est, horum veritates certissimè cognoscere; procul tamen à vero est, & omninò falsum, Deum cognoscere, quæ sunt fidei, certitudine fidei; & quæ sunt certa moraliter, certitudine morali; vel probabiliter, quæ nos probabiliter cognoscimus: Hoc enim esset transferre imperfectionem intellectûs creati ad intellectum divinum: In quo nobilis Scotista pro efficaciâ auxilii contra scientiam mediam, & Scholam Thomisticam stabiliendâ, contra communem Theologiam maximè hallucinatur.

Deus igitur in suâ essentiâ, vel idæis certò cognoscit, quæ nos obscurè, vel certitudine fidei, morali, vel metaphysicâ aut probabiliter cognóscimus.

291. Dicendum igitur est, Deum in medio suæ divinæ essentiæ, aut in ejusdem idæis præscire clare, & metaphysicè certâ suâ cognitione, quæ nos obscurè cognoscimus certitudine fidei, vel certitudine morali, vel solùm probabiliter. In quo autem medio cognoscat certitudinem consensûs, & cujuscumque alterius veritatis conditionatæ futuræ objectorum ex suâ quidditative contingentium; fusè à nobis in totâ hâc controversiâ explicatum est. Distinximus enim in Deo duplicem scientiam naturalem simplicis intelligentiæ, duplexque medium, in quo Deus cognoscit causas liberas cum omnibus suis motivis, & comprincipiis, ut ad utrumlibet indifferentes; in quo probavimus. Deum non cognoscere consensum determinatè possibilem potiùs, quàm dissensum, nec certitudine metaphysicâ, nec certitudine morali; sed omnes actus liberos, & contingentes, ut certò possibiles possibilitate in causâ, propter hujus ad utrumlibet quidditativam indifferentiam. Et quia medium, in quo cum hâc indifferentiâ, & quidditate repræsentantur, & attinguntur hujusmodi causæ, nullum actum determinatè possibilem potiùs, quàm ejus oppositum repræsentat: Quam Dei cognitionem naturalem, & necessariam diximus, & appellavimus scientiam simplicis intelligentiæ absolutæ; in quo vix est Theologus, qui præintellectis Divi Thomæ principiis, possit dissentire. Alterum verò medium, diximus, esse essentiam divinam, sive idæas virtute, sive speculativè practicas, in quibus Deus independenter etiam ab omni decreto actuali, & cum solâ cognitione suæ potestatis, & decreti terminativè tantùm possibilis, certò, & infallibiliter certitudine metaphysicâ cognoscit causas liberas in actu secundo possibiliter conjunctas in quibuscumque circunstantiis, & occasionibus cum suis operationibus liberis determinatè possibilibus potiùs, quàm cum earum oppositis; cum operatio possibilis causæ liberæ, in quâ utercque actus contradictionis, sive contrarietatis componatur, chymærica sit. In quo medio consequenter, probatum est, Deum certissimè præscire omnes operationes, & actus liberos determinatè possibiles potiùs, quàm eorum oppositos; & talem cognitionem naturalem dicimus scientiam conditionatam, & mediam, quâ Deus cognoscit ante omne decretum actuale ex parte Dei actus liberos conditionatè futuros; cum idem omninò sit, Deum cognoscere consensum sub his auxiliis, & circunstantiis determinatè possibilem potiùs, quàm dissensum; ac cognoscere veritatem conditionatam hujus propositionis, quæ modo discursivo, & conditionato ab humano intellectu formatur; videlicet: *Si voluntas interius moveatur à Deo, vel ei conferantur in talibus circunstantiis hæc auxilia, consentiet*, &c.

Quæ non modo conditionato attingimus, aut enunciamus, Deus certissimè, & absolutè cognoscit.

292. Et ratio est. Quia in medio, in quo Deus sub talibus auxiliis, & in talibus circunstantiis ex præscientiâ suæ liberæ potestatis, & decreti terminativè possibilis, prænoscit consensum determinatè possibilem potiùs, quàm ejus dissensum, non potest non cognoscere veritatem talis propositionis conditionatæ: Imò veritas est omninò eadem; hoc solùm discrimine, quod nos illam attingimus modo conditionato, discursivo, & in ratione futuritionis: Deus verò illam certissimè comprehendit absolutè, unico intuitu, & sibi in suâ essentiâ objectivè præsentem; ex cujus discriminis non satis intellectâ differentiâ orta est in hoc puncto multorum pinguis hallucinatio. Videantur rationes, quas suprà pro majori hujus utilissimæ doctrinæ fulcimento formavimus.

Inter nostrates varie assignatur constitutivâ auxilii efficacis.

293. Nostrorum autem Doctorum solutio colligenda erit ex variis modis, quibus ingeniosè satis auxilii efficacis in esse talis illustrarunt constitutivum. Alii dicunt, auxilium gratiæ dici efficax non intrinsecè; sed extrinsecè; ita, ut ejus efficacia à cooperatione liberi arbitrii desumatur. Pro quo modo dicendi referuntur P. Vasquez 1. par. disp. 92. & 1. 2. disput. 98. Lessius de gratiâ, cap. 10. num. 9. meus Ripalda de ente supernaturali, disp. 113. sect. 5. Arriaga disputat. 38. sect. 3.

Ex

Ex his alii communiter dicunt cum Vasquio, Arriagâ, & Sherlogo de scientiâ mediâ, auxilium pendere in esse efficacis à consensu conditionato, ut à formâ efficaciæ. Alii verò cum Ripaldâ tenent, efficaciam desumi à consensu vel conditionato, vel absoluto, quale fuerit in quocumque statu auxilium, scientiâ mediâ semper præsuppositâ.

Sed displicent. Quia speciale Dei beneficiũ non desumitur ab operatione voluntatis absolutâ.

294. Huic tamen efficaciæ auxilii, nisi ad meliorem sensum reducatur, non possumus sub illis terminis acquiescere, ut fusiori calamo notavimus tract. illo citato de concordiâ efficaciæ gratiæ cum libero arbitrio. Ratio est primò. Quia in communi omnium existimatione efficacia gratiæ, in quocumque constituatur, semper habetur, & consideratur ut speciale beneficium Dei. Sed speciale Dei beneficium non desumitur ab operatione voluntatis sive conditionatâ, sive absolutâ. Ergo. Major constat ex Sanctis Patribus, & communi Theologorum sensu. Minor verò probatur quoad secundam partem de operatione, sive consensu absoluto, sive in propriâ naturâ existente. Tum quia efficacia, quæ se habet ex parte causæ sive intrinsecè, sive extrinsecè, non potest desumi ab ipso effectu, sive actu. Sed efficacia sive intrinsecè, sive extrinsecè, se habet ex parte auxilii; & hoc est causa consensûs absoluti. Ergo ejus efficacia non potest desumi ab ipso consensu. Tum quia cum efficacia sit speciale beneficium; si illa consisteret formaliter in ipso absoluto consensu, voluntas creata sibi ipsi specialiter benefaceret; cum ipsa liberè consensum ponat, à quo talis efficacia dependet. Hoc autem non est dicendum. Ergo.

Nec ab operatione voluntatis conditionatâ.

295. Probatur iterùm minor eadem quoad primam partem. Tum quia consensus quidditativè sumptus, nec habet esse proprium suæ naturæ, nec habet esse in Deo; sed ab omni esse, & existentiâ tam intentionali, quàm physicâ præscindit; solumquè consideratur in eo ejus essentia, & quidditas. Sed quod in se nullum habet esse, alteri non potest esse speciale beneficium. Ergo à consensu præcisè conditionato non potest desumi ratio specialis beneficii. Tum quia consensus conditionatus, & absolutus sunt idem quidditativè; utriusque enim eadem est essentia; cum hæc consistat in eo, quod sit exercitium liberum voluntatis circà suum objectum; præscindens tamen ab eo, quod existat sive secundùm esse proprium suæ naturæ, sive secundùm esse improprium, & intentionale; cum existentia non sit de conceptu quidditativo essentiæ. Pro quo videnda sunt omninò Opuscula de essentiâ, & existentiâ; de Distinctionibus, & Præcisionibus objectivis; de Unitate universalis, & alia, in quibus principium hoc latè expendimus, & probavimus. Ergo consensus conditionatus quidditativè sumptus, non potest se habere ut efficacia, & speciale beneficium ad hoc, ut consensus absolutus existat. Probatur consequentia. Tum quia idem in quantum idem, semper est natum facere idem. Tum quia essentiæ rerum non sunt causæ suæ propriæ existentiæ; sed solùm ipse Deus, qui prout vult, vel non vult, omnibus, quæcumque in suâ essentiâ cognoscit, præstat, vel non præstat existentiæ propriæ beneficium, eâ de nihilo extra causas educens. Ergo necesse est, quod omne beneficium sive speciale, sive commune, originem habeat à Deo ut à primâ causâ: Cum omne bonum, & donum perfectum descendens sit à Patre luminum. Relinquitur ergo, speciale beneficium divinæ gratiæ non posse à consensu conditionato desumi. Quamvis si ad meliorem explicationem mens horum Recentiorum trahatur, bonum, Theologicumque sensum sententia ipsorum accipere possit; ut ex infrà dicendis constabit. Mitto alios dicendi modos, quos loco, & tractatu citatis ad longum retuli.



OPUS

OPUSCULUM III.

De Gratiâ Sanctificante.

QUÆSTIO I.

An Actus Contritionis sit forma formaliter sanctificans?

HÆC Disputatio, quæ in Litterariam arenam aperto marte descendit, ex celebrioribus est, quæ in hoc Tractatu Doctorum ingenia torquet; idcircò, ut locum aliquantulùm speculationi demus, oportet, illam tot salebris, quibus implicatur, clarè, & quoad possit, brevi calamo expedire.

LECTIO I.

Prævià doctrinâ Controversiæ illustratur status.

Quæ causæ in peccatoris justificatione concurrant.

1. NOto primò in justificatione peccatoris plures causas concurrere. Causa finalis est gloria Dei, & Christi, necnon vita æterna. Causa efficiens est misericors Deus, qui gratuitò sanctificat hominẽ. Causa meritoria est Christus Dominus, qui suâ sanctissimâ, ac dolorum plenâ passione nobis justificationem promeruit. Denique causa formalis in tali justificatione est donum gratiæ inhærentis animæ, quæ hominem justum reddit, ut Tridentinum satis expresè declarat sess. 6. cap. 7. dum ait: *Demùm unica formalis causa est Justitia Dei, quâ scilicet ab eo donati, renovamur spiritu mentis nostræ.* Ita ibi. Ubi etiam assignantur omnes ad unam justificationem causæ concurrentes, quas sic breviter retulimus.

In justificatione impii, ejus arbitrium movetur in Deum motu fidei, spei, & charitatis.

2. Notâ secundò. In justificatione impii liberum hominis arbitrium moveri in Deum motu Fidei, Spei, & Charitatis: quæ doctrina in confesso habetur apud omnes Theologos. Motus Fidei clarè colligitur ex Apostolo ad Hebræos 11. ubi ait: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Et ad Romanos 4. ubi dicitur: *Credenti in eum, qui justificat impium, fides reputatur ad justitiam.* Ratio hujus motûs, & actûs fidei est. Quia implicat, voluntatem in objectum aliquod affectivè moveri, quin sufficienti cognitione illi tale proponatur objectum. Sed ut voluntas Deum amet actu supernaturalis charitatis, nulla alia cognitio est sufficiens præter actum fidei. Ergo hic actus & motus fidei est omninò necessarius ad justificationem impii, quare sicut in naturalibus ex apprehensione objecti sequitur amor; sic in supernaturalibus actus supernaturalis voluntatis sequitur ex supernaturali cognitione fidei: & sicut ex amore sequitur desiderium; non enim desideramus, nisi bona amata: sic etiam in supernaturalibus ex motu charitatis, quo voluntas movetur in Deum, ipsum amando, sequitur motus, sive actus Spei, eò quod spes quoddam desiderium importet cum quâdam animi electione, quasi in quid arduum, & difficile tendens, ut edocent Theologi cum Divo Thomâ ad Tractatum de Spe, ubi nota, quod hi tres motus, sive actus solent accipi, seu computari pro uno motu necessario requisito ad justificationem.

Ad impii justificationem requiritur ejus per pœnitentiã in peccata conversio, tamen per modum fugæ.

3. Nota tertiò. Ad justificationem hominis, qui aliquod pecatum læthale commisit, requiri etiam ut liberum ejus arbitrium convertatur in peccatum per formalem actum pœnitentiæ, qui Contritio dicitur; sicut conversio liberi arbitrii in Deum, fit per hoc, quod homo cognoscit Deum per fidem, & Deum amat, gratiamque desiderat, seu sperat: Ita conversio liberi arbitrii in peccata, fit per hoc, quod homo se peccasse recognoscit; quod est humilitatis; & peccatum præteritum detestatur, & piget commisisse, & iterari non velit. Quæ in peccata conversio non est per modum accessûs, & prosecutionis, sed solùm per modum fugæ, & recessûs.

Ex actu pravo requiruntur in anima aversio, offensa atque reatus; & hinc unde summantur, expono.

4. Nota quartò. Ex actu peccaminoso tria relinqui in animâ: nimirùm aversionem, offensam, atque reatum. Ratio aversionis stat in eo, quod homo avertitur à Deo bono, incommutabili, & indeficienti, quod poterat ipse habere, respectu cujus se per peccatum reddidit impotentem; aliàs aversio non esset culpabilis. Et hic obiter advertas, quod nomine aversionis etiam macula communiter intelligitur. Ratio offensæ sumitur vel ex parte hominis, in quantùm homo per peccatum Deum offendit: vel ex parte Dei, in quantum Deus ratione peccati est ipsi offensus peccatori, juxta illud Psal. 5.

Psalm. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et ex hoc offensa benè intelligitur: nam ex eo quod aliquis rem aliquam digniorem indigniori postponit, eò ipso injuriam irrogat illi, tantò magis, quantò res est dignior. Jam verò cùm homo dum graviter peccat in re caducâ, & temporali finem ultimum sibi constituat, hoc ipso, quantùm est ex parte sui, Creatori creaturam anteponit, plus diligens illam, quàm Creatorem: Cùm igitur Deus infinitè creaturam excedat, certè infinita erit offensa peccantis mortaliter contra Deum ex parte dignitatis ejus, cui per peccatum quodam modo irrogatur injuria, dum ipse Deus, ejusque jussa, ac leges contemnuntur. Denique *reatus*, qui etiam sequitur ex peccato, est quædam obligatio, quam sibi peccator injunxit, non solùm ad pœnam sensibilem, sed præcipuè ad damni cruciatum, qui in æternæ Dei visionis carentiâ consistit.

Quid sit macula animæ ex peccato relicta?

5. Nota denique, & quidem pro quæstionis intelligentiâ valdè utiliter, quod sicut in corporalibus macula propriè dicitur, quando aliquod corpus nitidum suum deperdit nitorem ex alterius sordidi corporis contactu; sicut vestis, aurum, vel argentum, aut aliud hujusmodi; sic ad hujus similitudinem in rebus spiritualibus, & præcipuè in animâ, maculam quæ in eâ ex peccato relinquitur, oportet intelligere. Habet igitur anima justi divinæ gratiæ nitorem, & anima dicitur quodammodò tangi, quando aliquibus rebus per amorem inhæret. Ratio est. Quia actus voluntatis stat in motu ad ipsas res, ita ut amor quodammodò rei amatæ copulet, ac conglutinet animam: Jam verò cum homo, dum peccat contra rationis, & divinæ legis lumen rebus adhæreat; inde ipsum detrimentum, seu privatio nitoris ex tali contactu proveniens, macula animæ metaphoricè vocatur ad instar maculæ, quæ ex contactu corporis contrahitur. Ex dictis jam facilè capio, quid sit illa macula animæ ex peccato relicta, quæ tantam hucusque in Scholis controversiam movit: Macula igitur non est aliquid positivè in animâ, nec significat priorem rectitudinem in actu voluntatis, aliàs anima non esset subdita maculæ, nec pueri verè & propriè maculam peccati originalis ante Baptismum haberent; cùm proprium actum non habuerint, & peccatum Adami jam fuerit retractatum. Nec macula significat solam privationem gratiæ, quæ est verus animæ nitor; sed solùm significat privationem nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum.

LECTIO II.

Relatis Doctorum placitis, efficaciter ex Tridentini authoritate Sententia nostra probatur.

Doctorũ placita enumerũ.

6. PRima in hoc puncto sententia asserit, actum contritionis esse formam formaliter sanctificantem. Ita sentiunt Jansenius in Concordiâ, cap. 48. Vincentius de Gratiâ Christi, quæst. 1. Pohaganius tract. 1. de Sacramento Pœnitentiæ. Alaran. 1. part. tract. 5 disputat. 2. Gaspar Hurtadus de Pœnitentiâ, difficult. 7. Dicastillo disp. 2. dub. 12. & alii, qui rem disputant, aut defendunt de actu perfectæ charitatis. Secunda sententia antecedenti omninò contraria, edocet, neque actum charitatis, neque actum perfectæ contritionis esse formam formaliter sanctificantem. Ita Magnus Suarius tomo 1. in 3. part. disput. 4. sect. 8. Pater Coninck de Pœnitentiâ disp. 2. dubio 3. P. Granados in controversiâ 8. de Gratiâ. Ragusa, Lorca, Zumel, Eminentissimus Cardinalis de Lugo disput. 8. sect. 4. & alii. Tertia sententia media inter utramque relatam, tuetur, actum perfectæ charitatis non sanctificare formaliter, nec peccati maculam tollere independenter à novo divinæ misericordiæ favore, ab eo charitatis actu separabili; eo tamen adjuncto favore, sanctificare, ac peccatum formaliter expellere. Ita P. Ripalda disputat. 99. de ente supernaturali, sect. 3. His ergo positis, rem totam certè, ut illam capio, expendam brevitate & claritate, quâ potero.

Igitur actus contritionis nullatenùs est forma sanctificans formaliter impium.

7. Sit ergo conclusio nostra. Actus contritionis, nullo modo est forma sancti-ficans formaliter impium: & idem dicendum venit de actu perfectæ charitatis. Hæc conclusio est conformior Synodo Tridentinæ: pro quâ sine dubio militat Doctor Angelicus quæst. 10. de Justificatione impii articulo 8. Illiqúe patrocinantur apertè Doctores pro secundâ sententiâ suprà citati.

Probatur 1. ex Trid. sess. 6 de justif. impii,

8. Probatur ergo primò. Authoritate Tridentini sess. 6. de Justificatione impii, ubi singulas justificationis causas decurrens hæc expresè habet; *Demum unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit, quâ videlicet à Deo donati, renovamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus.* Ita Concilium. Ex quibus pro nostrâ conclusione, sic nervosè discurrimus. Si actus contritionis, vel charitatis

tatis esset causa formalis justificationis, hæc non esset unica. Sed juxta Cõcilium unica est formalis causa justificationis. Ergo actus contritionis non est talis forma. Major patet. Gratia habitualis adhuc juxta Contrarios est causa formalis justificationis, ut certò cõstat in pueris. Sed si præter illã actus contritionis esset forma formaliter sanctificans; seu (quod idem est) causa formalis justificans, causa formalis esset duplex, & non unica, ut patet. Ergo.

Displicet P. Dicast. dicens, Cõcilium ibi contra hæreticos excludere increatam Dei justitiam, vel favorem extrinsecũ &c.

9. Respondet P. Dicastillo ubi supra, in tali loco solùm intendere Tridentinum contra Hæreticos excludere increatam Dei justitiam, seu favorem extrinsecum, quo tanquam formâ justi reddamur: non verò excludere pluralitatem formarum intrinsecè inhærentium, quarum quævis ad justificationem sufficiat. Hæc tamen solutio omninò displicet primò. Quia ad excludendum illum errorem de justificatione per formam extrinsecam puram, nihil conduceret, quod forma justificationis esset unica, vel multiplex; cùm dixisse sufficeret: Causa formalis est, quâ Deus nos justos facit, & non quâ ipse justus est. Sed Concilium ultra hoc exprofesso definit, quod causa formalis est unica. Ergo non solùm intendit inhærentiam formæ, sed etiam ejus unicitatem.

Deinde quia Concilium loquitur de illâ justitiâ quam renati cõservare tenentur.

10. Displicet secundò. Quia Concilium expressè loquitur de illâ justitiâ; & causâ formali justificationis, quam Renati conservare tenentur, ut eam perferant ante tribunal Domini Jesu-Christi. Stemus ergo proposito, & Concilium audiamus ad finem ejusdem Capitis: *Itaque veram* (inquit) *& Christianam justitiam accipientes, eam, ceu primam stolam pro illâ, quam Adam suâ inobedientiâ sibi & nobis perdidit per Christum* Jesum *illis donatam candidam & immaculatam, jubentur statim Renati conservare, ut eam perferant ante tribunal Domini nostri* Jesu *Christi.* Tum sic. Sed Renatus primò non jubetur conservare actum charitatis, & actum contritionis, etiamsi istos eliciat, cùm justificatur: quia hoc est impossibile, eò quod tales actus sint naturâ suâ transeuntes. Ergo.

Rursùs ex metaphorâ stolæ significantis gratiam, non actus charitatis, &c.

11. Tertiò. Stola, quam sibi, & nobis perdidit Adamus, nõ potest intelligi de actu charitatis & contritionis: Tum quia metaphora à stolâ desumptâ, cùm sit quoddam ornamentum, seu habitus permanens, malè, aut saltem inutiliter applicatur rebus citò transeuntibus, quales sunt actus. Tum quia Adam perdidit sibi, & nobis hanc justitiam, quam vocat stolam. At non perdidit sibi aliquem actum charitatis, sive contritionis, nec nobis perdidit actus liberos charitatis, & contritionis, quos elicimus. Ergo. Quartò. Hanc stolam, seu justitiam jubemur perferre ante Tribunal Christi. At nullus potest perferre actus charitatis, & contritionis, quos invitâ elicuit, quia isti essentiâ suâ transierunt. Ergo de primo ad ultimũ causa formalis, seu justitia illa, quâ justi sumus, non potest intelligi de actibus charitatis seu contritionis.

Præterea contra P. Dicastillo arguo ad hominem

12. Quintò. Quia ut ipsemet P. Dicastillo fatetur, Concilium loquitur de causâ formali, seu justitiâ inhærente. Sed actus charitatis, seu contritionis propriè non inhæret. Ergo. Probatur minor. Inhærentia propria dicit perseverantiam, ut videre est in omnibus formis, quæ naturaliter inhærent, ut in albedine, calore, &c. Sed actus charitatis, & contritionis naturâ suâ est transiens, & minimè perseverans, neque existit, nisi in illo instanti quo fuit, ut patet ex Philosophiâ. Ergo. Probatur minor. Quia actus Contritionis est motus voluntatis in Deum, & idem est de actu charitatis. sic enim Sancti Patres, & universaliter Theologi tales actus appellant: Imò Tridentinum sess. 6. Canone 9. sic loquitur: *Si quis dixerit, nullâ ex parte necesse esse cum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi anathema sit.* Sed motus vel in naturalibus, vel in supernaturalibus, cùm essentialiter successivus, non dicit propriè inhærere, seu perseverare. Ergo.

Probatur 2. consequentia ex eo. dem Cõc. can. 3. sess. 6. & cã. 25

13. Probatur secundò ex aliis locis Concilii. Nam Canone 3. sess. 6. ait: *Si quis dixerit, sine prævenienti Spiritûs Sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, ut ei justificationis gratiâ conferatur, anathema sit.* Ex quibus hunc efformo discursum. Credere, sperare, diligere, ac pœnitere, sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur, sunt actus fidei, charitatis, & contritionis, quibus positis, in eodem instanti confertur gratia justificationis; aliàs non essent, sicut oportet, ut pronunciat Tridentinum. Sed gratia illa justificationis, quæ confertur, non potest consistere in actu illo dilectionis aut pœnitentiæ. Ergo ideò est, quia gratia justificationis in illis actibus non consistit, sed est alia ab illis. Probatur minor. Quia aliter sensus Concilii esset; diligere, & pœnitere, sicut oportet, ut ei diligere & pœnitere conferatur. At hic sensus est indignus Concilio. Ergo. Vel sensus esset: diligere, & pœnitere, quibus justificatur formaliter homo, sicut oportet, ut justificetur formaliter, sive justificationis gratia conferatur. Sed hic sensus etiam est indignus. Ergo. Deinde Canone 25. sic ait: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atq; actu augeri coram Deo per bona opera, anathema sit.* Ex quibus sic etiam arguo. Justitia formalis, quâ homo justificatur, talis est naturæ, quod semel accepta conservatur & augetur, sive intenditur per bona opera. Sed actus contritionis, aut charitatis non conservatur, nec augetur: nam intensio non pertinet ad actus, sed ad habitum, juxta bonam quidem Philosophiam, ad intensionem enim prærequiritur ut qualitas præexistens, simul cum intensione existat præsertim

quando

quando per opera successivè intenditur, juxtà à nobis fusiori calamo dicta in Metaphysicâ. Hoc autem de actibus contritionis, & charitatis non potest intelligi. Ergo, &c.

Tandem, ex ipso Tridētino probatur in cap. 6. & 7.

14. Probatur denique ex eodem Concilio; quod quidem postquàm capite 6. modum præparationis edocuit, rem suscipiens ab illis verbis: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam*, &c. quæ quidem dispositio præstatur per Fidem, Spem, Charitatem, & detestationem, sic incipit cap. 7. *Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, &c. Ex quibus non vulgaris ratio formatur. Nulla dispositio, aut præparatio ad formam, est ipsa forma, aut formalis effectus formæ, ad quam est dispositio, seu præparatio. Sed actus charitatis, aut contritionis ponuntur à Concilio ut dispositio, & præparatio ad justificationem formalem. Ergo non possunt esse justicatio formalis: Aliàs una justicatio formalis ad aliam formalem justificationem disponeret.

Idē Pater respōdere conatur; sed urgetur.

15. Respondet Pater Dicastillo, Concilium non loqui de contritione perfectâ determinatè, nec de contritione imperfectâ; sed de contritione abstrahente à perfectâ, & imperfectâ. Atqui hoc videtur habere difficultatem primò. Quia Concilium loquitur de illâ dispositione, quam consequitur ipsa justificatio. Sed actus contritionis, ad quem impii justificatio consequitur, non videtur esse contritio abstrahens à perfectâ, & imperfectâ. Ergo. Probatur consequentia. Quia si quis loqueretur de calore, ut dispositione, quam consequitur forma ignis, eo ipso loqueretur de calore perfecto; quia istum solùm ut dispositionem talis forma consequitur. Ergo. Secundò. Quia Concilium expressè loquitur de illâ contritione, & detestatione peccati, quæ ex Dei dilectione movetur: Nam cap. 6. sic ait: *Illumq; tamquàm omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata.* Sed contritio, quæ ex charitate, & dilectione Dei movetur, non videtur abstrahens à perfectâ, & imperfectâ. Ergo.



Theol.

LECTIO III.

A ratione præcedens assertum ulteriùs nervosè propugnatur.

Deindè pro Conclusione insurgo à ratione desumptâ à formis substantialibus, quæ in naturalibus præstāt, quod gratia in supernaturalibus.

16. Sit prima ratio. Hoc præstat gratia habitualis supernaturaliter in animâ, proportionis analogiâ servatâ, quod formâ substantialis præstat in naturalibus. Sed effectus formalis, quem præstat forma substantialis, non potest præstari nec per aliquid, quod se habeat dispositivè ad talem formam; nec per aliquid, quod ex tali formâ tamquàm ex radice dimanet. Ergo effectus formalis, quem præstat gratia habitualis ipsi animæ, non potest præstari, nec per aliquid, quod se habet dispositivè ad talem gratiam; nec per aliquid, quod oritur à gratiâ ut à primâ radice in esse supernaturali. Tunc sic. Sed actus sive charitatis, sive contritionis, vel se habet dispositivè ad gratiam, vel oritur à gratiâ tamquàm radice, quatenus principia talium actuum; scilicèt virtus charitatis, & virtus pœnitentiæ, consequuntur ad gratiam ut earum radicem. Ergo nec actus charitatis, nec actus contritionis poterunt præstare illum formalem effectum, quem ex suâ naturâ præstat gratia habitualis. At hic effectus est sanctificatio, aut justificatio formalis. Ergo de primo ad ultimum nullus istorum actuum erit forma sanctificans.

Illustratur præcta propositio.

17. Principium ergo positum in majori, facilè illustratur tum ex munere gratiæ habitualis, tum ex communi Theologorum consensu; sicut enim in compositis naturalibus devenimus ad unum primum actum substantialem, qui sit formalis radix cæterorum accidentium, quæ ut proprietates consequuntur tale compositum, & in illo specialiter reperiuntur; ut satis efficaciter ostendi tam in Physicâ, quàm in Metaphysicâ: Sic dicunt Theologi, quod in justificatione, in quâ impius fit novus homo in esse supernaturali; prima forma, primusque actus supernaturalis, & qui se habet ut radix habituum, & bonorum supernaturalium, est gratia habitualis; ita, ut talis habitus, & dona, sive proprietates novi hominis; scilicèt justi, & amici Dei sint in eo propter illum actum primum gratiæ habitualis inhærentis, quæ est eorum radix; quemadmodùm proprietates accidentales, quæ sunt in homine, ut est homo naturalis, sunt in illo propter animam rationalem; ut radicem; & proprietas caloris est in igne propter formam ignis etiam, ut ejus radicem.

Ostendo, non posse ab ullo præstari effectum formalè, què præstat forma substantialis.

18. Probo nunc argumenti minorem. Calor, qui vel est dispositio antecedens, & non dimanans à formâ ignis, ut aliqui edocent; vel qui est proprietas ad formam ignis consequuta; non potest præstare effectum formalem, quem præstat forma ignis, ut est omnibus Philosophis notum. Ergo contritio, quæ vel est dispositio ad infusionem gratiæ habitualis, vel mediante habitu, à gratiâ habituali dimanat; non poterit in genere causæ formalis illum præstare effectum, quem formaliter præstat ipsa gratia habitualis, quæ se habet veluti radix, & actus primus donorum, ac virtutum supernaturalium. Antecedens conceditur communiter in Philosophiâ: Quia licèt aliqui teneant, calorem in genere causæ efficientis esse principium productivum substantiæ, quem effectum præstat etiam effectivè substantia; nullus tamen edocet, quod calor, & multò minùs actio caloris præstent in genere causæ formalis effectum, quem formaliter tribuit forma ignis, quæ est natura, & actus primus substantialis. Ergo neque habitus charitatis, qui consequitur ad infusionem gratiæ, & radicis in esse supernaturali, & multò minùs ejus actus, sive contritio, quæ est actus virtutis pœnitentiæ, poterunt præstare formaliter effectum illum, quem gratia se ipsâ formaliter tribuit.

2. Quia gratia est animæ, quod est animæ corpus.

19. Sit secunda ratio. Hoc est gratia sanctificans animæ, quod est anima corpori; sicut enim anima corpori naturalem vitam tribuit, sic gratia tribuit animæ vitam supernaturalem. Sed impossibile est, quod illud esse vitale, quod tribuitur ab animâ corpori, præstetur in genere causæ formalis per aliquam potentiam vel habitum, & multò minùs per eorum actum. Ergo impossibile est, quod illud esse vitale supernaturale, quod gratia præstat in genere causæ formalis, præstetur formaliter per aliquem habitum consequutum ad gratiam, & multò minùs per ejus actum. Tunc sic. Sed esse vitale supernaturale, quod à gratiâ præstatur, aliud non est, quàm sanctificatio, & illa interioris hominis renovatio, de quâ expressè tractat Tridentina Synodus ubi suprà. Ergo.

3. Arguo ex hypothesi Adami in originali gratia cõstituti, vel hominis in gratia baptismali, cadères postea, & resurgentis.

20. Sit tertia ratio. Ponamus primum hominem in illo instanti, in quo Deus ipsi donorum, & virtutum gratiam infudit, charitatis actu secluso: Contritio autem pro illo instanti impossibilis erat: Vel ergo in illo instanti erat primus homo perfectissimè Sanctus, & conjunctus Deo, vel non? Hoc ultimum nemo dicet. Ergo erat Sanctus, & Deo conjunctus. Sed non per actum in illo instanti, ut supponitur. Ergo per gratiam Deo conjunctus erat. Ergo sanctificatio, & illa conjunctio formalis cum Deo, stabat in gratiâ habituali animæ communicatâ, mediâ quâ homo erat similis Deo, & ad hæreditatem gloriæ jure gaudebat. Vel casus similis poni potest in puero baptizato. Tunc sic. Demus, quod sequenti instanti, aut tempore graviter per actum malæ voluntatis peccaret: In hoc casu sanctificatio, & conjunctio illa deperdita per peccatum, nullo modo posset formaliter restitui per actum contritionis, & charitatis. Ergo nullus ex his actibus potest formaliter sanctificare. Minorem probo. Sanctificatio, & supernaturalis conjunctio hominis cum Deo, stabat in gratiâ informante animam. Ergo aversio formalis, & separatio animæ à Deo, non stabit formaliter in illo actu, quem contrà rationem ponit homo, licèt talis aversio, & separatio formalis animæ à Deo, ex tali actu causetur. Patet consequentia. Quia si dealbatio formalis stat in conjunctione albedinis cum subjecto, aversio formalis, & separatio dealbationis à subjecto, non potest formaliter stare in illo actu, aut motu contrario, vi cujus destruitur albedo; sed in defectu ipsius albedinis à subjecto; causato tamen per illum actum. Ergo aversio illa, & separatio formalis hominis à Deo, per pravæ voluntatis actum causata, non potest formaliter tolli per actum charitatis, aut contritionis. Probo consequentiam. Unum contradictorium solùm potest formaliter tolli per alterum sibi formaliter, & immediatè oppositum. Sed quod opponitur formaliter aversioni, & separationi hominis à Deo, quæ ut dictum est, consistit formaliter in defectu gratiæ habitualis causato per peccatum; solum est ipsa gratia animæ communicata; non verò actus charitatis, aut contritionis. Ergo per actum charitatis, aut contritionis non potest tolli formaliter. Ergo nec anima formaliter sanctificari. Hæc ratio bene, & efficaciter librata, magni momenti, & ponderis est tum ad contraria fundamenta evertenda, tum ad expedienda plura, quæ contrà occurrunt.

4. Quia actus contritionis, & charitatis supponunt animam in esse supernaturali constituram.

21. Sit quarta ratio. Quia actus operandi naturaliter non pertinet ad actum naturalem essendi; sed illum supponit; non enim valet à priori: Quia anima vult, anima est; sed è contrà; quia anima simpliciter est, anima vult. Ergo actus supernaturaliter operandi non pertinet ad actum essendi supernaturaliter simpliciter. Sed in animâ actus charitatis, & contritionis sunt actus operandi supernaturaliter; quemadmodùm naturalis volitio est actus naturaliter operandi. Ergo actus charitatis, & contritionis supponunt aliquo-

aliquomodò animam in esse supernaturali constitutam. Sed primum esse animæ in esse supernaturali est esse sanctificatam. Ergo charitas, & pœnitentia non conducunt ad lineam sanctè, & justè operandi ex sanctitatis formâ præsuppositâ.

5. Quia vel potentiæ distinguuntur realiter ab animâ, vel non?

22. Sit quinta ratio. Vel potentiæ distinguuntur realiter ab animâ (quod quidem satis efficaciter ostendi in Philosophiâ, & edocet P. Vasquez, oppositæ sententiæ propugnator acerrimus) vel solùm objectivè distinguuntur; ut alii cum Hurtado, & Arriagâ tuentur? Si primum: ergo actus charitatis, & contritionis non sanctificant formaliter animam. Probo consequentiam. Quia causa formalis, quæ immediatè sanctificat animam, debet immediatè recipi in animâ; ut de gratiâ edocent Theologi omnes. Sed actus charitatis, & contritionis non recipiuntur immediatè in animâ; sed mediante potentiâ. Ergo non possunt esse forma sanctificans; aliàs sicut anima, mediante potentiâ, vult; sic mediante potentiâ, esset formaliter sancta; quod omninò implicat. Si verò secundum dicatur: Ergo anima solùm erit formaliter sancta, quatenùs volitiva; non autem, quatenùs intellectiva. Probo consequentiam. Quia actus charitatis, & contritionis solùm pertinent in hâc sententiâ formaliter ad lineam volitivi; non verò ad lineam intellectivi formaliter. Ergo quâ ratione volitio non correspondet formaliter lineæ intellectivi, nec poterit illi volitionis sanctitas correspondere, sive hæc sit charitas, sive contritio. Sed quando forma non correspondet subjecto, subjectum implicat dici formaliter tale per formam. Ergo anima non potest intelligi formaliter sancta secundùm lineam intellectivi per actum contritionis, & charitatis; ac proinde nec adæquatè sancta. Patet ergo, non posse esse formam sanctificantem illud, quod virtutem animæ non adæquat.

In nostris principiis res maximè illustratur.

23. In nostris verò principiis absque ullo negotio res maximè illustratur. Dicimus ergo, quod sicut ab animâ, quæ adæquatè communicat primum esse naturale materiæ, dimanant potentiæ intellectiva, & volitiva, quæ sunt naturaliter operandi principia; sic ad gratiam habitualem, quæ communicat simpliciter primum esse supernaturale, quod est esse sanctum: Hoc enim est, quod se habet veluti primum, & quasi substantiale in genere supernaturali, eò quòd sanctitas animæ debeat esse quædam similitudo, & participatio divinæ naturæ; sic, inquam, ad gratiam consequuntur habitus fidei, qui perficit intellectum; habitus charitatis, & pœnitentiæ, qui impii voluntatem perficiunt, ut sint supernaturaliter operandi principia; ita, ut consequentia doctrinæ teneat in omnibus.

6. Quia quod non se habet ut causa formalis ad augendam gratiam; nec se habet ut talis ad primam sanctificationem.

24. Sit sexta ratio. Quod non se habet ut causa formalis ad augendam sanctificationem, non se habet ut causa formalis ad primam sanctificationem. Sed actus charitatis, & contritionis, qui procedit à justo, non se habet ut causa formalis; sed ut causa meritoria, quæ, ut constat ex Concilio, valde diversa est à causa formali. Ergo actus charitatis, & contritionis non sunt sanctificatio formalis. Patet major. Quia ejusdem rationis est forma; quæ primò infunditur sanctificando; & forma, quæ augetur magis sanctificando; & hoc, sive intensio fiat per additionem qualitatis, sive non, juxtà à nobis dicta in Metaphysicâ. Probatur minor. Quia meritum, & præmium distinguuntur; actus enim se ipsum non meretur. Sed si actus contritionis, & charitatis, qui à justo procedunt, essent formaliter major justi sanctificatio; idem esset, tales actus mereri sanctitatis augmentum, ac illos se ipsos mereri; aut saltem quod una sanctificatio formalis mereatur aliam sanctificationem formalem: Quæ omnia satis difficilia videntur. Ergo. Major constat. Minor ostenditur ex Tridentino cap. 10. dicente: *Per observationem mandatorum Dei, & Ecclesiæ in ipsâ justitiâ per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide, bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur; sicut scriptum est; qui justus est, justificetur adhuc.* Sed actus præcepti charitatis, & contritionis pertinent ad observationem mandatorum Dei. Ergo non stat in ipsis incrementum, sive augmentum gratiæ. Sed per ipsos crescunt justi in gratiâ, & justitiâ, quam acceperunt; non enim dicitur justus contritionis actum accepisse; sed ad summum gratiam, quâ actus contritionis efficeretur.

Non valet dicere, actū cōtritionis esse perfectionē animæ in diverso genere à gratia habituali?

25. Nec valet dicere, actum contritionis esse perfectionem animæ in diverso genere, ac est gratia habitualis; unamque justificationem, vel ejus augmentum posse cadere sub meritum alterius justificationis diversi generis: Quia hæc est actualis; illa verò habitualis. Hoc, inquam, non valet; cum propter suprà facta argumenta: Tum etiam quia similiter dici posset, actum contritionis esse gratiam actualem, esseque actualem justitiam; quod extrà communem modum loquendi in Theologiâ videtur: Theologi enim nomine gratiæ solùm intelligunt vel divinam motionem, quâ movemur ad benè agendum; vel habituale donum, quo sanctificamur.

Aliorum pro nobis

26. His rationibus post maturum earum examen ducor, ut plenâ deliberatione præja-

argumẽta recenseo.

præjactæ Conclusioni præbeam assensum. Pro nobis tamen brevi calamo attingam argumenta, quæ circà punctum præsens pro hâc nostrâ sententiâ inter Recentiores deprehendo. Primum est. Forma sanctificans facit hominem filium adoptivum, & consequenter Deo similem per participationem divinæ naturæ. At contritio cum sit actus transiens, non potest esse radix habituum supernaturalium, nec hominem facere Filium Dei adoptivum. Ergo. Secundum est. Inter homines si vulgaris Regem graviter offendat, eo ipso quod de illâ doleat offensâ, talis dolor non censetur, ad delendam offensam, condignitatem habere. Ergo multò minùs dolor, aut contritio ad divinam delendam offensam. Tertium est. De fide est, hominem per formam intrinsecam sanctificari. Ergo per actum contritionis transeunter id fieri non potest: Sequeretur enim, parvulum baptizatum, si privaretur gratia Dei amicum permansurum eo ipso, quod illam habuerit; sicut est sanctus homo eo ipso, quod habuerit actum contritionis. Quartum est. Ad unum effectum formalem non possunt esse plures formæ distinctæ. Sed non potest negari, quin gratia sit forma sanctificans. Ergo ideò est, quia actus contritionis non est talis forma. Quintum est. Sequitur ex contrariâ sententiâ, hominem condignè satisfacere pro suo mortali peccato, & mereri remissionem illius. Sequela probatur. Quia si actus contritionis est formalis sanctificatio: Ergo erit condigna compensatio; sicut est meritum de condigno actus gratiâ condignificatus. His, & aliis certant pro nostrâ Conclusione Doctores aliqui, præcipuè Cardinalis de Lugo. Suppetunt tamen pro nobis supra adductæ rationes, ideoque ab his pro nostrâ defensione abstinemus.

LECTIO IV.

Recentiorum secùs opinantium acies exarmatur.

Nobis opponunt varia Tridẽtini, & scripturæ loca.

27. INsurgunt primò ex variis Tridentini locis; cap. 7. citato dicitur, quod justificatio est sanctificatio per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. At voluntaria susceptio est motus liberi arbitrii consistens in actu. Ergo. Deinde cap. 4. de pœnitentiâ ait: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitatem perfectam esse, contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquàm hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Ita ibi. At reconciliatio est ipsa justificatio. Ergo quia contritio justificat formaliter. Benè: Sed ly *formaliter* ad libitum Adversariorum infertur ex Tridentino. Firmant hæc, & alia testimonia ex scripturâ, & Sanctis Patribus: Nam Joannis 14. dicitur: *Si quis diligit me, mandata mea servabit, & pater meus diliget eum.* Ergo quia diligit homo Deum, diligitur à Deo ut amicus. Deinde prima Joann. 4. dicitur: *Charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Sed id, per quod nascitur ad vivendum vitâ supernaturali, est forma sanctificans. Ergo charitas est talis forma.

Explico Tridẽtini testimonia.

28. Verùm ex his locis parum, aut certè nihil evincitur contra nos. Respondeo ad primum, Concilium solùm velle, sanctificationem non fieri absque actu, quo velit homo suscipere gratiam: Unde ly *voluntariam* vel potest sumi pro actu habente susceptionem gratiæ pro objecto; & sic non se habet voluntaria susceptio formaliter; sed activè; ac proinde in illâ non stat sanctificatio formalis: Vel potest sumi pro ipsâ susceptione gratiæ, ut est talis actûs voluntatis objectum; & in hâc bene consistit formalis sanctificatio. Constat hoc in pluribus exemplis, in quibus idem nomen tribuitur activis, & passivis, seu formalibus, ut patet de calefacere activè, & formaliter. Alio modo explicant locum Suarius, & Lugo, qui parùm nobis arridet. Ad secundum locum ex cap. 4. de Pœnitentiâ deductum, respondent aliqui, reconciliationem ex mente Concilii adscribendam esse contritioni ut dispositioni ad gratiam; non verò ut formæ. Quæ solutio licèt non facilè impugnetur; non tamen congrua videtur. Ratio est. Quia ibi nec verbum habet Concilium de tali contritione, ut est dispositio; sed solùm de contritione, ut est pars Sacramenti; quod quidem, legenti Concilium, constabit evidenter: Solùm enim dicitur ibi, quod imperfecta contritio, quæ vocatur attritio, ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. Ergo aliud sentit Concilium, quando asserit, reconciliationem adscribendam esse contritioni, perfectæ charitate.

Dupliciter considerari potest contritio ad legitimam Concilii mentem.

29. Respondeo, legitimam Concilii mentem esse, reconciliationem cum Deo adscribendam esse contritioni ut operanti reconciliationem in voto, aut virtute Sacramenti Pœnitentiæ; ita ut contritio dupliciter consideretur, primò ut est actus virtutis; & sic ex naturâ suâ habet, quod sit dispositio se tenens ex parte animæ ut causæ materialis ad voluntariam susceptionem gratiæ,

tiæ, quæ expellit formaliter peccatũ; quemadmodùm calor in ipso instanti, in quo est forma ignis, dicitur dispositio materiæ ad talem formam, ut se habet ex parte materiæ. Secundò potest considerari contritio ut pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ; & hoc modo dicitur illi adscribi reconciliatio cum Deo, non quidem ratione sui præcisâ; sed virtute clavium, quæ includitur in voto suscipiendi Sacramentum. ut in simili diximus Tractatu 2. de Baptismo.

Id patet ex Trid. verbis ubi supra.

30. Quod autem hæc videatur mens Synodi Tridentinæ, constat ex illius verbis. Sic enim ait loco supra citato: *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat hominemq́, Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illâ includitur, non esse adscribendam.* Ita ibi: Sisto hic tantisper, ut stemus proposito tum Concilii, tum quæstionis. Vel ergo contritio charitate perfectâ includit ex genere suo votum Sacramenti, vel non? Si primum: contra est. Quia David cùm dixit; *Tibi soli peccavi*, habuit contritionem charitate perfectam. Sed David non habuit contritionem cum voto Sacramenti: cùm tunc non fuisset institutum Pœnitentiæ Sacramentum. Ergo. Si secundùm. Ergo ex Concilii loco non adscribitur reconciliatio impii contritioni charitate perfectæ ratione illius præcisè; sed contritioni propter votum, quod includit Pœnitentia, ut est Sacramentum. Sed Sacramentum Pœnitentiæ non se habet ut causa formalis justificationis, sed solùm ut instrumentalis; ut diximus Tractatu 1. de Sacramentis in genere. Ergo contritio, cui adscribitur reconciliatio in voto talis Sacramenti, non potest se habere ut causa formalis.

Deus diligit hominem, illi elargiens gratiæ sanctificantis donum.

31. Ad illud primum Joannis respondeo, Deum diligere hominem, illi gratiæ sanctificantis donum elargiendo; quia homo diligit Deum: ita tamen, ut ly *Quia* cadat super prioritatem dispositionis, non supra prioritatem causæ efficientis; quia hoc respectu gratiæ est Misericors Deus: neque supra prioritatem causæ formalis; quia hæc est sola gratia. Ad secundum locum Joannis respondeo, quod sicut priùs est, hominem esse natum in esse naturali, quàm naturaliter operari; sic homo quia est natus secundùm esse supernaturale per gratiam, operatur per charitatem, quæ sequitur ad nativitatem in gratiâ. Ex his facilis affulget responsio ad alia loca tum Scripturæ, tum Sanctorum Patrum.

Arguunt. Quia peccatum actuale est macula formalis animæ?

32. Insurgunt secundò. Peccatum actuale, secundùm quod dicit de formali malitiæ, est macula animæ formaliter. Ergo contritio est sanctitas formalis animæ. Consequentia probatur, Eâ ratione peccatum actuale est macula formalis animæ, quâ per peccatum Deus definit esse affectivè finis supernaturalis hominis, & loco Dei creatura succedit. Sed per actum contritionis amatur Deus ut ultimus finis supernaturalis, & affectivè restituitur in suum proprium locum, creaturis ab eo statu rejectis, in quo homo illas ut finem ultimum constituerat. Ergo cùm hæc omnia sint propria perfectæ sanctitatis, actus contritionis, aut charitatis erit sanctitas perfecta animæ. Firmatur. Quia sicut in Physicis impossibile videtur, quod idem mobile accedat ad terminum *ad quem*, & quod simul ab illo recedat, sic etiam implicat in moralibus. Sed per peccatum homo recedit à Deo tanquam à suo termino, & per dilectionem, vel actum contrionis, ad Deum ipsum accedit. Ergo positâ Dei dilectione, implicat penitùs manere peccatum, per quod à Deo recedit.

ergo contritio sanctitas formalis.

33. En ingeniosissimi Patris Vasquez, & aliorum Recentiorum decantatum Achilem. In primis multùm probat argumentum. probat enim actum charitatis, aut contritionis esse plenam & adæquatam fatisfactionem pro offensâ Deo illatâ per peccatum. Rem breviter ostendo. Offensa, & injuria Deo illata, stat in eo, quod per peccatum creatura constituatur in Dei loco ut finis; Deus verò quasi in loco inferiori, quem deberet creatura occupare. Sed per actum dilectionis supernaturalis ponitur restituiturq́; Deus in suo loco ut finis. Ergo erit plena satisfactio: nam qui integrè, & adæquatè restituit debitum respectu illius, quod erat ablatum, plenè satisfacit. Consequens autem etiam in humanis videtur falsitate laborans. Deinde argumentum peccati maculam cum offensâ confundit; cùm ex dictis constet, offensam sumi ex eo quod constituamus creaturam ut finem per conversionem ad illam, relicto Deo; cùm è contra esse deberet, scilicet nobis Deum ut finem ultimum statuendo per nostri cordis, & actûs conversionem ad ipsum; idcircò Deus dicitur subjectum offensæ, non maculæ; anima verò subjectum maculæ, non autem offensæ. Ex his ergo quæ pro intelligentiâ rei debuerunt arguentes habere præ oculis,

Ostendo, multùm probare argumentum.

34. Respondeo ad argumentum, antecedenti concesso, negando consequentiam; vel permittendo, transire antecedens juxta infra dicenda. Ad probationem nego absolutè majorem. Quia ratio maculæ stat formaliter in separatione gratiæ ex peccato communicatâ, quâ gratiâ mediante, Deo anima conjungebatur. Ratio est. Quia cùm gratia sit pulcherrimus animæ decor, eo ipso quod per peccatum illi decor iste gratiæ deficiat, anima dicitur fœdissimè maculata: quemadmodum corpus aliquod, quod lucidum erat per interpositionem, seu præsentiam

Respondeo rationem maculæ stare formaliter in separatione gratiæ ex peccato communicatâ.

præsentiam alterius quod inter ipsum, & solem mediet, dicitur quasi umbrâ illâ maculari: unde sicut umbra est luminis inducta privatio per motum corporis ad locum: quæ quidem umbra, ut tollatur, requirit motum contrarium corporis, quo recedat; sed tamen non tollitur formaliter per talem motum, quia solùm se habet dispositivè, & quasi removens prohibens; formaliter verò tollitur per ipsum lumen: quia ut supra dictum est, unum contradictorium non tollitur formaliter à subjecto, nisi per alterum contradictorium: Similiter quidem in casu, quem præ manibus habemus. Anima justi gratiæ nitorem habebat, quæ est divini luminis participatio: contingit autem, ut per motum pravæ voluntatis, & conversionem ad creaturam, ex interpositione creaturæ quem motu peccati voluntas accessit, resultet in anima umbra illa, seu macula, quæ stat in privatione gratiæ; quæ macula, seu privatio gratiæ ut auferatur, indiget quidem, ut voluntas motu contrario charitatis aut contritionis à creaturâ recedat: tunc autem certò infunditur gratia, quæ tollit maculam formaliter immediatè: motus autem ille solùm se habet dispositivè, & quasi removens prohibens; ut patet exemplo adducto de umbrâ corporis causatâ per illum motum. Scio plures aliter respondere; sed argumentum semper efficacissimè urget, nisi illi occurrat præjacta solutio. Confirmatio aliâ præter hîc assignatam doctrinam, solutione non eget.

Macula ergo formalis non est in actu sed solùm in animâ.

35. Instabunt primò. Ergo macula formalis non est in actu, sed solùm in animâ. Concedo consequentiam; imò id fateri tenentur omnes de maculâ peccati originalis, cùm hæc per proprium actum minimè contrahatur, & tamen in animâ puerorum ante baptismum talis macula originalis dicitur subjectari.

Ex solutione nostrâ nō sequitur, nō nisi unam maculam dari in animâ.

36. Instabunt secundò. Ex datâ solutione sequitur non esse nisi unam maculam. Hoc autem absurdissimum est; cùm ex pluribus peccatis plures maculæ resultent. Sequela probatur. Macula stat in privatione gratiæ, quæ est nitor, animæque splendor. Sed privatio gratiæ in peccatore non est nisi unica; cùm gratia quâ ille privatur, sit una dumtaxat. Ergo. Nego sequelam. Ad probationem distinguo majorem: Stat in privatione gratiæ relativè sumptâ, & per ordinem ad peccatū, ex quo sequitur, & in animâ resultat macula, concedo: Stat in privatione ab omni respectu absolutâ, nego majorem. Do exemplum, rem satis illustrans, ut à molestâ explicatione abstineamus. In corpore lucido per interpositionem corporis A umbra resultat, quæ est privatio luminis; & per interpositionem corporis B alia umbra resultat, & sic de aliis: unde sicut umbræ sunt plures eo quod multiplicantur corpora, à quibus causantur, etsi lumen, quo privatur sit idem: sic maculæ sunt diversæ ex diversitate peccatorum, à quibus causantur, quamvis gratia sit eadem.

Igitur omnes maculæ animæ sunt ejusdem speciei.

37. Replicabis. Ex datâ solutione non probatur, quod maculæ sint specie distinctæ; sed ad summum numero. Sed necessariò debent esse distinctæ specie; aliàs unum peccatum non esset majus alio, nec peccata specie distinguerentur, quod est dictu nefas. Ergo non satisfacit data solutio. Probatur major. Privationes non multiplicantur specie, nisi formis specie multiplicatis: non enim constat, privationem albedinis esse specie distinctam à nigredinis privatione, nisi quia nigredo ab albedine discriminatur specie. Sed peccatum adulterii v. g. non privat gratiâ specie distinctâ ab illâ, quâ privat furti peccatum. Ergo si macula stat in privatione gratiæ, seu nitoris animæ, non distinguerentur specie peccata. Mala quidem consequentia: non enim illa; sed ista deberet inferri: Ergo si macula stat in privatione gratiæ, omnes maculæ animæ essent ejusdem speciei. Hanc autem planè concedimus.

Ratio est quia aversio in peccato considerata, semper est ejusdē rationis, licet per quæcumq; peccata causetur.

38. Ratio est. Quia ut constat ex doctrinâ prævia Lectionis primæ, in peccato mortali duo considerantur, aversio scilicet animæ à Deo, & conversio ad creaturam. Aversio animæ per quodcumq; peccatū mortale causetur, est semper ejusdem rationis: quia hæc stat formaliter in ipsâ privatione gratiæ, quæ est formalis animæ conjunctio cum Deo, ac proinde aversio animæ à Deo in ipsâ separatione, aut privatione gratiæ consistit. At verò conversio animæ ad creaturam stat in actu, quo inordinatè contra lumen rationis, & contra legem Dei anima directè fertur in creaturam. Cùm ergo actus ex diversis specie objectis distinguantur specie; fit, quod ex parte conversionis peccata sint plura specie distincta. Attamen ex parte aversionis formalis, seu maculæ, quam inducunt & causant omnia gravia peccata, non debet ita discurri; cùm terminus aversionis cujuscumque peccati sit formalissimè idem, nimirùm Deus. Peccat igitur arguens, eo quod confundit peccatum & animæ maculam, quæ est effectus à peccati malitiâ proveniens; cùm toto cœlo unum aberret ab altero: actus enim est malus per malitiam subjectivè afficientem illum sive positivè, sive privativè: quod reputo verius juxta varias sententias, quæ hujus loci non sunt. At verò macula formalis, de quâ nunc disputamus, est subjectivè in animâ, & semper in illâ eodem modo existens ab instanti, quo per grave peccatum expellitur gratia: & idcircò hæc macula, dum perseverat semper imputatur homini.

Actus fidei reddit hominem formaliter credentem.

39. Insurgunt tertiò. Actus fidei reddit hominem formaliter fidelem. Ergo actus charitatis

charitatis illum reddit formaliter justum. Nego antecedens. Quia actus fidei solùm reddit hominem actualiter credentem, operantemque juxta habitum infusum fidei: aliàs justus dormiens, in quo non est actus fidei supernaturalis, non esset formaliter fidelis: quod est omninò falsum. Et idem dicito de actu charitatis.

Quo pacto actûs fidei reddat Deo authoritatẽ, quam abstulerat

40. Instabunt. Actus fidei destruit habitum hæresis; atque adeò Deo reddit authoritatem, quam hæresis peccatum abstulerat, Sed contritio perfecta reddit Deo quod abstulerat peccatum. Ergo. Respondeo distinguendo majorem quoad secundam partem: reddit Deo authoritatem quantùm ad conversionẽm; transeat; quantùm ad aversionem, subdistinguo: dispositivè, concedo: formaliter, nego majorem. Est dicere in actu hæresis consideratur aversio, sicut in quocumque alio peccato, & consideratur aversio specialis, quæstat in eo, quod homo dissentitur vetitati revelatæ, quam prima veritas attestatur: primam verò, cum homo ex gratiâ elicit actum fidei, quo assensum præbeat veritati revelatę, quam anteà negaverat; ex motivo primæ veritatis reddit ad omne illud, à quo recesserat, quantùm erat ex parte conversionis; nam per conversionem actus infidelitatis à veritate revelatâ recessit, & à motivo credendi, quod erat prima veritas: per actum autem fidei redit ad veritatem revelatam, & ad credendi motivum: at verò non tollit formaliter omnia illa, quæ se habebant ex parte aversionis formalis, quam induxerat hæresis: nam ex parte aversionis, in quâ stat macula animæ, se habuerunt ratio offensæ jam toties explicata, & pœnæ præcipuè æternæ reatus; quæ formaliter non omninò tolluntur, sed solùm dispositivè per actum fidei juxtà à nobis hucusque exarata.

Triplici ratione insurgit P. Dicastillo.

41. Insurgunt quartò ex Dicastillo. Per actum charitatis, atque adeò per actum contritionis formaliter quis adhæret Deo perfectissimâ conjunctione per affectum amicitiæ, seu benevolentiæ. Ergo diligit eum Deus, juxta illa verba: *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum.* Ergo dilectio, seu contritio est forma constituens ipsum, qui conteritur, Deo conjunctum, ipsi amabilem, & actualiter amicum, &c. Ergo nihil deficit, quominùs sit vera sanctitas perfecta contritio. Confirmatur primò. Quia impossibile est creaturam rationalem esse unitam Deo ut fini supernaturali, & quod Deus illi non sit unitus, sed maneat aversus ab illâ. Ergo amor, seu contritio tollit aversionem: Confirmatur secundò. Quia in omni mortali peccato sunt illæ duæ rationes, sine quibus ejus nequit natura subsistere; aversio scilicet à Deo, & conversio ad creaturam. Ergo si utrumque tollatur per illammet formam formaliter per quam tollitur, censetur expelli formaliter. Sed talis est actus contritionis, qui cùm sit dilectio super omnia, est formaliter conversio ad Deum; & cùm sit detestatio peccati formaliter, est formaliter aversio à creatura. Ergo nihil deficit, ut actus contritionis, & charitatis sit formaliter sanctitas.

Ad 1. dico, per actum contritionis, & charitatis hominẽ adhærere Deo cõjunctione intentionali, nõ physicè inhærenti ut petit Tridentinum.

42. Ad argumentum distinguo antecedens: adhæret conjunctione intentionali, concedo: conjunctione formali & physicè inhærenti, quàm petit Tridentinum, & quam à Deo solo homo accipit efficienter, ut expressè habetur in Concilio, nego antecedens. Et quidem Doctissimus P. Dicastillo non satis videtur Tridentino congruere sess. 6. cap. 7. dum sic ait: *Efficiens verò causa, scilicet justificationis, est misericors Deus, qui gratuitò abluit, et sanctificat, &c.* Tum sic primò. Sed homo est vera, & propria efficiens sui actûs liberi charitatis, atque sui actûs contritionis. Ergo si actus contritionis est justificatio formalis, etiam homo, & non solùm misericors Deus esset causa efficiens justificationis. Secundò. Ergo si misericors Deus est causa efficiens justificationis, aliquid facit quo impius justificetur: sicut si ignis est causa efficiens calefactionis formalis aquæ, aliquid facit, quo aqua fit formaliter calefacta; calorem scilicet in aqua producens. Sed terminus Dei ut est causa efficiens justificationis, est forma aliqua, & hæc non est actus liber voluntatis, ut constat ex dictis. Ergo hæc est sola gratia habitualis.

Ad 2. Amor non ut forma; sed ut dispositio cõnexa cum illâ, tollit aversionẽ

43. Ad primam confirmationem, concesso antecedenti, distinguo consequens: quin tollatur aversio à Deo ut formâ, nego: ut dispositione connexa cum formâ, quæ est gratia concedo consequentiam. sicut impossibile est, quod detur calor in summo, quin tollat à materiâ privationem formæ ignis, non quidem formaliter, sed solùm dispositivè. Propositio tamen antecedens aliquâ explicatione indigere videtur. Dicit enim P. Dicastillo, impossibile esse creaturam rationalem esse Deo unitam per contritionem, quæ est ipsa formalis amicitia; quin Deus sit unitus creaturæ rationali: & hîc necessum est hærere tantisper. Vel ergo Deus unitur creaturæ per amorem creaturæ, vel per suum amorem. Non primum, quia sicut creatura diligit, ita & Deus diligit. Sed creatura unitur Deo per dilectionem supernaturalem, quæ dilectio est justitia formalis subjectivè in ipsâ creaturâ. Ergo Deus unitur creaturæ per dilectionem increatam, quæ erit justitia formalis quasi subjectivè in ipso Deo. Sed nisi Deus uniatur animæ, non intelligitur homo justus formaliter. Ergo homo justificatur formaliter per dilectionem Dei increatam. Hæc autem est hæresis damnata à Cõcilio ubi supra. Ergo solùm potest dici, quod in gratiâ stat formalis conjunctio animæ cum Deo, & Dei cum animâ. Hoc autem benè & satis facilè ab omnibus percipitur.

Ad 3. Dico in peccato esse aversionē & cōversionem & illas congruè explano.

44. Ad secundam confirmationem respondeo, verum esse quod in peccato sunt duæ illæ rationes, conversionis nimirùm, & aversionis; sed malè illas explicat Pater Dicastillo: putat enim sapientissimus iste Doctor, aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam consistere formaliter in ipso actu peccati, ita ut contritio, dum à creaturâ recedit, & accedit ad Deum, tollat à contrario illam formalem aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam, quæ duo perseverant, dum peccatum non retractatur: primum est argumentum, & quidem efficacissimum contra eos, qui tale principium admittunt. Secundum est, peccatum non posse formaliter remitti per gratiam habitualem, eo quod solùm actus retractationis contrarietur immediatè peccato præterito; gratia autem solùm radicaliter quatenùs ex illâ, sive ad illam charitatis, & pœnitentiæ habitus consequuntur, qui sunt principia eorum actuum, qui peccato opponuntur. Hoc autem falsum videtur. At verò hæc omnia in nostris principiis nullam vim habent. Ratio est, quia licet aversio effectivè sumpta, se habet ex parte actûs; At verò formalis aversio est effectus illius, quatenùs ex peccato sequitur separatio, sive formalis aversio, quæ stat, ut jam dictum est in privatione illius conjunctionis formalis animæ cum Deo per gratiam, quæ aversio solùm tolli potest effectivè à Deo, qui solùm efficienter gratiam producit, dispositivè verò per actum charitatis, & contritionis; formaliter per ipsam gratiam. Ex quibus tota ad solum usque corruit difficultas.

Quid dicemus de homine, qui constitutus in statu puræ naturæ peccasset.

45. Insurgunt quintò. Si homo peccaret in statu puræ naturæ, esset dignus æternâ pœnâ. Sed tunc non induceret peccatum grave privationem gratiæ; quia in statu puræ naturæ nulla supernaturalis gratia supponitur. Ergo tunc per solum actum charitatis justificari posset; quandoquidem nulla esset gratiæ privatio, quæ per ipsam gratiam tolli deberet. Respondeo, concessis majori & minori, negando consequentiam. Quia sicut cadens in propriâ naturâ, non potest surgere in ipsâ propriâ naturâ; & ideò confugit arguens ad actum supernaturalem charitatis; potiori jure nos confugimus ad formam supernaturalem gratiæ, quæ ut potè immediata participatio divinæ naturæ, dat primum esse sanctitatis formalis animæ. Sed obiter nota quod tunc gratia non requireretur propter expiationem maculæ propriè sumptæ; sed solùm propter expiationem divinæ offensæ, quæ propriè esset adhuc in purâ naturâ, eo quod peccando graviter præposuisset homo creaturam suo creatori; non tamen esset propria macula imputabilis animæ per peccatum, eo quod in purâ naturâ non præcessisset nitor & splendor gratiæ, quam conservare debuisset: imò in corporalibus, ad quorum similitudinē explicatur macula animæ; certum est, quod nō intelligamus, subjectū aliquod maculari, nisi illud priùs intelligamus nitidum & splendidum, cujus nitore & splendore privetur, esset tamen verè & propriè peccatum, quod est valde diversum juxta dicta supra.

Consona S. Thom. q. 20. a. 2.

46. Congruit maximè exhibitæ solutioni, quam dedit Divus Thomas in simili, quæst. 20. citatâ artic. 2. ubi sic ait: *Ad quintum dicendum, quod si Adam in statu suæ conditionis gratiam non habuit secundùm quosdam: ponitur tamen ab eisdem quod ante casum gratiam est adeptus: unde à statu gratiæ cecidit, & non à statu naturæ: sed tamen si à statu solo naturæ cecidisset, nihilominùs tamen ad expiationē infinitæ offensæ donum divinæ gratiæ requireretur.* Ita Doctor Angelicus. Unde Sanctus Thomas in tali casu recurrit ad expiationem offensæ; non maculæ: quia tunc non fuisset aversus: de quâ aversione, & maculâ modò disputamus.

Quo pacto veniale peccatum maculam inferat animæ?

47. Insurgunt sextò. Peccatum veniale infert animæ quandam maculam. At macula stat in privatione gratiæ. Ergo si hoc est verum, peccatum veniale infert privationem gratiæ, quod est erroneum. Distinguo majorem: infert maculam per inordinatam inclinationem affectûs ad aliquid temporale, concedo: per privationem gratiæ, nego majorem. Sicut enim in corporalibus duplex est macula, alia per privationem ejus, quod requiritur ad decorem v. g. debiti coloris, aut debitæ proportionis membrorum: alia est per superinductionem alicujus impedientis decorem, v. g. pulveris, & luti. Ita similiter in animâ duplex macula consideratur: alia quæ stat in privatione gratiæ, quæ est decor animæ; & hæc inducitur per peccatum mortale, altera quæ se habet tanquam pulvis impediens animæ decorem in operando; & hæc inducitur per peccatum veniale ex inordinatâ affectus inclinatione.

Sive contritio sit prior, sivè gratia posterior, nō potest esse forma sanctificans.

48. Insurgunt tandem. Vel contritio est prior gratiâ, vel posterior ipsâ? si hoc ultimum; sequitur, quod illa ratio; quod scilicet contritio est dispositio ad gratiam non impedit, quominùs contritio sit sanctitas formalis; quia quod est gratia posteriùs, non est dispositio ad gratiâ. Ergo ex hoc capite poterit esse sanctitas formalis. Si primum: sequitur, quod contritio non sit supernaturalis: quia quod antecedit gratiam, quæ dat primū esse supernaturale, nequit esse supernaturale. Sed talis contritio antecedit independenter à gratiâ. Ergo. Certè nihil speciale contra nos. Respondeo igitur, ex totâ hâc disputatione satis constare, contritionem, sive sit dispositio ad gratiam, ac proinde illa prior, sive proveniat saltem radicaliter ab ipsâ gratiâ, ac proinde sit illâ posterior; non posse esse formam sanctificantem, propter supra datas rationes, quas, molestum esset iterùm repetere:

repetere ; cum possint facilè suprà videri.

Cõtritio in aliquâ ratione est prior, & in alia posterior gratiâ habituali.

49. Quia tamen hîc tangitur punctum notitiâ dignum, circà principium contritionis elicitivum, omissâ plenâ disputatione, quæ hujus loci non est; quid sentiam, brevi calamo attingam. Censeo igitur, contritionem esse in aliquâ ratione gratiâ habituali priorem, & in aliâ ratione esse ipsâ habituali gratiâ posteriorem; est prior, quatenùs se habet ex parte causæ materialis, scilicèt animæ, ad recipiendam gratiam; quia omnis dispositio reducitur ad genus causæ materialis: Est autem posterior ipsâ gratia in genere causæ formalis; ita, ut gratia sit radix habitûs charitatis, & pœnitentiæ, qui in illo instanti sunt principia actûs contritionis, & charitatis. Et ita sentit Doctor Angelicus pluribus in locis; quem sequuntur Patres Vasquez, Valentia, Turrianus, & alii plures. Primò. Quia mutua prioritas in diverso genere non implicat, ut ostendi in Philosophiâ; sic enim est prior in genere causæ materialis materia respectu formæ; hæc verò in genere causæ formalis est ipsâ materiâ prior; sic calor in instanti, quo est ignis, ut se habet ex parte causæ naturalis, est prior formâ; est tamen in alio genere posterior illâ, quatenùs est proprietas formæ ignis. Secundò. Quia Deus vult, non esse gratiam, & habitum charitatis, nisi sit actus charitatis; nec vult, esse actum, nisi sit habitus; quando autem datur mutua in existendo dependentia, datur mutua prioritas. Ergo. Tertiò. Quia in eodem instanti, in quo est auxilium Dei actuale, est etiam habitus. Sed in eodem instanti auxilium efficit actum contritionis. Ergo & habitus. Quartò. Quia in eodem instanti, in quo est ignis, calefacit, mediante principio caloris intrinseco, & non per auxilium extrinsecum: Cur ergo non faciet hoc ipsa anima per habitum intrinsecum, quem habet. Quintò. Quia Concilium Tridentinum loquendo de contritione, cui impii cum Deo adscribitur reconciliatio, clarè dicit, contritionem esse charitate perfectam. Ergo loquitur de contritione, quæ fit, mediante charitate. Sextò. Quia sic est magis connaturalis actus contritionis, dum fit per principium intrinsecum, sicut & alii actus sequentes. Denique. Quia Sanctus Thomas sic inquit in 4. sententiarum, distinct. 27. artic. 1. ad 3. quæst. *Unde antequàm gratia infundatur, non est habitus, à quo actus contritionis postea elicitur.* Quid clarius? Nota obiter, hanc potissimam totius Theologiæ controversiam proprium sibi locum vendicare in pluribus Magistri sententiarum disputationibus, ut videre est apud Patrem Ripaldam.

QUÆSTIO II.

An de potentia Dei absolutâ absque actu formali pœnitentiæ, vel sine gratiâ possit remitti peccatum per solam Dei extrinsecam condonationem?

EX dictis antelapsâ Quæstione operosum non erit, præsentem difficultatem brevi calamo enodare: Quia tamen inter ea, quæ in primò sententiarum Magistri excitantur, non vulgaris est; præstat, solidam aliquam rationem excutere, quâ possit & facilè propugnari, & ab argumentis in contrarium adductis absque negotio expediri.

LECTIO I.

Unâ, vel alterâ notatione controversia præsens illustratur.

Quomodò de facto gratia culpam expellat?

50. NOta primò quod de facto, & ex ordinariâ lege Dei, gratia, quæ est, & inest animæ, culpam expellit; non culpam, quæ est; sed quæ non est; priùs autem erat; ut patet in formâ substantiali, quando generatur unum, & corrumpitur aliud. Ratio est. Quia gratia non expellit maculam peccati per modum causæ efficientis (sic enim necessarium esset, quod gratia ageret in culpam; aut maculam existentem, ad ipsius expulsionem; sicut ignis agit in lignum existens ad ejus corruptionem;) sed solùm expellit maculam formaliter; idest, ut causa formalis; sicut lux formaliter expellit tenebras; ex hoc enim ipso, quod gratia informat subjectum, sequitur, quod culpa, aut macula in subjecto non sit; sicut patet de sanitate, & infirmitate.

Deus adhuc divinitùs nequit condonare peccatũ, antequàm

281. Nota secundò Deum non posse adhuc divinitùs condonare peccatum, antequàm fiat; nec in instanti, quo fit, illo modo condonationis, quo nimirùm Deus adversùs peccatorem ratione peccati indignari non velit, cedens juri castigandi

fiat nec in instanti, in quo fit, &c.

gandi illum, & petendi satisfactionem; ita, ut Deus cum illo se gerat, ac si nunquàm peccasset; ut satis difficile contendunt Cardinalis de Lugo disputat. 7. de Pœnitentiâ, P. Ripalda disputat. ult. sect. 29. Ratio est primò. Quia Deus in illo instanti esset, & non esset offensus. Hoc implicat. Ergo. Sequela probatur. Non esset offensus, ut supponitur ab his Doctoribus: Esset offensus; quia Deus suâ lege æternâ, & volitione non potest non resistere actualiter peccanti. Sed ex ipsis terminis constat, offendi Deum, quando seriò, & justè resistit, & nihilominùs alter facit contrà justam illius resistentiam; ut etiam in humanis patet. Ergo Deus non potest in eo instanti non offendi. Tunc sic. Sed in eo instanti, quo Deus remittit offensam, non manet offensa. Ergo esset, & non esset offensus. Secundò. Quia dum aliquis peccat peccato, quod lumini naturali repugnat, non potest non esse contra primam regulam Dei, à quo rationis lumen participamus, juxtà illud: *Signatum est super nos lumen vultûs tui.* Ergo. Tunc sic. Sed actu offenditur, & patitur injuriam, quando quis actu repugnat; & nihilominùs contra actualem, & justam repugnantiam alter operatur. Ergo.

3. Qui tũc peccator non anteponeret suâ divinæ voluntati.

52. Tertiò. Quia injuria, aut offensa sumitur per hoc, quod peccator anteponit propriam suam voluntatem voluntati divinæ prohibenti conversionem ad creaturam. Sed in tali casu peccator anteponeret suam voluntatem divinæ voluntati prohibenti conversionem ad creaturam. Ergo non potest Deus non offendi. Quartò. Quia licèt sit Deo liberum impedire, vel non impedire peccata; tamen posito peccato, non est Deo liberum displicere, vel non displicere in peccato, quod actu committitur. Ergo non potest non illi displicere homo ratione sui peccati actualis. Sed imperceptibile est, quod illi actu displiceat, & quod simul actu complaceat, diligatque ipsum ut amicum voluntate, quâ illum velit admittere ad beatitudinem, quæ est maximum beneficium. Ergo. Quintò. Quia impossibile est, quod Deus odio habeat hominem, dum hic actu amat cum amore supernaturali ut formâ supernaturali, illi adhærendo. Ergo à contrario impossibile erit, quod Deus amet hominem ut amicum amore, quo velit ipsi gratiæ, & gloriæ beneficium præstare, dum actu avertitur ab ipso ut fine supernaturali, vel dum actu operatur contrà naturale lumen; in quo Deus dispensare non potest. Mitto alia, quæ ex dictis poterunt facilè excitari, ut disputationem alteram excusemus.

53. Nota tertiò nomine condonationis extrinsecæ intelligi v. g. quod Deus remittat offensam, vi cujus indignetur peccatori ratione peccati commissi, tollatque ea, quæ ex peccato commisso sequuntur, juxtà à nobis dicta antelapsâ Quæstione, Lect. 1. quæ omnia Deus de potentiâ saltem absolutâ præstet, aut præstare posset absque mutatione vel physicâ, quæ fit per infusionem gratiæ; vel saltem morali, quæ fit per retractationem, aut pœnitentiam ipsius peccatoris. Do exemplum. Ex peccato gravi sequitur primò macula animæ, sive aversio formalis hominis à Deo: Secundò sequitur offensa orta ex eo, quod creatura anteponitur Deo per peccatoris conversionem ad illam: Tertiò sequitur reatus, quem contrahit homo, ratione cujus redditur dignus æternâ pœnâ, præcipuè damni. His igitur positis, disputamus, an Deus utens extraordinariâ suâ providentiâ, atque potentiâ, possit tollere peccati maculam, & remittere sibi illatam offensam, & consequenter pœnam, sive pœnæ condonare reatum absque eo, quod infundat gratiam, vel sine eo, quod detur ulla retractatio peccatoris; ita, ut per actum solius divinæ voluntatis, qui dicitur, & est extrinsecus homini, homo maneat ad indemnitatem illam restitutus, quam antè peccatum habebat: Non quidem ita perfectè, ac si Deus infunderet gratiam modo, quo de facto condonat; sed ita, ut propriè remittatur offensa? Extrà dubium enim videtur condonatio perfectior, quando fit per donum intrinsecum gratiæ.

Quid intelligatur nomine condonationis extrinsecæ?

LECTIO II.

Totius controversiæ punctum unâ, vel alterâ Conclusione discutitur & illustratur.

Igitur macula ex peccato actuali relicta, nec divinitùs tolli potest per divinam condonationẽ absque infusione gratiæ.

54. SIt ergo prima Conclusio. Macula ex peccato actuali relicta, nec divinitùs tolli potest per solam extrinsecam Dei condonationem absque gratiæ infusione. Est expressa Divi Thomæ quæst. 28. artic. 2. & 1. 2. quæst. 113. artic. 2. Angelicum Magistrum sequuntur ex nostris Patres Vasquius 1. 2. disputat. 206. Valentia tomo 2. disputat. 8. quæst. 5. puncto 5. Merasius Tractatu de Gratia, disputat. 10. & alii. Militat tamen assertio contra Scotum, Oxamum, Gabrielem, Suarium, Granadum, Cardinalem de Lugo, Ripaldam disputat. ult. de Ente supernaturali, sect. 7. & alios.

55. Probatur facilè Conclusio ex principiis

Quia macula relicta in animâ ex peccato gravi, stat in privatione gratiæ cum ordine ad peccatū, à quo causatur.

cipiis antecedenti Quæstione stabilitis. Macula relicta in animâ ex peccato gravi, stat in privatione gratiæ cum ordine ad peccatum, à quo causatur. Sed Deus non potest adhuc divinitùs tollere privationem formæ absque formâ. Ergo neque maculam peccati absque infusione gratiæ. Major constat ex dictis antelapsâ Quæstione. Minor etiam patet. Quia immediatum formæ contradictorium non potest tolli nisi per ipsam formam. Firmatur hæc ratio. Hoc est macula ex peccato redundans, vel resultans in animâ, si proportionem servemus, quod est umbra in corpore, quod lucidum erat, ex interpositione alterius corporis ad solem. Sed impossibile est, quod Deus per aliquid extrinsecum tantùm, & absque lumine tollat umbram ab illo corpore. Ergo impossibile est, quod tollat illam maculam ex peccato relictam, absque infusione gratiæ. Rem expende, & alia ex dictis facili negotio deduces.

2. Cõclusio. Deus absq; infusione gratiæ, per solam extrinsecã cõdonationem nõ potest remittere sibi irrogatam offensam.

56. Sit secunda Concluſio. Deus absque infusione gratiæ, & per solam extrinsecam condonationem non potest adhuc divinitùs remittere sibi irrogatam offensam. Ita Doctores in primâ Conclusione citati contra Magnum Suarium, & alios ibidem relatos. Probatur primò efficaciter. Deus ab æterno speciali amore dilexit creaturas, quas ab statu possibilitatis extraxit; ac eas, quas in tali statu reliquit nunquàm extituras. Ergo Deus speciali amore diligit homines, quibus remittit offensam, illos à damnationis statu extrahens; ac diligit eos, quos in tali infœlici statu relinquit; indubitabilis videtur utraque propositio. Tunc sic. Sed imperceptibilis est amor ille primus, & specialis, quo aliquos homines à possibilitatis statu secernit, quin detur aliqua mutatio realis ex parte termini, vel objecti, quod specialiter diligitur. Ergo specialis illa benevolentia, quâ Deus suo inimico remittit offensam, illum extrahens à damnationis statu præ aliis, quos in tali statu relinquit; est planè, & omninò inintelligibilis sine aliquâ mutatione reali ex parte hominis, quem specialiter diligit. Sed hæc realis mutatio fit per infusionem gratiæ, vi cujus, remissâ offensâ, homo assumitur in amicum, & destinatur ad æternam gloriam. Ergo, &c. Minor subsumpta probatur. Quia si aliquis diceret, Deum speciali amore diligere aliquas creaturas ex pure possibilibus, & nunquàm extituris, & alias tali amore non diligere; certè id temerè affirmaret; cum de hoc nullam posset adhibere rationem, nec fundamentum, quo id suaderet. Ergo ut ostendatur ille specialis amor affulgens. In creatione, opus est, ad talis amoris effectum devenire. Sed hoc stat in illo creationis, & rerum esse, quod rebus conditis indidit; quæ omninò absque reali mutatione in objecto, non possunt intelligi. Ergo. Consequentia verò argumenti efficaciter urget à paritate rationis.

2. Quia implicat, subjectū de contradictorio in contradictoriū transire nisi aliquâ factâ intrinsecâ vel extrinsecâ mutatione.

57. Probatur secundò. Implicat subjectum transire de contradictorio ad contradictorium, nisi factâ aliquâ mutatione, sive intrinsecâ, sive extrinsecâ juxtà naturam contradictorii. Sed per talem condonationem extrinsecam Deus condonaret offensam, & subjectum transiret de contradictorio inimici, & injusti, sive offensi ad contradictorium amici, justi, & non offensi; & de indigno æternæ gloriæ ad habendum jus ad gloriam. Ergo. Major patet ex dictis in Philosophiâ tum de relatione prædicamentali, tum de unione, tum de intensione qualitatis: Semper enim ac fit transitus de contradictorio ad contradictorium, petitur aliqua mutatio juxtà naturam formæ contradicentis, sive oppositæ. Minor verò probatur. Quia in primis subjectum transiret sine mutatione reali intrinsecâ, ut contrarii supponunt. Sed etiam transiret sine mutatione reali extrinsecâ: Quod sic probo. Quia secluso omni dono intrinseco, *nihil physicum*, aut reale restat præter condonationem, quam dicunt extrinsecam homini. Atqui talis condonatio cum sit actus Dei, non potest esse mutatio realis juxtà illud: *Ego Deus, & non mutor.* Ergo de primo ad ultimum subjectum transiret, &c.

Non valet dicere, id fieri posse solo libito divino.

58. Respondet P. Ripalda ubi supra, posse hominem dignum odio Dei, ipsiusque inimicum, transire in contradictorie oppositum solo libito divino, ut homo transit de inimico in non inimicum solo libito hominis, quem offenderat: Libitum autem divinum haberi potest sine ullâ formali in Deo, aut creaturâ factâ mutatione per solam mutationem virtualem ipsius Dei æquivalentem mutationi formali. Quæ quidem solutio videtur inter Recentiores communis. Verùm hæc responsio vires argumenti non infringit primò. Quia homo nequit transire de statu, in quo non habet esse proprium simpliciter, ad statum, in quo habeat esse simpliciter solo libito divino. Sed amor generalis creationis necessariò petit mutationem in termino, causando in illo bonitatem, quam non habebat, juxtà illud Geneſis: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Ergo homo non potest transire de inimico ad amicum, nec de indigno gloriæ ad gloriæ dignum, &c. solo libito divino. Sed specialissimus ille amor, quo Deus amat amicos præ inimicis, &

remittit injuriam præ aliis, quibus non remittit, necessariò requirit, quod in illis respectu quorum est tam beneficus, causet aliquam bonitatem, quæ benè intelligitur in nostrâ sententiâ per infusionem gratiæ. Ergo.

Nec valet exemplũ de homine alteri remittente.

59. Secundò, exemplum de homine alteri remittente offensam, non valet. Tum quia in illo est mutatio realis per proprium actum condonativum: Tum quia talis actus, quo condonat, se mutando, non esset in illo homine, nisi aliquam apprehenderet bonitatem, quam non apprehendit, dum non remittit offensam, vel saltem moveretur à Deo ut primâ causâ ad remittendum. Sed in Deo non datur mutatio realis per actum condonationis, nec cognoscit aliquam bonitatem, quando remitteret, quam non cognosceret, dum non remittebat offensam; nec ex parte intellectûs esset aliqua motio, quæ semper quoad intrinsecum non esset in Deo. Ergo disparitas est latissima inter Deum remittentem, & hominem condonantem. Tertiò. Quia illa virtualis mutatio casu, quo daretur in Deo, & quam latè rejecimus, ubi de actu libero Dei disputavimus, deberet aliquam in objecto mutationem habere; cum amor efficax ad extrà, se habeat practicè, & non speculativè. Ergo semper debet causare aliquid, aut non dabitur principium, unde probetur.

3. Quianõ est assignabile objectum talis actûs condonationis.

60. Probatur tertiò Conclusio argumento communi. Quia actus divinæ voluntatis, qui dicitur extrinseca, & activa Dei condonatio, debet habere aliquod objectum ad extrà. Sed in sententiâ contrariâ nullum est assignabile objectum talis actûs condonationis. Ergo. Probatur minor. Quia actus divinæ condonationis vel habet pro objecto destructionem peccati secundùm se; idest, non fuisse peccatum; vel habet pro objecto peccatum, cum non condonatur; ita, ut carentia condonationis intret constitutivè rationem objecti; vel taliter, ut intret tamquàm necessaria conditio? Non primum: Quia destructio peccati stat in actualis peccati præteritione, ut ipsi tenent Adversarii. Sed impossibile est, destruere talem præteritionem: Hoc est, non fuisse peccatum. Ergo talis destructio non potest esse objectum. Non secundum: Tum quia cum condonatio activè intrinsecè sit actus divinus, ex parte actûs nulla est carentia, ut latè probavi, ubi de actu libero divino sermonem instituì: Sed omnis contingentia ad esse, & non esse, se habet ex parte termini: Tum quia dato casu, quo peccatum staret in ipsâ præteritione, & carentiâ condonationis, jam condonatio se ipsam haberet pro objecto immediato, & directo. Quod assumptum sic ostendo. Quia sicut non album formaliter constituitur per carentiam albedinis, sic peccatum moraliter perseverans, constituitur in hâc sententiâ per carentiam extrinsecæ condonationis. Sed qui vellet destruere non album, haberet directè, & immediatè pro objecto formam albedinis, quæ formaliter tollit non album. Ergo Deus volens destruere peccatum ut moraliter perseverans, immediatè velletsuam condonationem, quæ tollit carentiam condonationis, quâ peccatum constituitur, & sine cujus ablatione impossibilis est destructio peccati. Non denique tertium. Quia etiamsi terminus relationis prædicamentalis se habeat ut conditio ad hoc, ut in fundamento relatio resultet; qui vellet tollere, aut impedire relationem similitudinis, stante fundamento, necessariò vellet consequenter, aut velle deberet destructionem termini, & necessariò requisitæ conditionis ad talem relationem: Quia stantibus fundamento, & termino, implicat, quod non sit relatio. Ergo etiamsi carentia condonationis se habeat ut conditio ad moralem peccati perseverantiam; qui vult destruere, aut impedire talem perseverantiam, stante præteritione, quæ tolli non potest, non potest non velle directè formã illam, quæ immediatè carentiam illam expellit: Sed sola activa condonatio Dei carentiam divinæ condonationis expellit. Ergo condonatio Dei se ipsam haberet pro objecto, si ex parte hominis aliquid aliud non concedatur.

Respõdet ingenio-sus P. Ripalda.

61. Mirum est, quod solutionum arma non paraverint Recentiores Magistri ad vim hujus argumenti repellendam. Pater Ripalda disputat. ult. de Ente supernaturali, sect. 23. post plura suo ingenio digna, & in Scholis frequenter, & magno plausu recepta, respondet, condonationem peccati stare in affectu quodam, quem Deus habet non ulteriùs indignandi adversùs peccatorem propter peccatum actuale præteritum: Nam eo ipso, quod persona offensa nolit ulteriùs offendentem prosequi odio inimicitiæ rationabili, & justo propter illatam sibi præteritam injuriam, condonare censetur talem injuriam: Imò in humanis sic videtur, ut ipse ait, fieri condonatio injuriæ. Hinc est, quod Deus potest tollere carentiam condonationis absque eo, quod pro objecto habeat ipsam condonationem, eo ipso quod Deus à parte rei decretum habeat de non indignando ulteriùs, quod est ipsa condonatio; quemadmodùm albedo, quæ est in subjecto, sui carentiam tollit è medio.

Sed dis-plicet

62. Verùm ista solutio, si benè expendatur, habet contra se ferè omnia à nobis in

multipliciter. in superioribus dicta: Primò quia supponit, in Deo modò esse carentiam actûs, quo velit; & modò esse ipsum actum: Quod alibi ostendi esse omninò falsum; quia velle, & non velle non dicunt respectu Dei esse, & non esse actûs, & entitatis divinæ, aut alicujus, quod possit dici divinum; sed solùm dicunt denominationem, vel carentiam denominationis, non quidem realis; sed rationis ex eo, quod fiat mutatio in termino, & aliquo objecto extrà Deum, ut satis ostendi in controversiâ de actu libero Dei; aliter non salvaretur nec summa necessitas, nec summa immutabilitas divinæ perfectionis. Secundò. Quia implicat, quod tribuatur Deo denominatio creantis, videntis mundum, &c. quin sit, vel futura sit aliqua ex parte termini, vel objecti creati, aut creandi mutatio. Ergo nec potest illi tribui denominatio condonantis, remittentis, &c. quin sit aliqua mutatio ex parte objecti. Tertiò. Quia affectus, quem Deus haberet de non indignando ulteriùs contrà peccatorem, ut dicitur in solutione, consequitur ad voluntatem remittentem offensam. Ergo numquàm assignatur sufficiens objectum respectu illius voluntatis divinæ, quæ peccatori remittit offensam.

Respõdet & quidẽ acutè P. Oviedus. 63. Verumtamen Pater Oviedus de justificatione aliam pro argumento solvendo viam ingressus est: Respondet igitur, in casu propolito objectum condonationis esse carentiam obligationis ad satisfaciendum: Unde actus Dei condonativus est voluntas, vi cujus extinguitur obligatio satisfaciendi pro actione præteritâ moraliter perseverante: Unde ista voluntas, seu condonatio respicit tamquàm objectum carentiam satisfactionis speciali quodam modo, ex vi cujus jam non est debita satisfactio; quæ quidem voluntas non est efficax respectu sui objecti secundùm se; videlicèt carentiæ actûs, quo satisfaciendum erat; sed respectu carentiæ obligationis, quam inducit; aut carentiam obligationis, quam destruit. Rem explicat exemplo voluntatis, quâ relaxatur votum v. g. audiendi sacrum; quæ voluntas respicit carentiam obligationis audiendi sacrum speciali quodam modo, virtute cujus etsi non inferatur necessariò suum objectum, nempe auditionis sacri carentia; necessariò tamen infertur, seu formaliter ponitur carentia obligationis audiendi sacrum; cum quâ voluntate rectè componitur alia voluntas, quâ relaxans votum, velit exercitam auditionem sacri secundùm se, & independenter ab obligatione.

Sed difficultatẽ nõ expedit. 64. Acuta sane cogitatio; sed difficultatem non expedit primò. Quia relaxatio voti non existit prudenter, nisi detur aliqua mutatio in circunstantiis respectu illius, cui votum relaxatur. Ergo nisi fiat aliqua mutatio ex parte illius, cui remittitur peccatum, aut offensa, non potest intelligi formalis condonatio ex parte Dei. Secundò. Quia *idem in quantum idem, semper est natum facere idem.* At si omnis mutatio physica excludatur, peccator semper manet idem, & Deus suâ immutabilitate semper est idem. Ergo non est, unde nova denominatio cum fundamento proveniat, quando nova forma non ponitur; sic autem principium illud semper in suo robore remanet.

Probatur 4. Cõclusio ab absurdo. 65. Probatur quartò Conclusio. Implicat, quod opus bonum morale hominis in purâ naturâ, solâ divinâ extrinsecâ voluntate elevetur ad merendum de condigno vitam æternam, sicuti illam meretur opus justi de facto elevatum per formam intrinsecam gratiæ; non quidem intrinsecam operi; sed animæ. Ergo implicat, hominem per extrinsecam condonationem manere dignum æternâ gloriâ, & quod illi remittatur peccatum, quemadmodùm per gratiam remittitur, & manet gloriâ dignus; Nec intendimus eumdem modum dignificandi; sed quod ille effectus non possit extrinsecè præstari. Probatur antecedens. Si homo posset solâ extrinsecâ voluntate Dei elevari, ut esset de inimico non inimicus, & consequenter filius adoptivus moraliter (hic est terminus Adversariorum) non video, quâ ratione non posset facere suâ voluntate extrinsecâ, ut aliquis homo esset filius naturalis Dei, non physicè, sed moraliter, & effectivè, cujus opera ex toto rigore justitiæ pro peccatis hominum satisfacerent. Sed hoc videtur planè absurdissimum. Ergo & illud. Probo sequelam. Sicut de facto non alios filios adoptivos Dei cognoscimus, nisi eos, qui mediante gratiâ physicè participant naturam divinam; sic non alium hominem cognoscimus filium naturalem Dei, nisi Christum Dominum, cujus humanæ naturæ natura divina per hypostaticæ unionis gratiam communicatur; & non solùm aliquid, quod sit naturæ divinæ participatio, sicut contingit in puris hominibus: Sed seclusâ unione gratiæ creatæ, potest Deus facere per solam extrinsecam voluntatem aliquem hominem moraliter filium adoptivum; remittere offensam, & alia id generis, quæ de facto formaliter præstantur per gratiam animæ infusam. Ergo etiam poterit efficere solâ extrinsecâ voluntate aliquem hominem filium naturalem Dei moraliter; & consequenter suâ solâ voluntate extrinsecâ ejus opera valorare, ut

merean-

mereantur tantum præmii, quantum infinita Christi Domini merita, quæ omnia de facto videmus per unionem realem divinæ naturæ præstari. Patet consequentia. Quia admisso primo, certè non video, unde sit limitanda infinita divina voluntas, ne possit etiam præstare secundum etiam moraliter: Tum quia voluntas est infinita: tum quia realiter est ipsa divina natura: tum quia jam præstat formaliter in sententiâ contrariâ, quod de facto præstat gratia supernaturalis, quæ est immediata divinæ naturæ participatio.

5. Quia corpus humanũ mortuum nõ potest resurgere per solam extrinsecã divinã volũtatẽ.

66. Probatur quintò. Quia si homo moriatur in corpore per separationem animæ, non potest miraculosè resurgere ad vitam per solam extrinsecam resurrectionem voluntatis divinæ; sed necessarium est, quod Deus illi iterùm infundat animam. Ergo si homo justus moriatur in animâ per separationem gratiæ, quæ illius dicitur vita, non poterit adhuc supernaturaliter à peccati morte resurgere, & ab omnibus illis, quæ peccatum consequuntur; nisi Deus iterùm infundat gratiam. Audiatur disparitatis ratio, & poterit consequens ulteriùs facilè promoveri.

6. Probatur, & præjacta ratio firmatur à paritate deperditę sanitatis, nullatenus restituẽdæ per solam extrinsecam Dei volũtatem.

67. Probatur sextò & simul præjacta ratio firmatur. Sicut extraordinaria potentia in agendo se habet comparativè ad res, quæ de facto juxtà naturæ exigentiam occurrunt; sic extraordinaria Dei potentia se haberet in operando comparativè ad res supernaturales, & earum effectus, qui de facto contingunt. Sed si Deus velit v. g. miraculosè sanitatem deperditam restituere, non præstat; imò nec præstare potest solâ extrinsecâ voluntate; necessariò debet ponere adæquationem humorum, in quâ sanitas de facto consistit; & si velit restituere visum cœco, hoc non præstat extrinsecè tantùm, imò nec præstare valet, nisi intrinsecè restituendo visivam potentiam, vel (in aliorum sententiâ) dispositiones ad videndum; & idem constat de resurrectione hominis, ut suprà dictum est. Ergo si de facto in ordine supernaturali homo non est sanctus, nec dignus gloriâ, nec filius adoptivus, nec remittitur peccatum nisi per formam intrinsecam, quæ formaliter similes præstat effectus, non poterit adhuc de extraordinariâ potentiâ tales effectus præstare formaliter per suam solam extrinsecam voluntatem.

Non valet dicere, præjactos effectus posse præstari moraliter.

68. Quod si dicas: Non potest tales effectus physicè; potest tamen præstare moraliter reponam ego: Ergo poterit etiam præstare, quod homo resurgat moraliter per extrinsecam resurrectionem absque infusione animæ; & quod sit moraliter sanus per sanitatem extrinsecam absque eo, quod adæquentur humores; & quod sit videns moraliter absque eo, quod restituat potentiam visivam, vel dispositiones: Et similiter quod aqua sit calida per solam voluntatem extrinsecam, & alia hujusmodi: Quia sicut de facto ad omnes istos effectus naturales concedimus formas intrinsecas physicas, & naturales; sic ad illos effectus, de quibus disputamus hîc, de facto concedunt Concilium, Sancti Patres, & Theologi omnes formam intrinsecam gratiæ. Ex his relinquo aliqua vobis mediocri labore excogitanda.

moraliter.

LECTIO III.

Ex principiis jactis contraria fundamenta convelluntur.

Arguit P. Ripalda. Quia in pœnitentiæ Sacramento remittitur peccatum per solam extrinsecã condonationẽ.

69. COntradicit primò P. Ripalda. Deus in Sacramento Pœnitentiæ remittit peccatum per solam extrinsecam condonationem. Ergo & in nostro casu erit divinitùs possibilis extrinseca condonatio. Probatur antecedens. In Sacramento Pœnitentiæ nihil infunditur pœnitenti, quod sit incompossibile cum peccato veniali ex naturâ rei. Ergo remissio illius non fit per infusionem gratiæ incompossibilis cum ipso. Probatur antecedens. In Sacramento Pœnitentiæ nec gratia habitualis, quæ infunditur virtute Sacramenti, nec actus pœnitentiæ requisitus, sunt ex naturâ suâ incompossibiles cum peccato veniali. De gratiâ res clara videtur. Quod autem veniale non deleatur per attritionem, vel actum pœnitentiæ requisitum, probatur. Si enim attritio, vel actus pœnitentiæ pugnaret cum peccato veniali, nunquàm deleretur veniale peccatum virtute Sacramenti pœnitentiæ: Siquidem attritio, vel contritio peccati venialis existunt ante susceptum Sacramentum. Tunc sic. Sed in homine de peccatis venialibus pœnitenti, nihil resistit intrinsecum, quod cum veniali peccato ex naturâ rei possit repugnare, præter gratiam habitualem, & dolorem supernaturalem. Ergo.

Nego assumptum. Nec valet paritas à

70. Respondeo negando antecedens. Ad probationem, & alia, ut breviter, & paucis satisfaciam, dico, peccatum veniale non posse remitti, nisi per actum peccatoris,

veniali peccato nullatenùs remittendo nisi per actũ peccatoris.

cătoris, quo formaliter, vel saltem virtualiter detestetur; quia dum ad creaturam conversio perseverat, & illi adhæret homo, veniale peccatum deleri non potest: Nam, ut benè Doctor Angelicus 3. parte, quæst. 87. artic. 1. sicut peccatum mortale remitti non potest, quandiu voluntas peccato cohæret; ita etiam nec veniale peccatum; quia causâ manente, manet effectus: Est tamen differentia inter remissionem mortalis, & venialis peccati: Primò. Quia pœnitentia de peccatis mortalibus requirit, quod homo ab omnibus, & singulis peccatis mortalibus abstinere proponat; sed ad venialium pœnitentiam dumtaxat requiritur, quod proponat à singulis abstinere; non tamen ab omnibus; quia hoc humana infirmitas absque speciali privilegio non patitur. Secundò. Quia ad remissionem venialium non requiritur, quod aliqua habitualis gratia infundatur; sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis. Quia tamen in habentibus usum liberi arbitrii, in quibus solùm possunt esse venialia, non contingit, esse infusionem gratiæ sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, & in peccatum; ideò quandocumque de novo infunditur gratia, remittuntur peccata venialia, non quidem ex incompossibilitate gratiæ cum illis; sed ex motu charitatis, & contritionis.

In habẽte mortalia, & in illis perseverãte, nullũ veniale remittitur quãvis de illo habeat attritionem.

71. Ad illud autem de Sacramento pœnitentiæ respondeo, quod in habente mortalia, nullum remittitur veniale peccatum, dum in mortali perseverat, quamvis de veniali homo habeat attritionem. Ratio est. Quia, ut Apostolus ait ad Romanos 4. ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum; quod quidem Glossa ibi exponit de veniali: Ille autem, qui est in peccato mortali, caret divinâ gratiâ, ut ex illâ eliciat actum dignum remissione venialium. In Sacramento autem remittuntur venialia; non tamen sine displicentiâ vel formali, vel virtuali, quæ in contritione perfectâ continetur. Quod si antequàm suscipiatur Sacramentum, non perfectam contritionem actus doloris attingat, posteà virtute Sacramenti fit remissio peccatorum, dummodò non ponatur obex, sive impedimentum; & hanc efficaciam habet Pœnitentiæ Sacramentum.

Virtute gratiæ remittitur mortale; nõ autem veniale, nisi positâ de illo displicentiâ.

72. Instabis. Peccatum mortale, quod difficilius est, per virtutem gratiæ remittitur. Ergo multò meliùs per gratiam poterit remitti veniale. Distinguo consequens; manente actu voluntatis ad creaturam conversæ, nego: Positâ displicentiâ de illo, concedo consequentiam. Igitur quod veniale peccatum non remittatur, non est ex defectu gratiæ; sed ex defectu illius, cui est remittendum, in quo impedimentum remissionis invenitur.

Habituale peccatum quantum ad actum moraliter perseverãte, consistit in actuali prætermissione, & nõ cõdonatione; sed non quantum ad maculam.

73. Contradicit secundò. Peccatum habituale grave nihil est aliud, quàm præteritio peccati actualis, & non condonatio Dei. Ergo positâ solâ extrinsecâ condonatione Dei, etsi habitualis gratia non infundatur, destruetur peccatum habituale: Quia destructâ parte essentiali rei, non potest ista perseverare. Respondeo distinguendo antecedens; peccatum habituale quantùm ad maculam, quam infert, nego: Quantùm ad actum moraliter perseverantem, concedo antecedens quoad primam partem, & nego quoad secundam. Ratio est. Quia, ut ex dictis constat, aliud est peccatum, quod fuit causa maculæ; & aliud est macula relicta in animâ, quæ, ut plenè remittatur peccatum, necesse est, ut tollatur; macula quidem est privatio gratiæ ut imputabilis ipsi peccatori; quia se per proprium actum gratiâ privavit, quæ est nitor, & splendor animæ: Jam verò ut ista tollatur, nemo non videt, quàm necessaria sit gratia.

Falsũ cẽseo, carẽtiã cõdonationis cõstituere habituale peccatum.

74. Hinc nescio, quo fundamento Recentiores aliqui supponant, non condonationem, sive carentiam condonationis constituere essentialiter peccatum habituale: Censeo, esse omninò falsum. Ratio est. Quia Deus justè indignatur peccatori propter peccatum moraliter perseverans. Sed quod Deus non condonet peccatum, non potest esse ratio formalis, quâ Deus indignetur peccatori; sicut nec potest esse ratio formalis, cur peccator sit malus moraliter; sed potiùs indignatur, quia illud commisit, & retractationem de illo non offert. Ergo peccatum habituale potiùs constituitur per ipsum actum præteritum, connotando saltem carentiam retractationis. Ergo non per carentiam condonationis.

Deus potest remittere peccatũ, existenti in purâ naturâ; sed eum supra elevando.

75. Contradicit tertiò. Quia Deus potest remittere peccatum existenti in purâ naturâ. Sed homini existenti in purâ naturâ non potest infundi gratia. Ergo solùm posset per extrinsecam condonationem remitti peccatum. Probatur antecedens. Quia Deus ut author naturæ potest cum homine amicitiam inire. Ergo poterit avertere inimicitiam ab homine. Respondeo concessâ majori, distinguendo minorem: Manente homine in propriâ naturâ, nego: Ipsum elevando supra naturam, concedo minorem. Ratio est. Quia amor Dei specialis non potest intelligi absque eo, quod bonum largiatur illi, quem diligit: Jam verò cum amor, quo Deus vult homini remittere offensam, sit specialissimus, non potest intelligi absque aliquo

dono; hoc autem donum naturale esse non potest; quia ad infinitam expiandam offensam nullum donum naturale formaliter valet; sed necessariò debet esse supernaturale; hoc autem est gratia.

Dispar est ratio inter Deum & hominem condonantes offensam.

76. Contradicit quartò. Homo potest; imò de facto alteri homini remittit offensam per solam condonationem extrinsecam. Ergo & Deus poterit. Nego consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia ut homo alteri sibi inimico remittat offensam, movetur vel ex bonitate verè præexistenti, vel ex bonitate, quam apprehendit; & inde est, quod dilectio hominis non causat rei bonitatem; sed ipsam ad remissionis bonum præsupponit; at verò bonum creaturæ provenit ex voluntate divinâ; & ideò ex dilectione Dei, quâ vult creaturæ bonum remissionis, profluit aliquod bonum in creaturâ; & hoc est gratia. Unde non potest intelligi in Deo amor specialis vel accipiendi hominem in suam gratiam, vel remittendi offensam, quin talis amor appareat in opere.

Bonitas objecti amati præsupponitur amori creato; dicimus autè in dilecto causat bonitatē.

77. Contradicit quintò. Genesis 39. dicitur, quod Dominus dedit Joseph gratiam in conspectu Principis carceris. Sed per hoc, quod dicitur homo alterius hominis gratiam habere, nihil ponitur in habente gratiam alterius; sed in eo, cujus gratiam habet quædam ponitur acceptatio. Ergo per hoc, quod homo dicitur habere gratiam Dei, non est necesse ponere aliquid; sed solùm significatur acceptatio divina. Hoc argumento etiam probatur, posse de facto intelligi, hominem Dei gratiam habere sine eo, quod homini aliquid infundatur: Cujus oppositum definitum in Concilio Tridentino cap. 7. ubi supra, expenso in Quæstione præjactâ. Respondeo tamen, quod etiam in homine non potest intelligi, quod habeat gratiam alterius, quin sit in illo aliquid, quod sit alteri gratum; sicut dicitur de eo, qui habet gratiam Dei. Hæc tamen in utroque casu intervenit differentia; quia illud, quod alicui homini gratum est in alio, ejus præsupponitur dilectioni; at verò quod est Deo gratum in homine, causatur ex dilectione divinâ.

Do disparitatē inter Deum media gratiâ animā vivificantē, & inter animām immediatè vivificātē corpus.

78. Contradicit sextò. Sicut anima corpus vivificat, ita Deus justificat animam. Sed anima non vivificat corpus per aliquod medium inter ipsum, & animam. Ergo ut Deus vivificet animam, non est necessarium, aliquod ponere medium inter Deum, & animam interveniens: Unde absque eo, quod mediet donum gratiæ, Deus poterit se ipso animam vivificare. Respondeo negando paritatem. Quia Deus est vita animæ per modum causæ efficientis; at verò anima est vita corporis per modum causæ formalis: Inter formam autem, & materiam non cadit aliquod medium; quia cum forma per se ipsam sit actus, per se ipsam actuat, seu informat materiam, vel subjectum absque illo glutine unionis superadditæ, quod aliqui Recentiores adstruunt, contra quos latissimè egi in Philosophiâ. Attamen causa efficiens non informat, nec immutat subjectum per suam substantiam; sed per formam, quam in illo causat.

LECTIO IV.

Consectaria aliqua.

Deus adhuc in adultis nō potest peccatum actuale remittere sine actu formali pœnitentiæ.

79. Probabile est, Deum non posse adhuc in adultis remittere peccatum actuale sine actu formali pœnitentiæ. Hæc Conclusio est etiam Divi Thomæ, quam aliqui Doctores sequuntur. Sunt tamen pro parte contrariâ gravissimi, & omninò plures Recentiores; Scotus in 4. distinct. 1. Oxamus, Gabriel, eximius Suarez, Vasquez, Eminentissimus Lugo, Dicastillo, Ripalda, & alii.

Suadetur ex S. Thomâ 3. p. q. 86. art. 2.

80. Probatur tamen primò authoritate Divi Thomæ 3. parte, quæst. 86. artic. 2. ubi sic ait: *Dicendum, quod impossibile est, peccatum actuale mortale sine pœnitentiâ remitti, loquendo de pœnitentiâ, quæ est virtus.* Et paulò inferius ibidem ait: *Et ideo impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentiâ, secundùm quod est virtus.* Ita ibi. Sed non dicitur absolutè impossibile, quando in Deo est absoluta potentia ad illud. Ergo sentit Sanctus Doctor, quodDeus non potest peccatum actuale remittere absque retractatione peccatoris, etiam de potentiâ absolutâ.

Deinde quia implicat, peccatum remitti homini, illud retractare nolenti.

81. Probatur secundò. Quia implicat, quod Deus etiam de potentiâ absolutâ remittat peccatum homini, illud positivè retractare nolenti, & se ad Deum convertere renuenti. Sed si Deus posset divinitùs remittere peccatum absque retractatione peccatoris, posset etiam remittere illud, etiam quando positivè nollet retractare peccatum, & se ad Deum convertere. Ergo. Probatur minor. Quia peccator, gravi peccato commisso, de illo statim conteri non tenetur, nec statim confiteri. Ergo etiamsi quando non obligatur ad actum pœnitentiæ, nolit positivè retractare, & se ad Deum convertere, non peccabit graviter. Tunc sic. Ergo tunc nullum erit impedimentum, quominùs Deus possit remittere peccatum præteritum, de quo non vult pœnitere. Patet conse-

consequentia. Quia tunc nullam habet actualem oppositionem cum gratiâ, nec cum voluntate donandi gratiam: Quia in sententiâ plurium ex Adversariis solùm dum homo actualiter peccat, implicat pro illo instanti remissio. Sed valde difficile videtur, quod Deus de potentiâ absolutâ velit in amicum assumere hominem suæ amicitiæ resistentem positivè; & peccatum remittere ei, qui positivè non vult, ut Deus illi condonet peccatum. Ergo retractatio peccatoris est etiam divinitùs omninò necessaria.

Rursùs quia nequit divinitùs remitti Dei offensa absque actuali peccatoris retractatione.

82. Probatur tertiò efficaciter. Quia implicat etiam de potentiâ absolutâ, quod Deus remittat peccatum, nisi remittat offensam, ut ex ipsis terminis patet. Sed non potest Deus remittere offensam sine actuali peccatoris retractatione. Ergo. Probatur minor. Quia ratio offensæ stat in conversione à Deo, & conversione ad creaturam; ex eo videlicèt quod peccator gratiæ, & divinæ amicitiæ donum quasi contempserit, & proprio actu se ad creaturam converterit. Ergo dummodò illa ad creaturam conversio non tollitur; sed moraliter perseverat, non poterit offensa tolli, atque remitti. Patet consequentia. Quia, ut communiter dicitur, res per easdem causas, per quas dissolvitur, fit; vel per alias saltem, quæ illarum possint supplere defectum. Tunc sic primò. Atqui non potest illa tolli conversio per solam Dei voluntatem, nec per infusionem gratiæ. Ergo. Probatur subsumpta minor. Ex eo, quod aliquod corpus motu locali accedat ad aliquem terminum, implicat, quod absque motu illius recedat, nec per solam voluntatem Dei, nisi hæc imprimat impulsum, quo moveatur; nec per aliquam formam, nisi hæc illud moveat. Ergo accessus ille solùm potest quasi destrui, & retractari per recessum, qui est motus contrarius, quem nec sola voluntas extrinsecè, nec forma aliqua infusa potest præstare formaliter. Tunc sic secundò. Atqui illa peccatoris conversio nihil omninò est præter voluntarium hominis ad creaturam accessum contra legem Dei. Ergo quantumcumque ponatur sola divina voluntas, & quantumcumque per possibile, vel impossibile gratia poneretur, tandiu moraliter ille voluntarius ad creaturam durabit accessus, & tandiu homo ex tali accessu in creaturâ tamquàm in termino perseveraverit, quandiu non ponitur voluntarius à creaturâ recessus, qui est fuga, & illius conversionis, & accessûs detestatio formalis. Atqui illâ conversione moraliter perseverante, non datur intelligi, quomodò tollatur offensa, quæ sicut primò fuit ex illâ conversione, sic perseverat ex illius perseverantiâ. Ergo.

83. Probatur quartò etiam efficaciter. Quia macula peccati non stat in privatione gratiæ utcumque, sed in illius privatione ut imputabili, & culpabili peccatori. Sed est imputabilis, & culpabilis ex eo, quod manet moraliter actus ille voluntatis, per quem perdidit gratiam. Ergo ad illam maculam tollendam necesse est, non solùm tollere privationem gratiæ; Sed illam imputabilitatem. Tunc sic. Sed licet per gratiam tollatur formaliter ejus privatio, imputabilitas activa privationis non tollitur, nisi tollatur id, ratione cujus imputabatur privatio. Hoc autem erat actus non retractatus per pœnitentiam. Ergo nisi ponatur actus retractationis, implicat, tolli maculam, nec poni remissionem peccati.

Præterea quia peccati macula stat in privatione gratiæ ut imputabili peccatori.

LECTIO V.

Argumenta contraria solvuntur.

84. Arguitur primò. Tam potest divina voluntas ad destructionem suæ injuriæ, quàm est potens creata, sed voluntas creata potest remittere offensam sibi irrogatam, quin illam retractet offendens. Ergo etiam divina voluntas. Respondeo. Concessis majori, & minori, negando consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia offensa directè opponitur gratiæ: ex hoc enim dicitur aliquis esse alteri offensus, quod iste eum à suâ gratiâ repellit; gratia autem hominis, & gratia Dei, ex dictis constat, quod in eo differant; quod nimirùm gratia, sive bona voluntas hominis non causat, sed præsupponit bonitatem veram vel apparentem in homine, qui ipsi dicitur gratus: At verò divina gratia causat bonitate in homine, illum Deo gratum efficiendo, eò quod Dei bona voluntas, quæ in ratione gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam, quâ est offensus alicui, sine aliquâ immutatione voluntatis ejus, eo solùm quod aliquam in illo videat bonitatem: non autem potest contingere, quod Deus homini condonet offensam sine immutatione voluntatis ejus. Ratio est. Quia offensa peccati mortalis stat in eo, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad bonum aliquod commutabile: sic autem ad remissionem divinæ offensæ requiritur, quod voluntas hominis sic immutetur, ut cùm prædictæ conversionis detestatione convertatur ad Deum. Offensa autem homi-

Summa est distantia inter voluntatem creatâ remittentem sibi irrogatam offensâ, absque illius retractatione; & inter Deum.

nis non ita se habet ; quia potest quis illam compensare, exhibendo obsequium exterius, quamvis interius inimicum non retractet affectum ; imò quamvis interius de tali gaudeat offensâ; ut in vindicativâ justitiâ posset pluribus exemplis ostendi.

Deus potest gratiã conservare, omni volũtatis motu cessante; sed nõ infundere peccatori impœnitẽti.

85. Arguitur secundò. Gratia conservatur à Deo, omni voluntatis motu cessante, ut patet in justo dormiente. Ergo & primò poterit infundi peccatori sine omni actu pœnitentiæ. Multum hîc probatur. Quia cùm id facto contingat, posset etiam dici, quod de facto primò infunditur gratia peccatori absque omni actu pœnitentiæ, quod est falsum. Respondeo tamen, antecedenti concesso, negando consequentiam. Ratio est. Quia ad primum fieri gratiæ requiritur, quod voluntas à Deo aversa per conversionem ad creaturam, immutetur, ut lumen, & decorem gratiæ recipiat: sicut ut primò illuminetur aër, requiritur motus Solis, quo fiat aëri præsens ; illo verò præsente, lumen in aëre conservatur : Unde etiamsi non moverentur Sol, & Aër posset esse, & esset lumen in Aëre, Sole præsente : Sic similiter ad gratiæ conservationem non requiritur ulla mutatio voluntatis.

Do ratione, cur Deus pueris gratiam infundat absq; ullo actu; non autem adultis.

86. Arguitur tertiò. Gratia primò infunditur pueris sine ullo actu voluntatis. Ergo & adultis potest divinitus saltem infundi. Nego consequentiam. Ratio est. Quia originale puerorum peccatum consistit in maculâ, quæ causata non est per pueri conversionem ad creaturam ; sic autem ille non indiget retractatione : non sic in adultis, quibus per proprium actum macula imputatur.

Non valet paritas à sole aërẽ illuminãte, nullã in hoc præcedẽte præparatione.

87. Arguitur quartò. Deus est potentior omni agente creato. Sed Sol materialis suum lumen communicat aëri, nullâ in isto præcedente præparatione. Ergo & Deus à fortiori lumen gratiæ poterit infundere animæ sine omni dispositione, quæ fit per actũ liberi arbitrii. Respondeo negando paritatẽ. Ratio est. Quia aër est in ultimâ dispositione secundùm suam naturam ad recipiendum lumẽ ratione suæ diaphanitatis; & ideo ad præsentiam illuminantis sine aliquâ aliâ dispositione statim illuminatur, nisi fortè requiratur remotio prohibentis. At verò anima cùm sit ex proprio actu deordinata, indiget, ut dictũ est, illius retractatione, ut ad æqualitatem debitam reducatur.

OPUSCULUM IV.

De Augustissimo, atque Inscrutabili Divinæ Trinitatis Mysterio.

QUÆSTIO I.

Quare Mysterium Trinitatis non dissonet naturali rationi? Ubi aliqua de principio syllogistico, & universali.

MULTA hìc à Doctoribus spatioso calamo traduntur, quæ nos breviter expedire conabimur. Est igitur difficultas, quomodò cum principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*: sit certissimum, salvari queat, quod Mysterium Trinitatis, in quo principium illud omninò fallit, possit ita componi cum naturali ratione, ut ei non repugnet.

LECTIO I.

Dicta Theologorum.

Capreolus Trinitatis mysterium cum naturali ratione conciliat, sed rejicitur.

1. PRimò Capreolus apud Valentiam disp. 2. q. 2. puncto 4. Mysterium Trinitatis cum ratione naturali conciliat: quia principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Venit intelligendum de his, quæ sunt eadem re, & ratione cùm uno tertio: Personalitates autem divinæ licet in re sint idem cum naturâ divinâ; differunt tamen ratione: unde fit, quod distinctio personarum in unâ, & eâdem indivisibili essentiâ, non contrarietur naturali rationi. Et confirmat exemplo. Nam actio, & passio (inquit ille) realiter differunt inter se, etsi realiter identificentur cum motu. Verùm hæc Capreoli cogitatio communiter rejicitur. Tum quia distinctio rationis extremorum à tertio, quantumvis impedire valeat identitatem rationis inter se; non tamen valet impedire identitatem realem inter se, si semel ponuntur realiter identificata cum tertio. Tum quia intellectio & volitio in Deo ratione differunt à Paternitate, & tamen non differunt realiter inter se. Tum quia exemplum actionis, & passionis nihil ad intentum convincit: Vel enim motus est, quid realiter indivisibile, vel divisibile, & compositum ex pluribus realiter inter se distinctis? Si primum: Ergo in creatis corruit principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Et consequenter tota syllogistica fabrica; quod nunquam à sœculo fuit auditum. Si secundum: exemplum non est ad rem, de quâ agitur; nimirùm de tertio indivisibili; scilicet naturâ divinâ. Malè ergo infertur ex identitate partium in toto omnimoda partium identitas inter se.

Nec Eminentissimi Cajetani ratio satisfacit.

2. Secundò asserit Eminentissimus Cajetanus apud eundem Valentiam citatum à P. Borrull. disput. 2. Trinitatem divinam censeri concordem naturali rationi: quia ex eo principio, scilicet *quæ sunt eadem uni tertio, &c.* tantùm sequitur esse idem inter se, in eo, quod est esse idem cum tertio: Unde ex eo principio Personalitates divinæ inferuntur inter se indistinctæ solùm in eo, quod est identificari cum eâdem indivisibili naturâ. Sed nec ratio Cajetani satisfacit. Quia ex identitate duorum cum tertio, vis syllogistica non tentat inferre convenientiam eorum cum tertio, sed ex eâ convenientiâ in præmissis stabilitâ, evincit identitatem extremorum inter se: aliter ex his præmissis: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo*, non sequeretur hæc conclusio: *Ergo Petrus est animal*: sed ista, *Ergo Petrus, & animal sunt idem cum homine*: quod quidem alienum est ab omnibus Doctoribus.

Respõdet Acutissimus Vasquez, vim syllogisticam non inniti illi principio *quæ sunt eadē &c.* sed in illo *dici de omni, &c.*

3. Tertiò respondet P. Vasquez disput. 123. num. 6. Vim & efficaciam Syllogisticam innixam non esse illi principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Sed fundari in illo alio: *Dici de omni, dici de nullo*: Idest: prædicatum, quod verè dicitur de subjecto universali, ut *animal* de omni homine, etiam verè dicitur de quolibet singulari, v. g. de Petro, Paulo, &c. & prædicatum, quod non dicitur de subjecto universali, v. g. *lapis*, qui de nullo homine dicitur, nec de singularibus dicitur, v. g. de Petro, Paulo, &c. Cœterùm ratio hæc nec præsenti difficultati omninò quadrat: Quia licet verum sit, quod structura syllogistica pendeat ab illis duobus principiis, *dici de omni, & dici de nullo*; eo

quod ad vim syllogisticam deserviant conversio, æquipollentia, & alia hujusmodi, quibus sine propositionibus affectis signo universali, & particulari, explicari non possunt; nihilominùs omnia ista supponunt principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.*

In hoc syllogismo *Omnis homo est animal, Petrus est homo, &c.* ly *homo* est 3. ly *omnis* supponit idẽ titatem animalis cũ homine, & simul individuorum cum homine.

4. Unde inferes duo: Primum, quod homo est tertium cum quo identificantur *animal*, & simul *Petrus* ad hoc, ut per rectam medii distributionem concludatur identitas extremorum inter se, ut apparet in hâc conclusione: *Ergo Petrus est animal.* Secundum est, propositionem affectam signo illo universalitatis nimirùm ly *omnis*, supponere priùs identitatem animalis cum homine, & simul identitatem individuorum cum ipso homine: ac proinde priùs verificatur principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* quàm illa duo: *dici de omni, dici de nullo:* imò propriè loquendo, particula *omnis* in majori universali non videtur ingredi rationem medii: quia redderet falsam minorem hanc: *Sed Petrus est homo:* quia cum juxta eam Dialecticorum regulam *Sub, Pre, Prima*, medium debeat esse in majori, & minori; hæc minor: *Petrus est homo*, redderet hunc sensum: *Sed Petrus est omnis homo.*

Dices ergo ly *homo* in majori supponit universaliter, & in minori singulariter; sic autem non salvabitur illa regula *sub pra, prima.*

5. Dices etiam secluso ly *omnis*, sensus efficitur falsus in hoc syllogismo: *Homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Ratio. Quia in majori ly *homo* est medium universale, & universaliter suppositum: in minori verò solùm potest supponere singulariter; sic autem nunquam salvabitur regula illa, *sub, pre, prima*, ad verificandum principium illud, cùm nunquam sit idem medium in majori & minori. Hâc instantiâ nonnulli valdè implicantur: quia ex uno capite, quidquid identificatur cum singulari, singulare quidem est. Sed in dictâ minori natura humana identificatur cum singulari: Ergo in minori ly *homo* solùm supponitur singulariter. Ex alio verò capite, nisi ly *homo* in minori universaliter supponatur corruere videntur omnia communia principia: Tum quia non est idem medium: Tum quia suppositione variatâ variatur medium: Tum quia nulla daretur prædicatio secundi prædicabilis; quia hæc debet esse de prædicato universali, & non de singulari,

Dicũt RR aliqui illâ minorem habere sensum disjunctivum; hic autem repugnat Petro.

6. Propterea aliqui Recentiores, ut se ab illis nodis expedirent, dixerunt minorem hanc in sensu disjunctivo accipiendam esse: minor, de quâ loquimur est hæc: *sed Petrus est homo*: ita ut sensus esset hic: *Petrus est hic vel ille homo: Petrus est Paulus, vel Joannes.* Verum de doctrinâ hâc nihil dicendum occurrit præter dicta in Logicâ: quantùm verò hic ad nos attinet, non satis percipimus primò, quo pacto Petrus, qui per sua intrinseca prædicata clarè & explicitè est hic homo determinatè, possit esse ille, vel alius homo sub disjunctione. Secundò: Quia usus particulæ disjunctivæ apud Dialecticos semper locum obtinuit inter extrema possibilia; v. g. hæc propositio *homo currit*, resolvitur sic: vel Petrus, vel Paulus currit, quia possibile & contingens est, Petrum currere, & quod non currat: aliàs esset inutilis particula *vel* ad veritatem disjunctivam: cùm ergo non sit possibile, Petrum esse Paulum, vel Franciscum; certè non video, quâ ratione hæc propositio: *Petrus est homo*, sit vera, hoc modo etiam resolvendo: *Petrus est hic, vel ille homo.*

Dico ergo in illâ propositione naturam humanam esse unam specificè, & ex alio capite singularem.

7. Jam verò quo pacto, & propria Dialectica de medio universali, & veritas dictæ propositionis minoris salventur, expensum, & explicatum est in Philosophiâ, pro nunc verò breviter dico, naturam humanam in dictâ propositione esse unam unitate specificâ, & ex alio capite esse singularem: est una in dictâ propositione: *Petrus est homo*, prout talis natura est in conceptu, aut verbo mentis: singularis est, prout identificatur cum Petro, & hoc modo salvatur, quâ ratione una, & eadem natura prædicetur de pluribus; quod omninò requiritur ad communem doctrinam universalium: nam quod prædicatur de Petro, & Paulo, est unum, & idem secundùm esse, quod habet ex illâ specie, seu verbo mentis: salvatur etiam, quo pacto, quod realiter identificatur cum Petro, non identificetur cum Paulo: quia natura humana prout existit non in specie expressâ, seu conceptu mentis; sed in Petro, & extra intellectum, est singularis, & nullo modo potest identificari cum Paulo.

Hinc datur intelligi quo pacto natura humana sit una, & multiplex

8. Hinc datur intelligi primò, quâ ratione natura humana sit una, & multiplex: est quidem una secundùm illud esse, quod habet in illâ specie expressâ, sive (quod idem est) in verbo mentis, in quo objicitur intellectui absque ullâ singularitate; cùm verbum illud sit dumtaxat repræsentativum, sive expressivum naturæ humanæ, non verò sit neque expressivum, neque repræsentativum singularitatis: quamobrem repræsentat solum naturam humanam, nullam autem singularitatem; sicuti verbum hoc ore prolatum, scilicet *homo*, solùm est impositum ad significandum hominem sine singularitate: quia id loquimur linguâ, quod mente intelligimus. Est quidem multiplex: quia natura humana, quæ secundùm esse intentionale ob rationem dictam est una, secundùm esse proprium extra intellectum, pluries existit: existit enim in Petro, & sic natura Petri est distincta realiter à Paulo; & è converso idem est de câ naturâ in Paulo.

Item qua ratione Petrus & Paulus in specie cõveniant.

9. Secundò datur intelligi, quâ ratione Petrus & Paulus convenire dicantur in specie humanâ, vel quod non differant specie. Hæc enim verificantur ex eo, quod ea species intentionalis, & expressa, in quâ sola humana

humana natura objicitur intellectui; non fit magis species Petri, quàm Pauli; sed æquè omnibus hominibus communis, eo quod quilibet homo habeat, quidquid in hác specie repræsentatur, licet nullus homo habeat medium, quo natura humana in tali specie repræsentatur. Ratio est. Quia in tali specie, seu verbo cognoscitur absque ullâ singularitate; & ideò, ut constat ex Logicâ, homo dicitur communis & universalis secundùm esse, quod habet in intellectu, seu in illo verbo. At verò homo extra intellectum, hunc modum essendi non habet: nam in Petro est singulariter, & singulariter in Paulo, &c.

Rursùs quomodò *Petrus est homo*, pertineat ad 2. prædicabile.

10. Tertiò datur intelligi, quomodò propositio hæc: *Petrus est homo*, sit prædicatio pertinens ad secundum prædicabile. Ratio est. Quia ly *homo* quod ponitur ex parte prædicati dupliciter accipitur: primò significat naturam humanam existentem in illâ specie; & cum talis species sit communis omnibus hominibus; nec homo, qui in illâ objicitur habeat multiplicitatem essendi; ideò dicitur universalis prædicatio; & pertinens ad secundum prædicabile. Secundò ly *homo* significat naturam humanam, prout determinatur per copulam *est* in tali propositione; & ut sic ly *homo* limitatur ad significandam naturam humanam identificatam cum Petro.

Præterea quo pacto sit idem medium in illo syllogismo.

11. Quartò datur intelligi, quomodò servetur idem medium in hoc syllogismo: *homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Ratio est. Quia tam vox *homo* posita in prædicato minoris, significat eodem modo hominem, qui est unus in specie expresâ intellectûs, licet in individuis sit multiplex: Jam verò cùm medium stet solùm in illo, quod significatur per terminum; & terminus *homo* tam in majori, quàm in minori, significet idem, & eodem modo, inde est, quod nunquam varietur medium.

Deinde aliud est, hominem prædicatû de Petro esse particularem; & nõ prędicari ut particularem, vel ut universalem.

12. Quintò datur intelligi, aliud esse hominem, qui prædicatur de Petro, esse particularem: & aliud quod *homo* prædicetur de Petro ut particularis, vel quod prædicetur de Petro ut universalis: in quo possent nonnulli facilè decipi: quia prædicatum debet inesse subjecto, de quo dicitur: ergo homo, qui dicitur de Petro, inest Petro. Sed quod inest Petro, non inest Paulo, cùm eadem res numero non possit esse in pluribus numero distinctis. Ergo homo, qui prædicatur de Petro est particularis, & sic de aliis. Ratio secundi est. Quia terminus idem prædicat, quod significat. Ergo qualiter significat, taliter prædicat. Sed in hâc propositione: *Petrus est homo*; terminus *homo* significat naturam humanam: secundùm se; non verò significat naturam ut universalem, neque ut particularem. Ergo in tali propositione non prædicatur homo ut universalis, nec ut particularis; licet certum sit, quod homo, qui prædicatur de Petro, sit particularis in Petro, & sit universalis, prout est in specie, seu verbo mentis.

Egregium profero Angelici testimonium doctrinã traditam firmans.

13. Audi Divum Thomam: *Sic homo est in pluribus, & prædicatur de pluribus; non tamen homo unus in numero; sed unus in specie; nam homo qui prædicatur de Socrate, idem est quod Socrates; & qui prædicatur de Platone, idem est quod Plato, cùm prædicatũ insit subjecto, & impossibile sit, unam rem in numero, esse in differentibus; licet homo non prædicetur de Socrate, secundùm quod est particularis: Cujus ratio est: quia terminus idem prædicat, quod significat: Ergo qualiter significat, taliter prædicat. Iste autem terminus homo significat naturam humanam absque omni participatione, & particulari ratione: ergo sic prædicabit eum: non tamen prædicat eam universaliter: quia sicut dictum est supra, intellectus hominis secundùm quod homo, alius est à suâ universalitate.* Et paulò supra ait: *Homo enim secundùm quod homo; nec est universalis, nec particularis: quia si homo, secundùm quod homo, est universalis, jam non posset esse particularis: & si esset particularis, non esset universalis; sicut Socrates qui est singularis, secundùm quod Socrates non potest esse universalis: ergo accidit sibi quod sit singularis, vel universalis.* Ita Divus Thomas. Hæc sufficiat insinuasse, præsertim in puncto, quod in hâc materiâ Scholastici communiter attingunt.

Dices, ergo Petrus & Paulus sunt idem quia verè identificantur cũ homine.

14. Instabis. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se. Sed in hoc Syllogismo: *Petrus est homo: Paulus est homo: ergo Paulus est Petrus*; identificantur cum uno tertio, scilicet *homo*, Petrus, & Paulus. Ergo erunt idem inter se; quod est falsum; ac proinde illud principium: *quæ sunt eadem uni tertio, &c.* falsum erit. Quidquid sit de formâ, figurâ, & modo talis syllogismi: Respondeo, Petrum & Paulum identificari cum tertio; scilicet *homo*, qui est unus in specie, & verbo mentis; non verò, qui est unus extra intellectum: Ut ergo Petrus & Paulus identificarentur inter se realiter, opus erat eos identificari cum aliquo tertio, quod esset unum, & idem à parte rei: hoc autem non contingit: quia *homo* qui prædicatur de Petro, extra intellectum est idem, quod Petrus, & qui prædicatur de Paulo, est idem, quod Paulus, sic autem nunquam identificatur Petrus cum aliquo, quod extra intellectũ sit commune Paulo. Principium autem illud ut suam vim & evidentiam obtineat, debet intelligi de his quæ identificantur realiter cum tertio singulari, sive à parte rei: & nihilominùs fallit in divinis, aut videtur fallere (de quo infra) ubi Pater, & Filius identificanturcum naturâ divinâ unicâ, & singulari, & individuâ; & tamen inter se realiter distinguuntur.

15. Denique

P. Borrull tenet mysterium Triados esse expositionem illius: *quæ sunt eadem, &c.*

15. Denique aliâ viâ procedit ingeniosus Pater Borull disputat. 3. section. 3. qui, ut propriam mentem explicet, notat, regulam generalem non frustrari, eo quod aliquam expressionem patiatur, ut constat Grammaticis, quorum regulæ mille exceptionibus traduntur. Quibus positis, concludit, Mysterium Trinitatis non contrariari naturali rationi, licet non se extendat principium illud ad tale mysterium: quia hoc est exceptio illius Regulæ generalis: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Ratio autem, quam ipse assignat, est: quia inter personalitates, seu personas, quæ sunt idem cum tertio, intercedit ratio producentis, & producti, sufficiens ad impediendam identitatem extremorum inter se. Sed videtur peti principium, de quo quæritur: quia ut fide constat, Mysterium Trinitatis nihil est aliud, quàm quod Pater producat Filium, & Filius producatur à Patre, & ambo producant Spiritum Sanctum; ita ut hæc omnia in eâdem naturâ contingant. Ergo dicere, quod Mysterium Trinitatis est exceptio illius regulæ, & principii naturalis, cò quod intercedit ratio producentis, & producti; est idem ac dicere; quod Mysterium illud altissimum Trinitatis esse exceptionem illius principii: quia est Mysterium Trinitatis.

LECTIO II.

Verior dubitationis Solutio.

Igitur ideo Mysterium Trinitatis non contrariatur huic principio: *quæ sunt eadē. &c.* quia hoc intelligitur de extremis non oppositis relativé, & identificatis cum uno tertio. Sic autem salvatur in divinis.

16. Sit prima conclusio. Ratio, cur mysterium Trinitatis non contrarietur huic principio: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*: Potissima est: quia principium hoc intelligitur de extremis, quæ sine ullâ oppositione relativâ inter se, identificantur cum uno tertio. Quo pacto tam in creatis, quàm in divinis hujusmodi principii veritas salvatur. At verò in Mysterio Trinitatis inter ea, quæ identificantur cum uno tertio divinæ naturæ, relativa intervenit oppositio. Hanc ultimam partem conclusionis firmat Catholica Fides: & sic potiùs est supponenda, quàm probanda.

Principiū enim illud supponit extrema cū tertio identificata: hæc autē identitas lumine naturæ repugnat ex tremis relativè oppositis.

17. Primam ergo conclusionis partem sic suadeo. Quia principium illud naturale: scilicet *quæ sunt eadem uni tertio, &c.* Supponit dari extrema, quæ identificantur cum tertio, ut evidenter concludat identitatem extremorum inter se, aliàs inutiliter fuisset inventum. At qui lumine naturæ nequit supponi, quod extrema, quæ inter se opponuntur, identificantur realiter cum eodem tertio; quin potiùs natura in omnibus suis contrarium ostendit. Ergo principium illud solùm loquitur de his, quæ absque oppositione inter se, identificantur cum tertio. Ergo ex eo nihil inducitur contra Mysterium Trinitatis. Minor probatur. Quia lumine naturæ est universaliter verum, non posse identificari inter se ea, quæ relativè opponuntur; cùm relatio realis sit ad aliud. Sed vi talis principii identitatis extremorum cum tertio, concluditur identitas extremorum inter se. Ergo concluditur tantùm illorum extremorum identitas, quæ inter se relativè non opponuntur.

Deinde quia intellectio, & volitio identificatur realiter cum naturâ divinâ, rectè concluditur identitas inter illas.

18. Secunda pars conclusionis; scilicet, quod etiam in divinis verificatur principium illud: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* facilè probatur. Quia ex eo, quod in Deo intellectio, & volitio identificentur realiter cùm naturâ divinâ, rectè concluditur identitas realis inter intellectionem, & volitionem; & sic de aliis perfectionibus absolutis: de quo vix potest alia ratio reddi; nisi quia tales perfectiones optimè & absque ullâ oppositione reali inter se, identificantur cum eâ naturâ divinâ. Ergo principium illud tam in creatis, quàm in divinis est universaliter verum. Relinquitur ergo, quod in naturâ nullum sit principium universaliter verum oppositum Trinitatis Mysterio, licet in eâ nullum deprehendamus principium, sub quo altissimi hujus Mysterii veritas contineatur. Hoc autem nullatenùs dissonat naturali rationi; cujus ratio ostenditur conclusione sequenti.

Ideo ergo non dissonat mysterium illud naturalis rationis, quia tam in suo esse quàm in esse intelligibili, est supernaturale.

19. Secunda Conclusio sit. Ideò Mysterium Trinitatis non dissonat naturali rationi, defectu principiorum in naturâ; quia tale Mysterium tam in suo esse, quàm in esse intelligibili à nobis est supernaturale. Hæc enim videtur mens Divi Thomæ lib. 4. contra gentes, cap. 1. loquens de his, quæ fide divinâ proponuntur credenda; ait: *Probanda enim sunt hujusmodi authoritate Sacræ Scripturæ; non autem ratione naturali: sed tamen ostendendum est, quod rationi naturali non sunt opposita.* Et paulò infra. *Ut primò scilicet & ea tractentur, quæ de ipso Deo supra rationem credenda proponuntur, sicut est confessio Trinitatis.* Ita ibi. Ex quibus hoc ratiocinium facilè formatur. Id, quod est supra naturam, ac totam rationem intellectûs creati, dicimus, esse supernaturale tam in esse entis, quàm in esse intelligibili. At hujusmodi est Mysterium Trinitatis

nitatis, ut docet hic Divus Thomas. Ergo tale Mysterium est supernaturale tam in esse entis, quàm in esse intelligibili. Atqui quod est supra naturam, non dissonat, nec contrariatur naturæ; & quod est supra rationem naturalem non opponitur naturali rationi. Ergo ratio potissima, cur Trinitatis Mysterium non contrariatur, nec dissonet rationi naturali; est, quia tale Mysterium tam in esse entis, quàm in esse intelligibili est supernaturale.

Deinde ratione probatur in gratiâ sanctificante

20. Probatur secundò. Quia posito principio naturali notissimo; quod scilicet quælibet creatura infinitè distat à Deo, certissimum est, intra sphæram totiùs naturæ nõ contineri virtutem quæ sit radix formæ sanctificantis, quæ creaturam rationalem, non obstante eâ infinitâ distantiâ, in ratione veræ amicitiæ, veræque filiationis uniat cum Deo. Sed licet sit principium certum, hoc ipsum nullatenùs continetur intra terminos ipsius naturæ; non dicimus formam sanctificantem, & alia hujusmodi contrariari naturali rationi: non enim est idem, quid esse supra naturam, ac ipsi opponi naturæ. Ergo.

Firmatur ex obediẽtiali creaturarum omnium potentiâ.

21. Firmatur. Quia (ut constat ex dictis in Tractatu de Sacramentis in genere) creaturæ omnes habent potentiam obedientialem, ut Deus possit de illis, & illis facere ea, quæ sunt supra hunc cursum, & motum rerum naturalium; ut ex Magno Augustino, & Divo Thomâ ibi ostendi. Ergo tali obedientiali potentiâ suppositâ creaturarum, Deus sic operando, naturæ non contrariatur. Consequentia patet. Quia superior non est contrarius subjecto, nec ullam vim irrogat, si de eo disponat plura facere, quæ sibi videntur rationabiliter, etiamsi subjecto, sive subdito ea displiceant, vel ad ejus nutum non sint. Ergo nec Deus contrariatur creaturis, etiamsi de illis, & in illis plura faciat, quæ non sunt juxta earum exigentiam; sed supra illam. Tunc sic. Ex eo quod plures sint effectus Dei qui superant totam naturam, & nullo modo sint juxta ejus exigentiam; optimè probatur, reperiri in causa principali talium effectuum aliquid in suâ entitate superans totam naturam; ac proinde omnia ejus principia. Atqui hoc ipso, quod tales effectus sint supra naturam, & ejus exigentiam, suadetur etiam, non contrariari naturæ, nec dissonare eò, quod deficiant principia ad quid tale faciendum. Ergo ex eo quod in Deo, qui est causa talium effectuum, reperiatur id quod superat naturam tam in esse entis, quàm in esse intelligibili, rectè ostenditur, quod illud nullo modo dissonat naturæ. Jam verò cùm Mysterium Trinitatis sit hujusmodi, & maximum divinitatis arcanum; planè deducitur, Mysterium Trinitatis non dissonare rationali naturali propter suam supernaturalitatem tam in esse entis, quàm in esse intelligibili.

LECTIO III.

Diluuntur Argumenta contraria.

Evidens est lumine naturali non posse identificari cum eâdem numero natura tres personas realiter absolutè distinctas, nõ autem relativè.

22. ARguitur primò contra primam conclusionem. Evidens est lumine naturali, tres personas realiter distinctas, non posse identificari eidem numero naturæ. At oppositum credimus in Trinitatis Mysterio. Ergo vel Mysterium Trinitatis opponitur principio naturaliter vero; vel dicendum est, excipi à regulâ, seu principio generali naturæ. Respondeo, majorem universaliter esse falsam: quia veritas principii universalis in nullo debet deficere; constat autem, tale principium falsificari in divinis; quapropter non potest esse universaliter verum. Vel aliter dicendum est, esse quidem verum de personis absolutè distinctis; at in divinis personæ absolutè distinctæ non sunt; sed tantùm relativè; quia divinæ personæ constituuntur relationibus; quod quidem in personis creatis non contingat. Illud autem, quod dicitur de exceptione alicujus à principio universaliter vero, non videtur habere locum in principiis naturæ universaliter veris; sed solùm in his, quæ ex placito hominum, vel de liberâ aliquâ voluntate pendent, ut contingit in regulis Grammaticorum.

Deus licet sit entitativè supernaturalis; non tamen in esse intelligibili imperfectè, & abstractivè.

23. Arguitur secundò contra secundam conclusionem. Deus ut Author totius naturæ est supra totam naturam; sicut Creator est supra omnes creaturas. Ergo est supernaturalis. Et tamen non est supra naturalia principia intellectûs creati. Ergo licet Mysterium Trinitatis sit supernaturale, non inde sequitur, quod sit supra omnia principia naturalia. Concesso antecedenti, distinguo primum consequens: est supernaturalis in esse entis, concedo: quia Author totius naturæ ut talis, est Deus; Deus autem nequit non esse ens supernaturale entitativè, & in se. Est supernaturalis in esse intelligibili, subdistinguo; in esse imperfectè, & abstractivè intelligibili, nego; clarè, & perfectè, concedo consequentiam. Ratio est. Quia hoc ipso, quod Deus se manifestavit ad extra per effectus naturales, se præbuit nobis naturaliter, sive per tales effectus intelligibilem: quia *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta cõspiciuntur*. Quia tamen intellectus noster pro hoc statu non intelligit res in se; sed mediante verbo mentis, seu conceptu, quem de eis per abstractionem à phantasmatibus efformat; inde est quod Deus non sit nobis intelligibilis perfectè & clarè; sed

solùm abstractivè, & imperfectè ex eo, quod species creaturarum formet conceptus varios de ipso Deo, ut in Tractatu de Animâ, & alibi satis ostendi.

Non inde infertur, mysteriũ Trinitatis esse à nobis naturaliter intelligibile

24. Instabis. Ergo quamvis Mysterium Trinitatis sit supernaturale entitativè & in se, saltem imperfectè, & abstractivè erit à nobis naturaliter intelligibile. Nego consequentiam. Quia adhuc ea, quæ Deo ut Authori naturæ competunt, non possunt à nobis imperfectè concipi nisi per viam & species creaturarum, ut ex alibi dictis constat. Cùm ergo nullus effectus creatus connnectatur cum Deo ut Trino; sed solùm cum Deo ut Uno ob unitatem potentiæ, & virtutis efficientis in Deo: inde est, quod adhuc imperfectè & abstractivè non sit à nobis intelligibile Mysterium Trinitatis.

Quo pacto vel quam vim habebit Doctorum pro Trinitate ratio adversùs infideles.

25. Arguitur tertiò. Mysterium Trinitatis sæpè defenditur à diversis Patribus, & Doctoribus adversùs infideles. Sed apud infideles nihil valet ratio illa; quod scilicet illud Trinitatis Mysterium sit supernaturale; nec alia ratio de fide pendens; nam de hoc est dubium inter illos an sit credendum tale Mysterium. Ergo ad nihilum valet talis adducta ratio. Respondeo, propositionem aliquam dupliciter posse defendi: Primò. per rationem aliquam possibilem, quæ illam suadeat: Secundò negativè, argumenta solvendo, quæ contra illam efformantur. Mysterium autem Trinitatis nec defenditur; imò nec potest à SS. Patribus defensari, aut probari positivè; scilicet per rationem aliquam naturalem, quæ adjillius assensum certò inclinet; sed solùm negativè, idest, ostendendo rationes ex principiis naturalibus, allatas non convincere, nec contra tale mysterium militare: ad quod optima est ratio, quam nos assignamus; Mysterium scilicet hoc non esse contra rationem naturalem; sed supra illam: cùm paritas à creaturis ad Creatorem, à finito ad infinitum, à naturali ad supernaturale, quantùm ad modum essendi minimè valeat: de Deo enim Optimo, Maximo, & Infinito quodcumque maximum cogitemus, infinitè minùs est ipso: Unde opera Dei credibilia sunt nimis.

solùm est contra rationem, quod idẽ se ipsum recipiat In generationibus naturalibus.

26. Arguitur quartò. Contra rationem est, quod idem se ipsum recipiat. Sed Filius per generationem recipit naturam à Patre. Ergo vel Filius est alius à naturâ, quam recipit, vel est contra rationem, eam recipere. Distinguo majorem: In generationibus naturalibus, concedo; in divinâ, & supernaturali, nego majorem. Neque illud principium est universaliter verum; quia in materialibus generalibus materia generati recipit formam à generante: cùm ergo materia prima sit extra sphæram activitatis causæ naturalis generantis, oportet, ut materia geniti præintelligatur tanquam subjectum, principium recipiens formam à generante, ex quo fit, quod sicut forma recepta non est materia recipiens in talibus generationibus, recipiens non possit esse idem, quod recipitur. At in æternâ generatione, quæ eminet supra totam naturam, est ratio longè diversa, ubi solùm peritur distinctio inter producens & productum ratione divinarum relationum.

QUÆSTIO II.

In quonam stet Potentia, seu Principium Quo *Divinarum Processionum?*

NOn vulgari plausu inter Scholasticos agitatur controversia præsens, ut ex ipsâ diversitate opinandi, in quam hinc inde distrahuntur Doctores, facilè innotescet. Ego ut ab inutilibus calamum temperam, disputationem ad ea dumtaxat contraham, quæ pro veritate insequendâ faciliorem nobis aditum aperiant.

LECTIO I.

Sententia Durandi.

Asserit intellectum & voltionem nullatenùs ingredi cõstitutionẽ principii, probatur ex S. Scriptura.

27. PRima in hoc puncto sententiâ est Durandi asserentis, intellectum, & voluntatem nullatenùs pertinere ad constitutionem principii processionum in divinis; unde illarum principium proximum, non essentiam, ut aliqui volunt; sed relationem paternitatis respectu generationis verbi; & relationem spiratoris respectu processionis Spiritûs Sancti, constituit, essentiâ ad utramque processionem se habente ut principio radicali; ita tamen, ut exclusis à Deo per impossibile intellectu, & voluntate, adhuc in ipso manerent generatio Filii, & processio Spiritûs Sancti; & consequenter asserit, processiones in Deo non esse per intellectum, & voluntatem.

Propriè igitur Filius dicitur Verbũ & Spiritus sanct. Amor.

28. Hoc tamen Durandi placitum communiter Doctoribus displicuit. Quare dicendum est, intellectum, & voluntatem, ingredi constitutionem principiorum divinarum processionum; præscindendo tamen pro nunc, an proximè, an verò solùm radicaliter concurrant. Probatur primò. Quia in scripturis Filius dicitur *Verbum*; Psalmo 44. *Eructavit cor meum Verbum bonum*: Joannis 1. *Diligamus nos invicem; quia* CHARITAS *ex Deo est*: Quæ verba intelligit Doctorum Aquila Augustinus de Trini-

Trinitate. Sed *Verbum* est terminus actionis intellectûs, & *Amor* productus est terminus actionis voluntatis; quod nec à Durando negatur. Ergo intellectus, & voluntas concurrunt in divinis ad tales processiones.

Propriè igitur Filius dicitur Verbũ & Spiritus Sãctus amor.

29. Nec exaudienda est Durandi solutio, quatenùs ait, Filium dici *Verbum*, & Spiritum Sanctum *Amorem*, non propriè; sed metaphoricè: Tum quia eâdem ratione, ubi secunda Persona dicitur Filius, posset in metaphorico sensu, & non proprio explicari; quo nihil absurdius: Alias *Verbum* propriè Filius non esset. Sequela probatur. Quia eâ ratione, quâ Durandus testimonia, in quibus dicitur *Verbum*, ad sensum metaphoricum usurpat; similiter posset in sensu metaphorico accipere ea, in quibus dicitur *Filius*. Tum quia eo ipso, quod secunda Persona non procedat per intellectum, nec tertia per voluntatem; nulla restat ratio ordinis, & prioritatis processionum in Deo; cur scilicèt priùs prioritate originis secunda Persona procedat, quàm tertia. Ergo. Antecedens constat. Quia solùm ponitur essentia ut radicale principium, & relatio, ex quibus, seclusis operationibus intellectûs, & voluntatis, prioritas unius processionis potiùs, quàm alterius sumi non potest.

Deinde quia vel divina natura est principiũ quo processionũ, vel non?

30. Probatur secundò. Quia vel divina natura est principium *Quo* harum processionum sub eâdem ratione adhuc universaliter, vel sub diversa? Si primum: Ergo nulla est ratio, cur una illarum processionum aliam præcedat; vel cur una generatio sit; & non alia; cur Verbum ab unâ tantùm Personâ; Spiritus verò Sanctus ab utrâque procedat? Quæ omnia absurda dicuntur. Consequentia probatur. Quia ab eodem principio formali, & sub eâdem ratione omni modo accepto diversitas tanta deduci non potest. Si verò secundum dicatur; sic arguitur. Sed hæc ratio diversa, seu virtualis diversitas stare non potest nisi in eo, quod natura divina sit principium secundæ Personæ, ut intellectiva; & tertiæ, ut volitiva. Ergo.

Rursùsex S. Thomâ quæst. 55. artic. 5.

31. Probatur tertiò. Ex Divo Thoma quæst. 55. artic. 5. Omnis operatio divina debet habere aliquam potentiam in Deo (sive propriam, sive impropriè dictam.) Sed hujusmodi processiones nullam aliam in Deo possunt habere potentiam præter intellectum, & voluntatem. Ergo. Major patet. Quia omnis operatio divina supponit Deum operari potentem, non solùm remotè; sed etiam proximè. Potentia autem in nullo alio stat, quàm in facultate operativâ. Minor probatur primò. Quia in naturâ purè intellectuali nulla est potentia ab intellectu, & voluntate distincta, ut tenet Divus Thomas loco citato: Cum *Natura* per respectum ad potentias proximas, sive illarum operationes dicatur; vel purè intellectualis non est; vel solùm est principium radicale potentiarum intellectualium, & actuum earum. Sed natura divina est purè intellectualis. Ergo nulla datur in eâ potentia præter intellectum, & voluntatem. Probatur secundò. Quia hæ processiones debent esse à potentiis perfectissimis naturæ intellectualis. Sed licèt in naturâ intellectuali admittantur potentiæ ab intellectu, & voluntate distinctæ, nusquam esset assignare alias potentias perfectas, ac sunt intellectus, & voluntas. Ergo.

LECTIO II.

Solvuntur Durandi objectiones.

32. OBjicit primò. Illud, cujus conditio est oppositæ fœcunditati, nequit esse principium actûs, quo aliquid producitur. Sed conditio actuum intelligendi, & volendi est oppositæ fœcunditati; quia, ut tradit Philosophus 4. Metaphysicæ, inter actionem immanentem, & transeuntem hoc interest, quod per istam est aliquid oppositum; per immanentem verò nihil. Ergo nequeunt esse principia actuum, quibus Personæ Divinæ producuntur. Concessâ majori, nego minorem. Ratio discriminis inter actionem immanentem, & transeuntem præter alia, quæ ex Tractatu de Animâ constant; sumitur primò ex eo, quod actio transiens ex necessitate petit habere terminum, ut apparet ex omnibus actionibus naturæ: Secùs autem de ratione actionis immanentis, quæ universaliter sumpta non requirit terminum productum, ut patet in his actionibus *videre*, *sentire*, &c. Cum hoc tamen benè componitur, quod permittat, habere terminum in aliquo inferiori, ut *intelligere* v. g. quod pro termino habet *Verbum*. Sumitur secundò ex eo, quod Philosophus velit, quod scilicèt *intelligere* formaliter, & perfectè supponat terminum productum; scilicèt verbum; ita, ut solùm contempletur rem, mediante verbo; non prout existentem in propriâ sui naturâ; sed in conceptu, aut verbo existentem: Sic ergo potest dici, quod actio immanens formaliter non habet terminum. Aliud autem est de actionibus immanentibus divinis, de quarum processionibus, utpotè supra naturalem cognitionem existentibus, nec verbulum quidem Philosophus valuit efficere.

Conditio actuũ intelligẽdi, & volẽdi non est oppositæ fœcunditati.

33. Objicit secundò. Sicut fœcunditas competit Creatori; sic proportione servatâ, competit in reliquis. Sed creaturis non competit fœcunditas secundùm rationes intelligendi, & volendi. Ergo nec Deo. Minor patet. Quia fœcunditas in creatis competit etiam iis, quæ intellectu carent; imò in intellectu præditis, etiamsi eis fœcunditas competat, nullo modo illis convenit ratione intellectûs, & voluntatis; sed solùm vi generativâ, quæ in alio consistit. Ergo. Nego majorem. Quia cum fœcunditas producendi aliquid ad intra in Deo, omne superet naturalis rationis lumen, inter Deum, & creaturas nulla potest rationis inveniri proportio, nisi in eo, quod sicut natura purè intellectualis producit Verbum, & impulsum, quæ sunt quædam accidentia, intentionalia; sic Deus intelligendo producit Verbum substantialiter subsistens: Et idem est de impulsu, seu Spiritu Sancto. Hoc autem potiùs militat contra Durandum; imò ejus discursus sic in ipsius caput facilè retorquetur. Quia juxta Durandum in primò distinct. 7. quæst. 2. potentia generativa stat in relatione Patris; & tamen in creaturis potentia generativa nec est subsistentia, nec personalitas, nec relatio; sed potentia quædam accidentalis radicata in naturâ. Ergo.

Nulla est paritas à fœcunditate creatoris ad creaturarum fœcunditatem.

34. Objicit tertiò. Qualis est ordo rei inter realiter differentia, talis est ordo rationis inter differentia solùm secundùm rationem. Sed ubi intellectus, & voluntas differunt realiter, productio est vi naturæ, & non intellectûs, & voluntatis. Ergo & sic in Deo. Nego absolutè minorem. Quia in Angelis, in quibus intellectus, & voluntas juxtà sententiam probabiliorem distinguuntur realiter, productio non est vi naturæ immediatè; sed solùm ratione intellectûs, & voluntatis. Similitudo autem divinæ productionis non debet explicari, nec comparari ad res corporales; sed ad purè spirituales. Deinceps instatur ad hominem idem argumentum. Quia ubi subsistentia, & natura differunt realiter juxtà probabilem sententiam, productio non est vi subsistentiæ ut principii formalis; & tamen in sententiâ Durandi productio divina habet ut principium *Quo* proximum personalitatem divinam. Ergo ejus argumentum nihil convincit.

Verũ non est, quod ubi intellectus, & voluntas differunt realiter, productio sit vi naturæ.

35. Objicit quartò. Quia juxtà Divum Thomam potentia generativa est Dei omnipotentia, prout est Patris tantùm. Sed omnipotentia non in intellectu, & voluntate consistit; sed in attributo ab eis distincto. Ergo intellectus non ingreditur rationem principii *Quo*. Consequentia patet. Quia si ad principium *Quo* pertineret, maximè ut generativa potentia. Ergo si hæc in omnipotentiâ stat, intellectus mãnet extra principium *Quo* generationis. Ergo. Respondeo, Divum Thomam 1. parte, quæst. 25. artic. 1. in solutione primi, & quarti argumenti, duas adhibuisse solutiones: Aliam, quâ ait, omnipotentiam ratione distingui à scientiâ, & voluntate; & aliam, quâ tenet; adhuc ratione non distingui; juxtà quam dixit, omnipotentiam ut propriam Patris esse potentiam generativam.

Nobis nõ refragatur S. Thomas dicẽs potẽtiam generativam esse Dei õnipotentiã, prout est Patris tantùm.

36. Objicit quintò. Etiamsi intellectus, & voluntas maneant in Deo extrà principium *Quo* divinarum processionum, potest dari sufficiens ratio de ordine processionum. Ergo ratio supra facta non tenet. Antecedens probatur primò. Etsi attributa dimanent immediatè à naturâ; hoc est, non mediâ aliquâ potentiâ; potest reddi ratio, cur unum attributum immediatiùs, quàm aliud naturæ conveniat; & cur unum mediante alio, à naturâ dimanet. Ergo ex hoc fundamento non benè probatur, intellectum, & voluntatem debere concurrere ad divinas processiones. Ergo etsi Filius, & Spiritus Sanctus absque mediatione intellectûs, & voluntatis producantur ad intra; poterit sufficiens ratio ordinis affirmari inter divinas processiones; & cur una aliam supponat; ut constat in assensu Conclusionis supponente præmissarum assensum, licèt omnes pro principio habeant eandem potentiam: Idem est in gradibus qualitatis dissimilibus, & inæqualibus, ubi ratio ordinis assignatur inter illos, licèt sint ab eâdem potentiâ, & in eodem passo. Ergo licèt asseratur, processiones divinas esse à naturâ divinâ absque medio intellectûs, & voluntatis, poterit inter illas sufficiens ratio ordinis assignari.

An de ordine processionũ possit dari sufficiens ratio, licèt intellectus, & voluntas non sint principium *Quo*?

37. Aliqui respondent, negando antecedens; & ad probationem consequentiæ disparitatem assignant: Quia proprietates non petunt dimanare à naturâ, mediis aliis principiis proximis; & licèt unâ, mediante aliâ, connectatur cum naturâ; prima tamen ei convenit immediatè; ac proinde ut assignetur ordo dimanationis in proprietatibus, necessarium non est, ad proxima principia eis priora concurrere; at verò actus, & operationes conveniunt naturæ non immediatè; sed mediis potentiis proximis; cum natura solùm se habeat respectu eorum ut remotum, & radicale principium; ac proinde ratio ordinis inter operationes non est ex naturâ immediatè reddenda; sed mediis principiis proximè operativis, seu realiter à naturâ distinctis, ut contingit in creatis; sive virtualiter, aut ratione solùm, ut contingit in Deo. At quidquid de hâc solutione sit.

Aliquorũ solutionẽ propono.

38. Res-

Ego verò aliter respondeo.

38. Respondeo, disparitatem esse: Quia prioritas unius attributi, aut proprietatis respectu alterius solùm potest esse secundùm rationem; ast in divinis processionibus est prioritas realis originis in unâ respectu alius; sic requiritur, quod intellectio præcedat, modificata relatione Patris ad processionem, quæ est per voluntatem, ut prioritas salvetur originis. Ad illud autem de gradibus ejusdem qualitatis, & hæterogeneis jam diximus in Metaphysicâ, intensionem non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem; sicut nec major extensio fit per additionem quantitatis adhuc partialis. Dato tamen, eam intensionem fieri per qualitates partiales dissimiles, & inæquales, adhuc assignatur illius ordinis ratio; scilicèt propter resistentiam passi, contrarias qualitates habentis; quæ cum per motum naturalem vincenda sit, eum ordinem exposcit.

LECTIO III.

Scoti sententia exponitur.

Tener, intellectū, & voluntatem ingredi cōstitutionē principii, nō ut dicunt actū 2. intelligendi, & volendi.

39. Scotus in primò distinct. 12. quæst. 1. asserit, intellectum, & voluntatem ingredi quidem constitutionem principiorum notionalium, ut dicunt actum primum intelligendi, & volendi, (in quo à Durandi sententiâ distat;) non tamen ingredi, prout dicunt actum secundum intellectionis, & volitionis: Unde ait, intellectum ut in Patre, esse in actu primo ad intellectionem, quæ est operatio essentialis; & ad dictionem, quæ est actus notionalis; cum ordine tamen; scilicèt quod priùs se habeat ad intellectionem, quàm ad dictionem; ita tamen, ut intellectio nullatenùs requiratur ad dictionem, nec ut principium, nec ut actio. Ita Scotus, cui ejus insistit Schola. Verùm Scoti subtilitas in hoc puncto extrà ejus Scholam communiter rejicitur à Doctoribus; quatenùs affirmativè propugnant, ad productionem Verbi, & Spiritûs Sancti intellectionem, & volitionem, concurrere. Ita Molina, Vasquez disput. 112. cap. 1. Zunniga, Tannerus, Granados, & Thomistæ omnes, quos citat in hâc disputatione Granados; & sequitur Conetus. Est tamen inter hos Doctores discrimen; an scilicèt ut principia, an ut actiones: Verùm nunc est nobis tenendum id, in quo omnes conveniunt contra Scotum.

Igitur intellectio ad Verbi productionem, volitio verò ad Spiritûs Sancti productionem cōcurrit.

40. Asserimus igitur, intellectionem ad Verbi productionem; volitionem autem ad Spiritûs Sancti productionem concurrere. Probatur primò ex Almo Augustino lib. 15. de Trinitate, qui ut probet, Filium Patri non esse Sapientiam, quâ intelligit; nec Patrem intelligere sapientiâ genitâ; hunc discursum efformat: *Si enim sibi solus Filius intelligit, ut intelligentia sit & Filio, & Patri, & Spiritui Sancto; ad illam redditur absurditatem, ut Pater non sit sapiens de se ipso; sed de Filio; nec sapientia sapientiam genuerit: Sed eâ sapientiâ Pater dicatur sapiens, quam genuit; ubi enim non est intelligentia, nec sapientia esse potest*, &c. Et paulò infrà: *Est ergo Deus Pater sapiens sapientiâ eâ, quâ ipse suâ est sapientia; & Filius sapientia Patris de sapientiâ. Et inferiùs: Filius autem intelligentia Patris de intelligentiâ genitus.* Sed intelligentia, & sapientia non actum primum; sed secundum important, ut constat. Ergo Filius non procedit ab intellectu Patris prout in actu primo tantùm; sed ut in actu secundo intelligendi.

Deinde quia aliter Pater adhuc suum Verbum diceret, licèt per impossibile non intelligeret.

41. Ostenditur secundò ratione. Sequitur ex sententiâ Scoti, quod Pater adhuc diceret, & produceret suum Verbum, etiamsi per impossibile non intelligeret. Hoc est falsum. Ergo. Sequela probatur. Quando actus, qui respiciunt eandem potentiam, comparantur ad illam sine dependentiâ unius ab alio; ita, ut unus neque principium sit, neque actio, neque ratio alterius; uno eorum per impossibile sublato, alius, ab intrinseco non est, unde auferatur. Sed *intelligere* in Patre non se habet ut principium, nec ut actio, nec ut ratio respectu dictionis, aut generationis Verbi. Ergo sublato per impossibile *intelligere* in Patre, in ipso maneret ab intrinseco hoc, quod est dicere, & producere Verbum: Quod quidem esse falsum, constat ex Divo Augustino lib. 15. de Trinitate, dicente: *Certè si aliqua dicere velimus, nisi cogitata non possumus.* Ergo si ex mente Sancti Augustini Verbum nostrum vocale sine cogitatione præviâ subsistere nequit; multò magis impossibile esset, Verbum divinum produci à Patre, semel dato, quod Pater non intelligeret.

Rursùs quia principium productionis Verbi debet perfectissimo modo constitui.

42. Ostenditur tertiò. Nam principium productionis Verbi debet perfectissimo modo constitui, quò est possibile. At si intellectus Patris ut actu secundo intelligens; pro principio assignetur perfectissimo modo constituitur, quàm si constituatur Paternus intellectus purè in actu primo; & aliàs est possibile. Ergo intellectus divinus non solùm in actu primo; sed etiam ejus actualis intellectio debet ad productionem Verbi concurrere; non quod actualis intellectio se habeat per modum potentiæ generativæ; sed quod requiratur per modum actionis. Minor

quoad secundam partem probatur ex differentiâ, quæ maximè intercedit inter nostrum, & divinum intelligere, quod scilicèt nostrum suscipit Verbum productum modo alibi dicto, vel, ut alii tenent, in ipso Verbo consistit: Divinum autem intelligere nec in Verbo producto formaliter stat; nec Verbum supponit, ut Pater intelligat, juxtà communem; atque adeò communiter dicitur, nos producere Verbum ex necessitate intelligendi; Deum autem non ex tali necessitate; sed ex solâ fœcunditate producere Verbum; sed hâc prioritate admissâ, nulla affulget repugnantia in eo, quod intellectus ut actu intelligens influat in Verbum. Ergo prout sic illud producit. Ulteriùs. Non aliâ ratione Verbum nostrum vocale necessariò supponit, & requirit intellectum in actu secundo, nisi quia, ut intelligamus, necessarium non est tale Verbum exterius. Sed intellectus Patris ad productionem Verbi supponitur intelligens in actu secundo. Ergo.

LECTIO IV.

Argumenta Scotica expediuntur.

Quo pacto sit intelligēdus S. Augustinus asserēs, Verbū à Patris memoriâ gigni, & memoriā ab intelligentiâ distingui?

43. SIt primum argumentum. Juxtà S. Augustinum Verbum divinum gignitur à memoriâ Patris. Sed juxtà ipsum S. Doctorem lib. 15. de Trinitate, cap. 7. Memoria ab intelligentiâ distinguitur. Ergo Verbum divinum non ab intelligente actualiter, quo pacto intelligentia dicitur; sed ab eo in actu primo, quâ ratione *Memoria* vocatur, procedit. Major probatur ex eodem S. Doctore lib. 5. de Trinitate, cap. 10. ubi ait: *In hoc speculo, & in hoc ænigmate; scilicèt in Verbo creato, videri aliquam Verbi illius similitudinem, de quo dictum est*: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM. Ita ibi. Sed Verbum nostrum non ex intelligentiâ; sed ex memoriâ; idest, ex intellectu per modum actûs primi procedit juxtà Divum Augustinum capite citato, ibi: *Necesse est, cum Verbum loquimur, ex ipsâ scientiâ, quam memoriâ tenemus, nascatur Verbum*: Et cap. 14. ait: *Verbum nostrum illud, quod non habet solùm inde utcumque simile est in hoc ænigmate illi Verbo Dei, quod etiam Deus est; nam & hoc de nostrâ scientiâ nascitur; quemadmodùm illud de scientiâ Patris natum est.* Sed Verbum nostrum mentale non nascitur ex scientiâ actuali; sed habituali per modum actûs primi. Ergo nec Verbum divinum nascitur ex scientiâ actuali.

Non arridet Cajetani solutio.

44. Huic argumento, & authoritatibus Magni Augustini non uno modo solet responderi. Cajetanus ait, tam Verbum mentale nostrum, quàm divinum nasci ex memoriâ per modum actûs primi, tamquàm ex principio; & ex scientiâ actuali, ut ex actione productivâ: Quo pacto explicat Sanctum Augustinum. Verùm non videtur plenè satisfacere. Tum quia Verbum nostrum non procedit ex scientiâ actuali formaliter; cum potiùs aliquâ ratione supponatur ad scientiam. Tum quia memoria non videtur se habere solùm per modum potentiæ, & actûs primi.

Do igitur, in quo sitet utriusq; Verbi similitudo, & discrimen.

45. Quarè ex dictis supra juxtà Divum Thomam, respondeo, eam aliqualem similitudinem stare in eo, quod utrumque Verbum; divinum scilicèt, & nostrum, procedit ab intellectu ut fœcundo in actu secundo; cum hâc tamen differentiâ, quod actus ille secundus, quo intellectus divinus dicitur fœcundus ad productionem Verbi, est *intelligere* formaliter; at verò actus ille secundus, quo intellectus noster format Verbum, dicitur intelligere in radice; ut supra expressit Angelicus Doctor. Ex quo fit, quod hanc aliqualem similitudinem intenderit Divus Augustinus; quod scilicèt sicut nostrum Verbum procedit ab intellectu nostro fœcundo in actu secundo; sic procedat divinum Verbum ab intellectu Patris. Differunt tamen multipliciter: Nam actus, quo est fœcundus intellectus divinus, est formalis intelligentia, nec egèt Verbo, ut reddat Patrem intelligentem: Quare dixit S. Doctor, Verbum esse sapientiam genitam de sapientiâ, & intelligentiam de intelligentiâ. At verò actus secundus, quo procedit Verbum nostrum, non est intelligentiâ formaliter, prout præcedit formationem Verbi; cum tale Verbum formetur, ut intellectus intelligat; per ipsum tamen actum, quo Verbum efformatur.

Tria signa possumus in intellectione nostrâ distinguere.

46. Unde quasi tria signa possumus in intellectione nostrâ distinguere: Primum scilicèt, in quo intellectus possibilis patitur ab intellectu agente speciem impressam intelligibilem; in quo salvatur principium illud: *Intelligere est quoddam pati.* Secundum signum est, in quo videlicèt intellectus possibilis jam fœcundus per talem speciem, format, sive dicit verbum expressivum rei, cujus est species illa. Tertium signum est, in quo intellectus per eam speciem, quâ formavit Verbum, in eodem Verbo rem intelligit. Hæc autem omnia simul tempore sunt: Nam in ipsomet instanti intellectus recipit formam intelligibilem, & simul format Verbum, & hoc efformato, simul intelligit rem per-

ipsammet

ipsammet speciem in tali verbo. Sic autem tenendum est semper principium illud, de quo supra cum Divo Thomâ; quod scilicèt ea species duplicem conceptum habeat, quo eam dupliciter consideramus: Primò, quatens dictio; & sic est actus, quo producitur Verbum; & ut sic non est intellectio formaliter; sed in radice: Secundò, quatenùs est intellectio; & prout sic, nihil producit; sed tantùm est actus, quo intellectus rem in ipso verbo, ut loquitur Augustinus, velut in speculo, ac ænigmate intelligit, & contemplatur. Quibus sic explicatis, tota argumenti difficultas penitùs evanescet.

47. Sit secundum. Concursus intellectionis non est necessarius; sed omninò superfluus ad productionem Verbi. Ergo nullatenùs concurrit ad eam intellectio formalis. Antecedens probatur. Intellectus creatus per modum actûs primi est sufficiens, & fœcundus ad verbi creati productionem. Sed intellectus divinus fœcundior est intellectu creato. Ergo ut in actu primo erit sufficiens, seclusâ actuali intellectione. Confirmatur. Quia fœcundior est potentia se solâ sufficiens per modum principii ad aliquem terminum, quàm est ea, quæ alio indiget. Ergo si intellectus creatus se solo sufficit, fœcundior erit intellectu divino. Respondeo negando antecedens. Ad probationem nego majorem; quæ falsa omninò est. Quia, ut dictum est, ab intellectu creato prout in actu secundo per speciem intelligibilem, Verbum producitur, quo producto, intellectus per eandem speciem intelligit rem in illo; unde corruunt ad solum usque argumentum, & confirmatio.

Cõcursus igitur intellectionis necessarius est ad Verbi divini productionẽ: & speciei intelligibilis ad productionem creati.

48. Sit tertium. Quod per se requiritur ad terminum, talis debet esse naturæ, ut in termino debeat aliquod prædicatum illi convenire. Sed in Verbo divino nullum prædicatum correspondet divinæ intellectioni. Ergo nullo modo est necessaria actualis intellectio. Minor probatur. Quia si aliquid esset tale prædicatum, maximè prædicatum repræsentationis, vel intellectionis actualis objecti. Sed tale prædicatum, vel talis conceptus non petit ut principium actualem intellectionem; ut constat in Verbo creato, quod licèt sit repræsentatio, & expresa rei similitudo, in nullâ sententiâ petit ut principium intellectionem. Ergo. Concessâ majori, nego minorem. Ad probationem, etiam majori concessâ, minorem inficior. Quia cum Verbum divinum ex mente Augustini sit intelligentia genita de intelligentiâ Patris, necessariò dicit prædicatum ipsius intellectionis acceptæ à Patre producente Verbum, mediâ intellectione, modificatâ relatione Paternitatis: Imò perfectissimâ similitudo producentis, & producti stat in eo, quod producens communicet idem prædicatum, quo producit, licèt relationem communicare non possit: Quod quidem non contingit in productionibus creatis, ubi similitudo prædicatorum inter producentem, & productum, semper trahit distinctionem realem ob limitationem, & imperfectionem, ut est evidens.

Verbum igitur divinũ utpotè intelligẽtia genita, dicit prædicatum à Patre acceptum.

49. Illud autem, quod supponitur de Verbo creato, falsò quidem procedit: Quia Verbum creatum non producitur ab intellectu ut fœcundo in actu primo per speciem: Quia licèt species, ut præcedit ad productionem Verbi, non dicatur formalis intellectio, ex eo quod deficiat objectum; Verbo tamen formato, dicitur talis, per quam intellectus in ipso rem intelligit. Unde similitudo expressa, quæ est in verbo, respectu speciei intelligibilis, quæ etiam est similitudo rei, quæ in verbo cognoscitur; imò quia est talis similitudo, ideo formatur Verbum expressivum rei; quod docuit Divs Thomas citato Opusculo 14. sic: *Est tamen ipsum similitudo illius speciei ut ejus, quo factum est* sibi simillimum.

Quia species intelligibilis est similitudo rei, ideo formatur Verbum creatum ejusdẽ rei expressivum.

50. Sit quartum. Intellectus divinus prout in actu primo ab intellectione distinctus, est summè actualis; cum omnem potentialitatem excludat. Ergo etiamsi Verbum Divinum sit repræsentatio summè actualis, poterit ab intellectu Patris absque ullo intellectionis concursu procedere. Ulteriùs. Etsi Verbum creatum non sit summè actualis repræsentatio; est tamen ultima actualitas in lineâ intelligibilitatis terminativæ; & tamen ex hoc non petit pro principio sui ultimam actualitatem in lineâ intelligibilitatis activæ creatæ. Ergo idem, quod priùs de Verbo divino.

Dicesi Verbum divinum licèt sit summè actualis repræsẽtatio, potest ab intellectu divino produci utpotè summè actuali.

51. Respondeo ad primum, quod admissâ sententiâ de intellectu divino per modum actûs primi (de cujus veritate alibi, Deo dante, disputabitur) hîc distinguendum est antecedens; est summè actualis in peculiari, & quasi specificâ lineâ intellectûs, concedò: In totâ lineâ intelligibilitatis activæ, subdistinguo; identicè, concedo: Formaliter, seu secundùm conceptum explicitum intellectûs, nego antecedens. Verbum autem divinum tam identicè, quàm explicitè est summa repræsentatio actualis in lineâ intelligibilitatis terminativæ; & sic petit necessariò intellectionis concursum. Ad secundum, distinguendum etiam est; non petit ultimam actualitatem in lineâ intelligibilitatis activæ ex defectu objecti, quod ut intelligatur, desi-

Ad utrũque respondeo.

desideratur verbum, concedo: non petit ultimam actualitatem ex parte formæ, nego. Igitur post verbi creati productionem non advenit intellectui creato nova aliqua forma, quæ sit intellectio; sed solùm ponitur objectum, quod per ipsam formam, vel speciem, quâ verbum producitur, in ipso cognoscitur: quia, ut dictum est, ea species habet duplicem conceptum, sub quo consideratur: jam sub conceptu dictionis, sub quo verbum formatur: jam sub conceptu intellectionis, sub quo simul ac format verbum, rem in illo per eandem formam intellectus contemplatur. Quod autem sub conceptu intellectionis formaliter verbum non producatur: Ideò est, quia ex necessitate ut intelligat, illud producit, cùm aliunde intellectus noster modum alium non habeat, quo res cognoscat extra ipsum existentes.

LECTIO V.

Alios opinandi modos breviter discutimus.

Alii dicũt solam relationẽ esse principiũ *quo* processionũ.

52. PRæter dictas sententias, aliter Recentiores discurrunt. Alii dicunt, solam relationem esse principium *quo* proximum divinarum processionum; Paternitatem scilicet in Patre respectu generationis; relationem verò Spiratoris in Patre, & Filio respectu Spiritûs Sancti. Ita præter Durandum nobiles Recentiores, inter quos noster Borull disp. 6. sect. 1. num. 4. Quæ opinio, ut ipse fatetur num. 3. solet tribui Sancto Bonaventuræ, P. Alarcon, & aliis.

Alios insequor duplici ratione.

53. Huic placito planè dissentio: primò ex duplici ratione desumptâ ex Divo Thomâ quæst. 41. artic. 3. Prima est. Principium *quo* sive proximum, sive remotum actionis generativæ, est id, in quo genitus generanti assimilatur; cùm ea sit agentis intentio, ut terminum productum sibi assimilet in principio *quo* generandi, sive *quo* agit. Sed in Deo personæ productæ producentibus non assimilantur in prædicato relativo. Ergo sola relatio non potest esse principium. Secunda ratio formatur sic. Proprietas relativa est veluti individualis conditio divinæ personæ. Sed id, quod pertinet ad esse individuale, non est id, quo generans generat. Ergo proprietas relativa in Patre non est principium *quo* generandi. Minorem probat Sanctus Doctor. Quia si proprietas individualis esset principium *quo* generans generat, Socrates, inquit, generaret Socratem. Ergo.

Deinde quia nec sub conceptu exercitò, aut explicito relationis, vel sub conceptu subsistentiæ, aut formæ hypostaticæ? Neutrum dici potest. Ergo. Minor probatur quoad primam partem. Quia relatio paternitatis sub conceptu exercito, & puro relationis fundatur in generatione; sicut de omnibus aliis hujusmodi relationibus constat; ac proinde eam supponit, & à fortiori principium *quo* generativum. Atqui potentia generativa, seu principium *quo* supponere nequit principium *quo*. Quantùm verò ad secundam partem etiam probatur. Quia principium *quo* ex suâ ratione debet esse activum. Sed relatio paternitatis adhuc sub conceptu formæ hypostaticæ, seu personalitatis activa non est, sed solùm se habet ut terminus naturæ, eam complens in ratione personæ. Ergo relatio sub tali conceptu nequit esse principium *quo*; sed ad summum erit vel conditio, vel connotatum juxta varios modos, quibus Scholastici loquuntur.

conceptu exercitò explicito relationis, nec sub conceptu subsistentiæ potest paternitatis cõpere potentia generationis,

55. Aliorum opinio est asserentium: principium *quo* proximum divinarum processionum consistere in solâ perfectione absolutâ, relatione omninò seclusâ. Qui Doctores videntur distinguere principium *quo* in ratione principii ut productivi, & in ratione principii ut communicativi. In ratione productivi dicunt esse solam relationem, in ratione verò communicativi esse solam perfectionem absolutam; intellectionem nimirùm in Patre respectu Filii, sive in ordine ad illum; & volitionem in Patre & Filio respectu Spiritûs Sancti. Ita expresè Borull disp. 6. sect. 1. & disp. 7. sect. 3. & alii. Censeo tamen in solâ perfectione absolutâ, quæcumque assignetur, non posse consistere principium *quo* proximum. Suadetur primò. Quia principium *quo* reale debet aliquâ ratione distingui à termino producto. At si potentia generativa, & spirativa starent in perfectione absolutâ, nullo modo distinguerentur; cùm perfectiones absolutæ ex æquo identificentur cum personis producentibus, & productis.

In solâ perfectione absolutâ quacumq; sit nequit cõstituì principium *quo* proximũ.

Aliter enim principiũ *quo* cõmune.

56. Suadetur secundò ratione communi. Si principium *quo* divinæ processionis adæquatæ in perfectione absolutâ consisteret, omnibus personis esset commune, sed hoc non: quia aliàs Filius esset potens se ipsum, vel alium generare: similiter Spiritus Sanctus esset potens spirare. Ergo principium *quo* divinæ processionis non stat in solo absoluto. Nec obest, si concessâ sequelâ, negetur minor; proindeque dicatur, non sequi, Filium posse generare, ex eo quod benè componatur, formam esse in aliquo subjecto, & ei non tribuere omnem suum formalem effectum, ob illius incapacitatem; ut constat in animâ rationali, quæ in ossibus, & aliis partibus existens, non tribuit illis omnem suum effectum formalem; cum eis rationalitatem

tionalitatem non tribuat. Verùm hoc rationem nostram non enervat: Quia Filius est capax omnis effectûs, vel quasi effectûs formalis absoluti. Sed eo ipso, quod principium *quo* generandi adæquatè in absolutâ perfectione consisteret; *potens generare* esset effectus, vel quasi effectus absolutus formalis: non minùs ac esse potens intelligere, & velle. Ergo. Addiderim tamen, quod relatio nullatenùs se habet nec ut potentia, nec ut operatio potentiæ.

Non placet distinctio generationis, quâ est productio & qûâ est cõmunicatio.

57. Nec placet illa generationis distinctio; nimirùm quâ est productio, & quâ est communicatio. Tum quia eodem modo, quo Pater est potens communicare naturam, esset potens Filius, & similiter Spiritus sanctus, si principium communicativum staret in solâ perfectione absolutâ: quod dici non potest. Tum quia nullum affulget fundamentum ad dividendam generationem sub conceptu productionis, ab ipsâ sub conceptu communicationis: licet enim in creatis cõmunicatio passivè sumpta, juxta plures distinguatur ab ipsâ generatione activâ: nihilominùs inter ipsos non secernitur communicatio activa ab ipsâ productione. Tum quia sicut nullum potest se ipsum producere, sed generatio est ad illud, sive productio; sic nullus se sibi ipsi communicat; præsertim id, quod habet. Ergo sicut productio dicit aliud à producente suppositum, sic communicatio dicit aliud suppositum à communicante. Tunc sic. Sed propter eandem rationem principium proximum generationis sub conceptu productionis nequit stare in perfectione absolutâ. Ergo propter eandem principium proximum adhuc sub conceptu communicationis non potest in solâ absolutâ stare perfectione.

Communior circa hoc punctum sententia cõstituit principiũ *quo* in absoluto, co intellecta relatione ex parte principii *quod*.

58. Communior tamen circa punctum hoc in Scholis sententia constituit pro principio *quo* proximo divinarum processionum perfectionem absolutam; ita tamen, ut cointelligatur relatio ex parte principii *quo* producentis. Ita P. Vasquez disput. 161. Granados tract. 13. disp. 3. sect. 3. Ruiz. disputat. 100. sect. 2. & 3. Zuniga, & alii, quos citat & sequitur P. Arriaga tota disput. 45, maximè sect. 4. Verùm etsi præfati Doctores, & alii Scotistæ & Thomistæ reipsâ in hoc prolatum consprent; adhuc inter eos restat diversitas, quæ quia magis ad modum loquendi, & defendendi spectat; supervacaneum censeo, in his aut examinandis, aut impugnandis calamum retardare. Alii enim respectu generationis eam perfectionem, absolutam esse dicunt essentiam; alii intellectum; alii intellectionem: respectu verò processionis tertiæ Personæ aliqui dicunt, esse voluntatem; aliis dicentibus esse volitionem. Eâdem diversitate procedunt circa relationem, quam omnes hi, præter absolutum, requirunt; nam alii censent, consistere principium *quo* simul in absolutõ, & relativo, tanquam in potentiis, & virtutibus partialibus; ita ut sua virtus correspondeat absoluto, & sua quoque relativo. Alii volunt relationes Paternitatis & Spiratoris solùm se habere ut conditiones, vel de connotato, aut in obliquo: sed de hoc infra, dum propriam mentem juxta hanc communem sententiam aperiam.

LECTIO VI.

Præcedens doctrina nonnullis difficultatibus expeditur.

59. OPponitur primò pro sententiâ asserente, solam relationem esse principium *quo* proximum in ratione producẽdi. Principium *quo* proximum productivum est virtus physicè & realiter productiva. Sed nihil potest esse virtus, seu potentia sui ipsius realiter productiva. Ergo solùm potest esse virtus respectu sui termini realiter producti, sed nihil absolutum est realiter distinctum à termino producto. Ergo neque potest esse adæquatè vel inadæquatè potentia productiva. Ergo sola relatio erit principium *quo* proximum. Firmat hanc suam rationem P. Borrull. Idem nequit esse virtualis potentia sui ipsius productiva. Ergo neque potest esse potentia sui ipsius realiter productiva. Antecedens, ait, esse commune etiam iis, qui constituunt distinctionem virtualem inter potentiam & terminum virtualiter productũ. Consequentia est firma. Ideò enim idem nequit esse sui vitalis productiva potẽtia, quia idem eo modo, quo distinguitur, inquit esse principium Ergo quod realiter non distinguitur, non potest esse reale principium saltẽ connaturaliter. Licet enim aliqui in Philosophia doceant ididem posse divinitùs esse sui ipsius causam. Id tamen esse possibile cõnaturaliter, meritò detestãtur omnes ut rem uni ex principiis per se notis manifestè contrariam, ac inimicam.

Ratio asserentium solam relationem esse principiũ *quo*.

60. Respondeo igitur, concesso primo syllogismo, & minori subsumptâ, negando duas ultimas consequentias, quas arguens probare debuisset: solùm enim argumento suo probat, & benè, perfectionem absolutam præcisè non posse esse principium *quo* proximum: hinc tamen malè infert, solam relationem esse tale principium, cum mediet communis sententia constituens principium *quo* proximum in absoluto, non utcumque; sed additâ relatione vel in recto, vel in obliquo, aut de connotato; positâ quippè hâc, sufficiés distinctio ponitur ad distinguendum principium *quo* à termino producto, ne sequatur incõveniens illud, quod scilicet idem adhuc in divinis, sit sui ipsius reale principium. Ex quibus patet ad confirmationem.

Argumentũ solùm probat perfectionem absolutam nõ esse principiũ *quo*.

Opponit 2. Patrem à solâ paternitate denominari generare posse tem, cùm denominatio propria a formâ propriâ proveniat.

61. Opponitur secundò. Principium *quo* generationis est id, quo Pater redditur, & denominatur potens generare. Sed Pater redditur & denominatur potens generare, à paternitate. Ergo hæc sola est principium *quo*. Major constat. Minor autem multipliciter probatur. Primò. Quia denominatio propria, non à formâ communi, sed à peculiari, & propriâ debet provenire. Atqui denominatio generare potentis est propriissima Patris. Ergo non à perfectione absolutâ, quæ communis est; sed à ratione quæ sit propria Patris, debet provenire. Secundò. Eo modo se habet actio personalis ad personam, quo essentialis ad naturam. Sed posse ad actionem essentialem, v. g. intelligendi, vel volendi, est vel à naturâ, vel ab aliâ perfectione absolutâ. Ergo posse ad actionem personalem generandi, est à personali proprietate. Tertiò. Probatur illa minor. Id quod dat esse, dat & posse operari. Sed Paternitas dat patri esse patrem. Ergo & posse generare: quod est proprium patris. Quartò. Imperfecta est forma, quæ dat esse & non operationem. Sed à Personalitate divinâ est omnis imperfectio releganda. Ergo cùm dat patri esse patrem, dat quoque illi & posse generare.

Ad 1. dico solũ probare de perfectione absolutâ.

62. Ad argumentum nego minorem. Ad probationem distinguo majorem: denominatio propria non debet provenire à formâ communi præcisè ut communi concedo: ut appropriatâ, nego majorem. Unde argumentum solùm probat, denominationem potentis generare, non provenire à perfectione Dei ut absolutâ & communi, quod est verum: non verò probat, quod non possit provenire à tali perfectione, ut est propria Patris per relationem, ut infra explicabo.

Ad 2. sub distinctione respondeo.

63. Ad secundam probationem distinguo majorem: eodem modo se habet actio personalis ad personam, &c. quantùm ad denominationem producentis, vel operantis. *Ut quod*, concedo: quoad rationem principii *quo*, nego majorem. Unde sicut hoc concretum *Deus* est operans *ut quod*, ita hoc concretum *Persona Patris* est generans *ut quod* actione, seu operatione essentiali, v. g. volens *ut quod*, & intelligens *ut quod*: & in hoc tenet paritas; non verò quoad rationẽ principii. Ratio est. Quia cùm ex D. Thomâ Personalitas se habeat ut proprietas, & veluti conditio individualis, nequit esse principium *quo* productionis: Petitur tamen ad rationem principii, vel ut conditio, vel ut connotatum juxta varios dicendi modos.

Ad 3. dico æquivocatione habere rationem.

64. Ad tertiam distinguo majorem: Id quod dat esse veluti specificum, dat posse generare, concedo: veluti individuale, nego majorem. Unde anima rationalis dans esse specificum, dat medio intellectu posse intelligere: & forma ignis dat medio calore posse calefacere, aut comburere. Paternitas autem solùm dat Patri esse veluti individuale, & hoc in ratione Personæ: principium autem individuationis adhuc in creatis non pertinet ad rationem formalem operandi. Ad ultimam probationem occurritur eodem modo: nam solùm de ratione formalitatis secutæ ad speciem, est dare posse operari: non verò quæ non pertinet ad speciem. Et instatur in Personalitate Spiritûs Sancti, qui dat illi esse personale, non autem posse producere ad intra.

Ratio cõstituentiũ principiũ *quo* in solâ perfectione absolutâ.

65. Opponitur tertiò pro sententiâ constituente principium *quo* proximum in perfectione absolutâ independenter à relatione. Primò, ex Augustino cap. 12. lib. 3. contra Maximinum, ubi ait: *Absit autem ut quomodo putas, potentior sit Pater Filio: quia Creatorem genuit Pater? Filius autem non genuit Creatorem: neque enim non potuit, sed non oportuit.* Quibus verbis videtur Magnus Aurelius clare docere, Filium generare potuisse; sed non oportuisse. Sed posse generare, est quasi formalis effectus potentiæ generativæ. Ergo juxta Augustinum potentia generativa reperitur in Filio: quod non contingeret, si non consisteret in absoluto. Secundò. Unumquodque in tantùm perfectum est, in quantum potest sibi simile generare, ut 4. de Metheor. docet Philosophus. Sed Filius est summè perfectus. Ergo potest sibi similem generare. Tertiò. Juxta Divum Thomam quæst. 2. de Potent. artic. 3. Potentia generativa sub Omnipotentiâ comprehenditur. Sed hæc competit Filio. Ergo & illa. Quartò. Si in Patre & non in Filio esset potentia generativa, Filius non esset æqualis Patri in potentiâ; ac proinde nec in Omnipotentiâ adæquaretur cum Patre; quod est absurdum. Quintò. Si Filio non esset generandi potentia, in illo esset aliquis defectus potentiæ, & dignitatis: hoc non. Ergo. Sequela patet. Nam potentia generativa est aliqua potentia, dignitas, atque perfectio. Ergo si hæc Filio deesset, in illo aliquis dignitatis, & potentiæ defectus appareret.

S. Augustinũ exponit Angel. q. 9. de potentiâ art. 9.

66. Ad primum ex authoritate Sancti Augustini petitum, tenenda est explicatio Divi Thomæ quæst. 9. de potentiâ, artic. 9. sic. *Ideò dicit Augustinus, quod non est dicendum, quod Filius non potuit generare; sed non oportuit; quia non ex impotentiâ Filij est, quod non generat; ut hoc, quod dicit; non potuit, sumatur privativè; & non simpliciter negativè; per hoc autem, quod dicit, quod non oportuit; significat, quod sequeretur inconveniens, si in divinis Filius alium Filium generaret.* Ita ibi. Ac si diceret: Licèt in Filio potentia generativa non sit, hæc carentia non est explicanda per ly *non potuit*; quia hoc sonat privationem alicujus perfectionis

nis debitæ Deo; quemadmodùm qui dicunt, Deum non tam non posse producere Chymæram, quàm eam esse impossibilem; quod non oritur ex defectu potentiæ in Deo.

Explico Aristotelem in 4. de Metheor.

67. Ad secundum respondeo, Aristotelem verificari in corruptibilibus; secus autem in incorruptibilibus; neque enim homo, qui potest alium hominem generare, ideo est perfectior Angelo, qui alium Angelum generare non potest. Ratio autem differentiæ inter utramque naturam corruptibilem, & incorruptibilem videtur: Quia natura corruptibilis cum non possit conservari in unico individuo, appetit sui conservationem, mediâ successivâ generatione; & ideo individuum carens potentiâ productivâ sibi similis, in quo natura conservetur, deficit à fine intento à naturâ; Quarè tale individuum meritò censetur imperfectum ob sui sterilitatem; quia talis corruptibilium fœcunditas nascitur ex indigentiâ talis naturæ. Hoc autem non contingit in incorruptibilibus, & multò minùs in Deo, ubi potentia generativa non est ex indigentiâ; sed ex fœcunditate; nec tendit ad multiplicandam naturam, sicut in aliis creatis.

Potentia ergo generativa cõtinetur sub omnipotentiâ, prout est in Patre, & istius relationẽ dicit.

68. Ad tertium distinguo majorem: Potentia generativa continetur sub omnipotentia, prout est in Patre, & istius relationem dicit, concedo; sub omnipotentiâ absolutè, & expressè sumpta, nego majorem. Constat ex dictis. Ad quartum nega sequelam juxtà dicta suprà cum Sancto Thomâ; eandem scilicèt potentiam esse in Patre, & Filio; in illo, ut generet; in isto autem, ut generetur: Ac proinde ex eo, quod Pater possit generare, & non Filius; non sequitur, Patrem esse potentiorem; sicut ex eo, quod Filius possit generari, non autem Pater, nec Spiritus Sanctus, nihil imperfectionis sequitur in duabus personis.

Potentia generativa nõ sub omni ratione Filio debetur.

69. Ad quintum distinguo probationem sequelæ: Potentia generativa est aliqua potentia, & dignitas aliqua distincta à potentiâ terminandi generationem, nego: Eadem cum potentiâ terminativâ generationis, concedo antecedens, & nego consequentiam. Igitur quamvis desit Filio potentia generativa, non sequitur, in Filio esse defectum alicujus potentiæ, & perfectionis; quia talis potentia solùm debetur ei sub unâ ratione, scilicèt generandi activè; non tamen sub omni ratione; quia in eo est sub ratione terminandi generationem: Quæ duo non differunt in perfectione absolutâ, licèt relatione differant; quod non est inconveniens; sed Deo omninò necessarium.

Replicat, potẽtiam generativam esse distinctã à terminativa generationis.

70. Replicabis. Potentia generativa est distincta à potentiâ terminativâ generationis. Ergo per hoc, quod Filio competat potentia terminativa generationis, non sequitur, quod illi non desit aliqua perfectio. Antecedens probatur primò. Quia actio, & passio ad diversa principia reducuntur; nam actio respicit potentiam activam, qua agens agit; passio verò respicit subjectum, quod patitur ratione materiæ. Sed generare, & generari in divinis se habent per modum actionis, & passionis. Ergo inferunt distinctas potentias. Secundò. Quia per actus distinguuntur potentiæ. Sed generare, & generari sunt actus distincti. Ergo potentia generandi, & potentia terminandi generationem, distinguuntur.

Respondeo negativè.

71. Respondeo negando antecedens. Quia potentia generativa, & potentia terminativa generationis solùm differunt per relationes; Paternitatem scilicèt, & Filiationem: Potentia verò in Deo secundùm se est quid absolutum: Cum igitur non multiplicetur absolutum per relativum, fit, quod potentia generativa, & terminativa generationis non distinguantur absolutè; sed solùm relativè. Ad primam probationem dic, esse id verum in actionibus, quæ ordinantur transeunter ad generationem, & corruptionem: Quia ibi potentiæ activæ correspondet potentia passiva; cum agens naturale non possit nisi ex præsuppositosubjecto producere. Processiones verò divinæ cum sint immanentes, & perfectissimæ, non petunt subjectum; sed solùm suppositum *ad quod*: Quæ omnia solâ relatione optimè salvantur absque diversitate potentiarum. Ad secundam probationem jam dixi, eodem modo esse discurrendum circa generare, & generari; ac circà potentiam generativam, & terminativam generationis. Unde generare, & generari non sunt actus absolutè distincti; sed solùm distincti relativè; distinctio autem relationum; sicut non est sufficiens ad distinguendam naturam divinam, nec intellectionem, ac volitionem; sic non ad distinguendas absolutè potentias.

LECTIO VII.

Veriorem Divi Thomæ sententiam eligimus, & probamus.

Duplex est agẽdi principiũ scilicèt *quod*, & *quo*.

72. UT propriam mentem ad communem in hoc puncto sententiam, paucis mutatis, accommodem, noto primò duplex solere à Philosophis distingui principium agendi,

vel operandi: Aliud, quod dicitur communiter *principium quod*; hoc est autem ipsum suppositum agens; & hinc ortum duxit illud vulgare proloquium; scilicèt *actiones sunt suppositorum*. Ratio esse videtur. Quia res solùm ei appropriatur, quod dicitur habere: Suppositum autem est, quod dicitur habens; unde quidquid est in illo, vel sub illo sit, meritò ipsi appropriatur. Alterum tamen vocant communiter *principium quo*; & est forma, seu virtus, quâ mediante, suppositum operatur. Et hoc secundum principium adhuc est duplex; remotum scilicèt, seu radicale; & proximum, seu formale, ut constat in generatione ignis, vel caloris productione; proximum enim ejus principium *quo* est calor; remotum verò est forma ignis, à quâ ut actu primo substantiali dicitur dimanare calor ut ejus proprietas, seu operativa potentia; & tamen suppositum ignis dicitur principium *quod* operans.

Principiũ *quod* divinarũ processionũ est suppositum.

73. Noto secundò principium *quod* divinarum processionum esse ipsum suppositum; Patris scilicèt, vel Filii; Patris quidem respectu generationis; & Patris, & Filii respectu Spiritûs Sancti. Ratio est. Tum quia in Concilio Lateranensi, cap. *Damnamus*, de summâ Trinitate, decernitur, divinam naturam non generare, nec spirare. Tum quia quod realiter procedit, debet realiter distingui à principio, à quo procedit, propter oppositionem relativam, quæ inter producens, & productum reperitur. Unde cum in divinis solæ Personæ distinguantur, illæ solùm possunt esse principium *quod* divinarum processionum.

Noto discrimẽ inter principii *quod* summè simplex, & cõpositũ creatũ.

74. Noto tertiò hanc esse differentiam inter principium *quod* summè simplex, quale est Persona Patris in divinis; & inter principium *quod* compositum creatum; quod scilicèt in supposito creato, cum plura per se uniantur, & ordinentur ad ejus constitutionem; uni tribuimus rationem principii *quo* radicalis realiter, quod quidem alii realiter non competit: Similiter alteri tribuitur ratio principii *quod*; quæ ratio nequit alteri realiter convenire; hæc autem diversitas oritur ex imperfectione realis compositionis, & distinctionis: Quod quidem in supposito divino producente *ut quod* nullatenùs contingit. Quia ratione summæ simplicitatis, cum sit expers omnis compositionis realis formalis; in ipso reverà idem sunt principium *quo radicale*, principium *quo formale*, actio, seu processio activa: & principium *quod* operans: Quia hoc non coalescit ex pluribus, quibus seorsim, & divisim hæc omnia munera tribuamus: Idcircò beneficio intellectus per species à creaturis acceptas, juvari debemus, ut Theologiam vero similem, Deoque dignam, & pro captu nostro intelligibilem fundemus; aliàs tam in hâc, quàm in aliis materiis, necessarium erit, nostrâ ipsamet caligine cœcutire.

Sicut in creatis cõceptus naturæ, est cõceptus radicis, sic natura divina cõcipitur ut radix.

75. Accipio igitur species à pluribus, quæ, juxtà dicta, in supposito creato reperiuntur; mediis quibus, ascendamus ad Deum, & varios de ipso conceptus efformemus. Primò enim per speciem, quam habeo de naturâ creatâ, v. g. de formâ substantiali; quod nimirùm illa sit radix suarum proprietatum, ac proinde potentiarum mediis quibus suppositum proximè potest operari; formo quidem conceptum, in quo Deum cognosco sub conceptu naturæ divinæ, vel ejus naturam divinam; & quia in creatis conceptus naturæ formalis est conceptus radicis; meritò dicunt omnes Theologi, quod natura divina est radix, vel concipitur ut radix. Secundò: Per speciem, quam habeo de potentiâ formali, quæ in creatis sequitur realem naturam, mediâ quâ suppositum est potens proximè operari, ut ignis medio calore, &c. formo etiam conceptum de Deo, in quo ipsum cognosco sub conceptu divinæ potentiæ, quâ Deus dicitur potens formaliter, & immediatè operari, vel ad intrà, vel ad extrà juxtà naturam termini producti, creati scilicèt, vel increati.

Rursùs ex actione creatâ vel immanente, vel trãseunte cognoscoDeum sub conceptu processionis activæ ad intra vel actionis ad extra.

76. Tertiò: Per speciem actionis creatæ sive immanentis, sive transeuntis, formamus conceptum alium, in quo cognoscimus ipsum Deum sub ratione, vel conceptu processionis activæ respectu termini ad intrà; vel actionis respectu termini ad extrà creati. Ulteriùs vero cum supposito creatum comprehendat omnia, quæ in illo reperiuntur, utpotè habens principium radicale, principium proximum operativum, & alia hujusmodi; per similem igitur speciem cognoscimus in alio conceptu Deum quasi integrè, & per modum suppositi, & quasi habentis omnia ea, quæ in dictis variis conceptibus figillatim Deo tribuimus; ita, ut Deum Patrem cum per modum suppositi, & operantis *ut quod* cognoscimus, ipsum attingamus ut habentem naturam divinam, potentiam generativam, hujus potentiæ actionem, & alia divina attributa. Difficultas tamen, quàm hìc expedire conamur, in eo versatur, ut discutiamus, in quânam perfectione ex pluribus, quæ Deo juxtà explicationem tribuuntur, consistat principium *quo* proximum, seu potentia activa divinarum processionum; & quo id pacto contingat? Hoc autem si semel à nobis rectè dilucidetur, plura quidem difficilia hujus tractatûs non operosè declina-

declinabimus. Pro ejus ultimâ explicatione

De ratione principii vel remoti, vel proximi est dicere distinctionem à termino realiter producto.

77. Noto deniquè, de ratione principii tam proximi, quàm remoti; vel aliter; tam radicalis, quàm formalis, esse, quod dicat distinctionem à termino realiter producto. Ratio est. Quia cum nihil possit esse sui ipsius reale principium, ac proindè se ipsum producere; necessariò petitur ad rationem principii distinctio à suo termino; non quod conceptus distinctionis sit principiis ratio agendi; non enim forma ignis, ejusque calor habent rationem fœcunditatis, quia præcisè distinguuntur ab igne producto: Hoc enim etiam habent aliæ res distinctæ ab igne; & tamen hujusmodi fœcunditatem non obtinent; sed quia petitur, & clauditur in conceptu principii talis distinctio. Quæ doctrina locum habet non solùm in creatis; sed etiam in divinis: Ubi ratio principii distinctionem aliquam includit. Est tamen singulare discrimen inter utrumque principium, creatum scilicèt, & increatum: Nam distinctio realis, quæ est inter principium creatum, & ejus terminum, arguit imperfectionem; quia est inter unam, & alteram naturam; quæ naturarum multiplicitas limitationem, & imperfectionem importat in modo producendi, & communicandi.

Distinctio principii increati ab ejus termino, nō est distinctio naturarū.

78. Attamen realis distinctio, quæ intercedit inter principium increatum, & ejus terminum, non est distinctio naturarum; cum producens, & productum sint ejusdem naturæ; sed solùm, & totum hoc componitur per oppositionem relationum, in quâ oppositione nulla reperitur imperfectio; atque adeò dixi supra, quod à solâ relatione secundùm diversos conceptus, quos de illâ formamus, sumitur, & quod constituat in Patre personam; & quod appropriet, & distinguat principium *quo*; & quod appropriet, & distinguat processionem activam, seu generationem; & deniquè quod his suppositis sit, quo referatur in ratione Patris ad Filium. Quæ omnia in creatis à pluribus entitatibus realiter inter se distinctis præstantur.

Dico 1. principiū quo radicale importat divinā naturā principaliter, & relationē minùs principaliter.

79. Sit ergo prima Conclusio. Principium *quo* primum, & radicale divinarum processionum est natura divina, prout modificata relatione sub conceptu appropriantis naturam; ita, ut utrumque importetur in nomine *Principium*: Unum scilicèt divina natura magis principaliter; alterum verò scilicèt relatio sub eo conceptu, minùs principaliter. Unde divina natura determinata relatione sub dicto conceptu, quo appropriatur ad Patrem, est principium radicale respectu processionis Filii; & determinata relatione spiratoris, est principium radicale respectu processionis Spiritus Sancti. Ita expresè Divus Thomas, quem sequuntur Doctores ad finem Lectionis præjactæ relati, licèt in modo loquendi inter se dissideant.

80. Probatur primò Conclusio authoritate Divi Thomæ quæst. 2. de Potentiâ, artic. 2. ubi in corpore, post alias impugnatas sententias, sic dictat: *Et propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo Paternitas, etiam quantum ad id, quod est generationis principium; & propter hoc cum aliis dicendum est, quod potentia generandi simul essentiam, & notionem significat.* Ita ibi. Ex quibus sic. In eo consistit generativa Patris potentia, quod significatur, & importatur hoc nomine *Potentia generandi*. Sed tali nomine significatur utrumque; natura scilicèt, & notio, seu relatio, ut tenet S. Thomas. Ergo in utroque consistit principium radicale divinarum processionum. Nota tamen, Sanctum Doctorem planè loqui in sensu reali; & non prout principium radicale, & proximum distinguuntur formaliter penes nostros conceptus; in quo sensu duplex nostra Conclusio procedit.

Itē probatur à paritate suppositi creati.

81. Probatur secundò ratione. In supposito creato nulli præter naturam competit esse principium primum, & radicale operationum, & effectuum talis suppositi: Cum sola natura sit radix proprietatum, & potentiarum, mediis quibus suppositum operatur. Id ipsum, seclusis imperfectionibus, est in supposito divino dicendum. Consequentia patet. Quia cum supposito Patris attribuamus naturam divinam, necesse est, quod sit principium radicale, ut appropriata.

Rursùs quia cū in solā naturā Filius genitus cū Patre generante cōveniat, illa principaliter importa tur.

82. Probatur tertiò quod scilicèt natura divina sit potissima, & quasi principalior pars in principio radicali. Quia principium *quo* primum, & radicale est principaliter; id, in quo genitum convenit cum generante per similitudinem, aut identitatem. Sed id, in quo cum Patre generante Filius genitus convenit, non est relatio; sed natura. Ergo hæc, & non illa est conceptus, seu quasi pars principalior in principio generativo; & idem est de principio spirativo. Major patet exemplo hominis virtute humanæ naturæ filium generantis, qui ei in naturâ humanâ similis invenitur. Hæc tamen sequenti Conclusione amplius innotescent.

Dico 2. principiū *quo* proximū cōsistit in intellectu & voluntate.

83. Sit secunda Conclusio. Principium *quo* proximum divinarum processionum, seu potentia generativa, & spirativâ consistunt in intellectu, & voluntate divinis, ut includunt relationes Paternitatis, & spiratoris; sub conceptu appropriantis intel-

te: sic autē potentia generativa, & spirativa dicunt relationes genitoris, & spiratoris.

lectum Patri; & sic est potentia generativa in Patre; & sub conceptu appropriantis voluntatem Patri, & Filio; & sic est potentia spirativa indivisibiliter in utroque. Conclusio est etiam Divi Thomæ, & videtur satis communis inter omnes illos, qui dicunt, divinas processiones esse per intellectum, & voluntatem: Intelligenda tamen est juxta sensum præcedentis; ita tamen, ut relationes se habeant minùs principaliter; intellectus verò, & voluntas magis principaliter.

Prima pars probatur. Id est, quod præstat divina natura, præstat & intellectus divinus.

84. Probatur prima pars Conclusionis; quod scilicet intellectus, & voluntas constituant principium *quo* proximum. Divina natura ut determinata Paternitate, est principium *quo* radicale productionis Verbi. Ergo intellectus divinus prout involuit relationem, erit principium *quo* proximum hujus processionis; & servatâ consequentiâ, id ipsum erit de voluntate divinâ respectu processionis Spiritûs Sancti. Consequentia probatur. Quia hoc ipsum, quod radicaliter, & remotè præstat divina natura, potest præstare divinus intellectus in esse intelligibili. Atqui divina natura præstat ad productionem Verbi radicalem concursum. Ergo intellectus præstabit concursum proximum in generatione Verbi. Tum etiam quia Theologi, explicent altissimam divini Verbi generationem, confugiunt ad verbi intellectûs nostri productionem, hinc emendicatâ specie pro illius aliquali explicatione: Quod ita certum est, ut nihil sit communius Sanctis Augustino, & Thomæ, aliisque Theologis. Ast respectu Verbi creati anima rationalis, quæ natura est, se habet ut principium radicale; intellectus verò noster in actu, sive informatus specie, ut principium proximum, & potentia productiva verbi, ut est notissimum omnibus, & nos sæpiùs explanavimus. Ergo pari ratione, & proportione servatâ in Deo, divina natura se habebit radicaliter, & intellectus divinus ut principium proximum, & potentia generativa verbi, cointellectâ semper relatione. Tum denique quia in creatis in id ipsum, in quo natura creata influit, influunt potentiæ ad naturam sequutæ ut principia proxima. Ergo pari modo in divinis eveniet, seclusis imperfectionibus.

Firmatur. Quia ad generationē verbi non concurrit intellectus divinus ut principiū radicale.

85. Firmo rationem. Intellectus divinus concurrit ad generationem verbi, ut omnes Theologi tenent contra Durandum. Atqui non concurrit ut principium primum radicale. Ergo per modum principii proximi. Minor probatur. Quia principium *quo* primum, & remotum debet esse radix proximi. Sed divinus intellectus sub hoc conceptu solùm est potentia, & nullatenùs natura, ad quam pertinet esse radicem attributorum. Ergo intellectus divinus nequit ut principium remotum concurrere: Unde vel nullo modo concurrit, vel si concurrit, ut est certum, solùm erit ut principium proximum, & potentia generativa. Minor ostenditur. Quia intellectus noster ad productionem sui verbi non concurrit ut principium radicale; sed ut principium, & potentia proxima. Ergo idem dicendum de intellectu divino.

Dum ad divina ex creaturis ascendo, nō intēdo perfectionis paritatē; sed investigationem.

86. Ubi notā, me in hoc vim consequentiæ non facere, quasi intendam paritatem in perfectione, vel in modo producendi; hoc enim à Catholico, & rationali penitùs abest; sed solùm ex creaturis intelligere modum, quo tribuamus Deo ordinatè perfectiones, quas ex ipsis investigamus; ita, ut nec perfectiones, nec ipsos conceptus confundamus, tribuendo tibi quod non illi; sed alteri debetur attribui. Quod quidem satis conforme est doctrinæ Divi Thomæ quæst. 2. de Potentiâ, artic. 1. in corpore, dicentis: *Quia verò de divinis loquimur secundùm modum nostrum, quem intellectus noster capit ex rebus inferioribus, ex quibus scientiam sumit; ideò sicut in rebus inferioribus cuicumque attributur actio, attribuitur aliquod actionis principium, quod potentia nominatur; & in divinis, quamvis in Deo non sit differentia potentiæ, & actionis, sicut in rebus creatis; & propter hoc generatione in Deo positâ, quæ per modum actionis significatur. Oportebit ibi concedere potentiam generandi, vel potentiam generativam.* Ita ibi. Quod quidem valde observari debet.

Respectu Verbi divini nihil præter intellectionē potest per modū actionis significari.

87. Ex quibus novum discursum pro Conclusione conficio. In Deo ponitur generatiò, quæ per modum actionis explicatur. Ergo in Deo debet etiam poni potentia generativa. Utraque propositio constat ex Divo Thomâ. Tunc sic. Sed respectu verbi producti nihil aliud potest per modum actionis significari nisi intellectio ut involuit relationem Patris. Ergo nihil aliud potest significari per modum potentiæ generativæ, nisi intellectus ut involuit relationem Patris sub alio conceptu, juxtà superiùs dicta. Minor constat. Quia respectu verbi nulla actio potest excogitari, quàm intellectio; ac proinde nulla alia potentia, quàm intellectus; ut patet ex potentiâ productivâ verbi creati; ex quibus accipimus speciem, ut ait Divus Thomas, ad discurrendum, loquendumque de rebus divinis.

Modū loquendi quorūdā

88. Ante probationem verò secundæ partis conclusionis; quod scilicet principium *quo* proximum, sive potentia generativa,

Doctorũ expendo.

tiva, & spirativa, dicunt licet minùs principaliter relationes Genitoris & Spiratoris: nota, plures Doctores, dum requirunt relationes ad principium *quo* proximum divinarum processionum, asserere relationes hujusmodi dici de connotato, vel tanquam conditionem, vel modum, vel in obliquo. Quod si per hujusmodi loquendi modos velint excludere relationes à conceptu principii proximi. Ita ut tota & adæquata ratio principii *quo* stet in perfectione absolutâ, quæcumque ab eis assignetur, sive divina natura, sive quælibet alia; minùs benè procedunt. Si verò per tales modos loquendi velint, relationem ingredi quidem constitutionem principii *quo* proximi, licet non ita principaliter, sicut intellectus, & voluntas: hæc est sententia nostra.

2. pars suadetur ex S. Thom. authoritate, & deinde ratione.

89. Unde quoad istam partem probatur quod scilicet relatio intret ad constitutionem. Primò. Quia ita asserit, & clarè Divus Thomas ubi supra in illis verbis: *Et propter hoc in ratione potentiæ includitur quodammodo Paternitas, etiam quantum ad id, quod est generationis principium.* Secundò. Quia potentia generica ex suo conceptu intrinseco, & ratione formali habet quod | sit propria solius Patris: similiter potentia spirativa habet, quod sit propria Patris & Filii. Ast intellectus ut excludit conceptum proprietatis primæ personæ, non habet, quod sit proprius Patris; & idem de voluntate: quia hæ potentiæ seclusis proprietatibus, communiter se habent. Ergo intellectus non est potentia generativa ex eo, quod connotet quasi extra se proprietatem Patris; sed ex eo quod est Paternitas, vel ut illam includit. Major patet. Quia aliter potentia generativa esset quid commune, essetque in Filio, & Spiritu Sancto; cùm seclusis proprietatibus & relationibus in Deo omnia sint communia. Minor etiam est constans. Quia intellectus divinus, qui connotat Paternitatem, etiam est in Filio. Dices esse quidem in Filio; sed non prout connotat Paternitatem. Sit ita: Rogo tamen quid significat ly *prout*? Vel significat intellectum, ut reduplicat supra Paternitatem? sic autem jam ratio reduplicata involvitur in conceptu intrinseco potentiæ generativæ; quod nos asserimus. Si autem ly *prout* secludat relationem à potentiâ generativâ, ita ut tota ratio illius sit solùm in intellectu; redit argumentum, & eo probatur totam rationem potentiæ generativæ formaliter esse in Filio, sicut ibi est formaliter tota ratio intellectûs.

3. Quia cum Patri suppositio generatio activa tribuatur ei tribuenda

90. Probatur tertiò. Quia implicat dari vel etiam intelligi actionem circa aliquem terminum esse propriam alicujus suppositi, quin assignemus tali supposito propriam, & peculiarem potentiam ad talem terminum. Sed supposito Patris tribuitur generatio activa, quæ ex suo conceptu est propria Patris, & petit esse distincta necessariò à Filio producto. Ergo ei tribuenda est propria, & peculiaris potentia ad generandum. Tunc sic. Sed in divinis nihil est proprium, & peculiare uni personæ præ alia, nisi ratione relationis, aut proprietatis personalis. Ergo si in conceptu potentiæ generativæ involvitur quod sit propria Patris, in eo à fortiori includitur proprietas aut relatio, ratione cujus est propria. Major videtur certa. Nam alicui demus, quod calefacit actu si potentiam calefaciendi, necesse est, ei tribuere. Minor patet. Tum: quia generare in divinis non dicitur essentialiter, sicut intelligere; aliàs omnes Personæ generarent, sicut intelligunt. Ergo dicitur notionaliter, sed quod notionaliter dicitur, involvit notionem, seu proprietatem, ratione cujus notionaliter dicatur. Ergo. Minor subsumpta, & alia ex dictis clarè deducuntur.

est peculiari potentia ad generandum.

4. Probatur & simul ostenditur cur relatio minùs principaliter

91. Probatur quartò & simul ostenditur quarè minùs principaliter relatio constituat principio *quo* proximum. Nulla forma communis potest esse principium alicujus operationis, seu termini particularis, & determinati, nisi ut determinata & individuata. Sed intellectus divinus sub conceptu intellectûs divini præcisè, se habet veluti forma communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto. Ergo ut sic nequit esse potentia realis productiva Verbi. Ergo ut sit realis potentia productiva, necessarium est, quod aliquid includat determinans, seu quasi individuans intellectum divinum. Sed sola proprietas personalis Patris se habet veluti individuatio quædam divini intellectûs in ordine ad generandum. Ergo potentia proxima generativa in Patre per intellectum includit talem proprietatem, sive relationem. Sed quando aliquid constituitur ex duobus conceptibus, quorum alter pertinet ad speciem, vel se per modum speciei habet; & alius pertinet ad individuationem speciei, vel se habet per modum principii individualis; cõceptus, ille qui in constituto se habet per modum formæ specificæ, principalior est alio se habente per modum principii individualis. Ergo utrumque habemus nostro discursu, scilicet & quod relatio includitur in ratione principii *quo* proximi, & quod minùs principaliter se habeat; intellectus verò magis principaliter: quia se habet per modum formæ ex se pertinentis ad naturam, vel ad rationem formæ communis, & quasi specificæ.

92. Major primi Syllogismi probari posset inductione plurium. Nam calor nisi individuatus nequit esse principium proximum alicujus determinati; & idem dicendum de aliis quibuscumq; potentiis tam spiritualibus, quàm materialibus. Minor est certa. Utraque verò consequentia legitima.

Mino-

Minorem subsumptam clarè colligo ex Divo Thomâ quæst. 2. de potentiâ, artic. 2. in solutione ad quintum, ubi sic effatur. *Dicendum, quod in qualibet generatione principium generationis principaliter non est aliqua forma individualis, sed forma, quæ pertinet ad naturam speciei. Item non oportet quod genitum similetur generanti quantùm ad conditiones individuales; sed quantùm ad naturam speciei. Paternitas autem non est in Patre per modum formæ specificæ, sicut humanitas in homine; sed est in eo, ut ita dicam, sicut principium individuale; est enim proprietas personalis.* Sic ibi; ut nihil aliud pro nobis possit desiderari. Quod autè dictum est de intellectu & relatione Patris, eodem modo transferendum est ad lineam voluntatis & spirationis, respectu processionis Spiritûs sancti.

LECTIO VIII.

Argumenta contraria solvuntur.

2. conclusioni non refragatur S. Aug. l. 5. de Trinit. c. 6. & 7.

93. ARguitur primò contra primam conclusionem ex almo Augustino lib. 5. de Trinitate cap. 6. &. 7. illis verbis: *Filius ideò Filius, quia genitus.* Ergo Pater ideò Pater, quia generans; & ideò generans, quia Pater. Sed est Pater paternitate ut formâ. Ergo est generans, seu potens generare paternitate, & non naturâ. Authoritate tanti Doctoris admissâ, distinguo minorem: Paternitate tantùm, nego: naturâ divinâ determinatâ relatione Paternitatis concedo, Natura igitur divina, ut quasi appropriatur per relationem Patris, dicitur principium *quo* radicale; non quod suppositum sub tali conceptu sit radicale principium, sed solùm natura cum relatione.

Non ex eo quod eadē divina natura sit in 3. personis sequitur in omnibus esse principiū radicale.

94. Arguitur secundò. Eadem natura est in Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ergo. Si natura est primum, & radicale principium in Patre, & erit in Flio. Ast ubi est principium radicale generationis, ibi est potentia proxima generativa, ac proinde generatio. Ergo hæc omnia erunt in Filio. Hoc argumentum illis dumtaxat est difficile, qui totam & adæquatam rationem principii radicalis constituunt in naturâ divinâ respectu potentiæ generativæ & generationis. Nobis tamen nihil obstat. Quare distinguo antecedens: eadem natura, & eodem modo, nego: eadem, sed diverso modo, concedo antecedens. In Patre quidem est cum relatione Paternitatis, quæ intrat modo explicato ad constitutionem principii *quo* sive radicalis, sive formalis: & quia hoc modo in Filio non est: ideò in Filio non datur neque principiū radicale, neque proximum generationis.

2. conclusioni non repugnat Angel. supra cit.

95. Arguitur tertiò contra secundam conclusionem ex Divo Thomâ supra citato ex illis verbis. *Potentia generandi simul essentiam, & notionem significat.* Ex quibus sic. Potentia generandi est principium *quo* proximum. Sed potentia generandi juxta Divum Thomam dicit naturam divinam & relationem. Ergo potentia generandi non resultat ex intellectu & relatione. Patet consequentia. Quia conceptus intellectûs divini non est conceptus naturæ; sequitur ad naturam divinam; sicut conceptus intellectûs humani non est conceptus naturæ rationalis: sed sequitur ad naturam rationalem. Respondeo ex dictis supra, Sanctum Doctorem loqui de potentia generativa in sensu identico, & reali, non prout condistinguitur à principio radicali, cujus non meminit Sanctus Thomas: cùm ergo in Deo realiter & identicè loquendo idem sint intellectus & voluntas, ac ipsa natura divina, eo quod realiter nulla sit distinctio in perfectionibus absolutis; ideò ait Sanctus Thomas quod potentia generativa essentiam, & simul notionem significat. Nos verò loquimur de potentiâ generativâ, prout distinguitur formaliter per intellectum à suâ radice, ut patet ex utraque conclusione; in quo sensu non dissentit.

Sequetur. ne ex sententia nostrâ veritas hujus propositionis, *intellectus generat.*

96. Arguitur quartò. Si intellectus prout in Patre esset principium *quo* proximum generationis verbi, hæc propositio: *Intellectus generat esset vera:* sicut quia in sententiâ satis probabili est principium *quo* intellectionis, verè dicitur, quod *intellectus intelligit.* Atqui hæc propositio: *Intellectus generat*, tam falsa est, ac ista *essentia generat*; cujus falsitas definita est in cap. *Damnamus*, de summâ Trinitate. Argumentum hoc facile retorquetur ad Adversarios ponentes in solis relationibus principium *quo* proximum: nam etiam hæ sunt falsæ in sensu formali: *Paternitas generat, Filiatio generatur*, juxta Divum Thomam hic quæst. 2. ad 2. & tamen Paternitas juxta Adversarios est principium *quo* proximum generationis. Ergo ex eo, quod intellectus, & voluntas modo *supra* explicato sint principium *quo* proximum, non probatur Arguentis intentum.

Negativè respondeo, & cōspicuā præbeo rationem.

97. Respondeo negando sequelam. Tum quia intellectus præcisè divinus non est principium *quo* proximum: quia hoc resultat ex intellectu principalius, & ex relatione minùs principaliter. Tum etiam quia principium *quo* non supponit pro personâ, vel non supponitur pro supposito: cùm igitur actiones solùm suppositis tribuantur; hinc est quod *generare*, non possit tribui intellectui, adhuc determinato per relationem. Ergo relatio non denominat intellectum sub conceptu formæ hypostaticæ, quâ suppositum constituitur; sed solùm sub conceptu formæ determinantis, aut distinguentis

guentis quod præcisè requiritur ad rationem principii, quo aliquid distinctum producitur. Ad illud verò quod dicitur de illâ propositione: *intellectus intelligit*, licet aliqui cum Godoy assignent discrimen inter actus essentiales, & notionales, eo quod illi realem naturarum distinctionem minimè requirunt; videtur tamen dicendum quod in sensu formali non sit ita propria propositio illa: *intellectus intelligit*: quia in tali sensu magis se habet intellectus, ut *quo* Deus est potens intelligere, quàm ut id, quod intelligit; licet in sensu physico & reali concedenda sit,

Nõ debet à termino producto distingui, quod constituit principiũ proximũ quasi forma specifica.

98. Arguitur quintò. Principium *quo* proximum debet realiter distingui à termino producto. Ergo quod constituit principium proximum, debet etiam realiter distingui. Sed intellectus divinus non distinguitur realiter à Filio, nec voluntas à Spiritu Sancto. Ergo nec intellectus divinus constituit principium *quo* processionis verbi, nec voluntas principium *quo* proximum respectu processionis Spiritûs Sancti. Ergo, &c. Relictâ solutione P. Artiagæ dicentis, quod sufficit ut distinguantur processiones, nõ requiri ut principium *quo* proximum distinguatur realiter in divinis: nihilominùs cum aliis respondeo: quod constituit in divinis principium *quo* proximum per modum quasi formæ specificæ, nego: per modum quasi formæ individualis, concedo consequentiam. Et concessâ minori, consequentiam inficior. Ratio est. Quia intellectus, & voluntas in Deo constituunt principium *quo* proximum per modum quasi formæ specificæ, in quâ terminus productus assimilatur perfectissimè producenti: cùm ergo perfectissima similitudo sit in divinis concedenda inter producens & productum, hæc sufficienter salvatur per realem identitatem, ac proinde deducitur planè, quod in illis perfectionibus realis nequeat esse distinctio: secùs autem in relationibus Paternitatis, & Spirationis, quæ solùm constituunt principium *quo* per modum quasi formæ individualis, in quâ terminus productus in creatis nequit, nec petit assimilari generanti.

Potentia generandi in Patre est perfectio infinita 2. illud quod principaliter importat

99. Arguitur sextò. Vel potentia generandi in Patre est aliqua perfectio infinita, vel non est? Si primum: ergo potentia generandi est in Filio. Patet consequentia. Tum quia Pater producendo Filium, communicat ei suam infinitam perfectionem. Tum quia nulla est perfectio infinita, quæ non sit tribus Personis communis. Si secundùm: ergo intellectus non constituit principium *quo* proximum; cùm intellectus sit quædam infinita perfectio. Argumentum pendet ab illâ quæstione, utrùm divina relatio sub tali conceptu dicat perfectionem? de quâ postea. Quidquid tamen sit de hoc, respondeo potentiam generativam (& idem de spirativa) esse infinitam perfectionem, saltem secundùm id, quod magis principaliter importatur in eâ: si enim potentia generativa, & alia quælibet productiva in creatis absque dubio est perfectio, à fortiori debebit esse potentia productiva in divinis. Distinguo tamen primum consequens: si ly *generandi* sumatur passivè, concedo: si activè sumatur, nego consequentiam. Igitur tota æquivocatio suboritur ex modo accipiendi gerundium illud *generandi*: si enim activè accipiatur, tantùm valet ac potentia, ut aliquis generet: hoc autem modo potentia generandi in Filio non est; sed solùm in Patre: quia præter perfectionem intellectûs claudit relationem Paternitatis, quæ nullo modo reperitur in Filio. Si verò gerundium illud sumatur passivè, potentia generandi tantùm valet, ac potentia, ut aliquis generetur: hâc autem ratione generandi potentia in Patre non est; sed solùm in Filio: quia hæc dicit præter intellectum relationem Filii, quæ non est in Patre. Unde potentiam generandi, quoquo modo accipiatur, semper comitatur relatio; si activè, relatio Paternitatis: si passivè, relatio Filiationis.

Potentia generandi competit Patri per id, quo quasi individualiter differt à Filio.

100. Arguitur septimò. Actus conveniens uni, & alteri repugnans, debet illi competere per id, quo differt ab altero. At relatio, seu potentia generandi, vel potiùs generatio convenit Patri, & repugnat aliis Divinis Suppositis. Ergo debet Patri competere per id, quo differt ab aliis suppositis. Sed Pater non differt per intellectum à Filio, & Spiritu Sancto. Ergo intellectus nequit esse id, quo principaliter Patri convenit generare. Major primi Syllogismi probatur exemplo hominis. Quia ratiocinari inest homini, & repugnat bruto, ratiocinari dicitur convenire homini per id, quo differt à bruto. Ergo idem de omni actu uni conveniente, & alteri repugnante. Distinguo majorem: debet illi competere per id, quo differt ab alio, vel in esse specifico, vel individuali, concedo: necessariò in esse specifico, nego majorem. Et distinguo minorem: Competit Patri per id, quo differt veluti individualiter, concedo: per id, quo differt veluti specificè, nego minorem.

Igitur in propriâ Petris generativâ duo dantur considerari.

101. Undè in potentiâ generativâ, quæ est propria Patris, & ratio cujus generatio activa soli Patri convenit, & non aliis suppositis; est considerare duplicem conceptum: alium magis principalem, & ut specificum, ut potè qui pertinet ad rationem naturæ; & hic est intellectus divinus: per quem conceptum non est opus, quod Pater differt ab aliis suppositis: Imò in hoc principium *quo* petit

identitatem cum termino producto: cùm adhuc in eo debeat dari perfectissima similitudo, quæ nequit cum distinctione reali in divinis salvari. Est & alia formalitas in potentiâ generativâ, scilicet relatio, quæ se habet ut ratio individualis omninò necessaria, ut non solùm generatio approprietur Patri; sed etiam ut ejus principium *quo* proximum ei peculiariter tribuatur; & per hanc distinguitur principium *quo* à termino producto; quia per talem relationem opponitur Pater Filio; Quare sicut Filius habet potentiam, ut generetur, ita Pater, ut generet; ita tamen, ut in utrâque ingrediatur constitutivè divinus intellectus: nam cum Paternitate constituit potentiam quâ Pater generat; cum Filiatione verò constituit potentiam illam, quâ Divinus Filius generatur.

Non ideò quia solus intellectus communicetur solus ille est principium communicativum.

102. Arguitur octavò. Patrem generare, non distinguitur ab eo, quod est Patrem communicare Filio suam naturam, & perfectiones, Ergo generatio, & communicatio idem sunt. Sed principium communicativum solùm stat in intellectu; quia hic solùm communicatur; non verò relatio etiam minùs principaliter. Ergo neque minùs principaliter constituit ista principium *quo* proximè productivum. Concessis antecedenti, & utrâque consequentiâ, nego minorem. Quia licet solus intellectus communicetur, prout *communicari* dicit identitatem cum termino producto: non tamen infertur, quod solus intellectus sit principium communicativum. Ratio est. Tum quia principium communicativum non potest se habere activè respectu sui ipsius Ergo necessariò debet respectu alterius realiter distincti. Cùm ergo intellectus divinus præcisè non distinguatur realiter à Filio, opus est, ut dicat relationem, ratione cujus principium *quo*, sive communicativum, sive productivum distinguatur ab eo, quod producit, & cui communicat suammet perfectionem. Tum etiam quia sicut Pater est potens generare, & communicare, sic Filius est potens generari potensq; ut ei Pater communicet. Sed in Filio potentia, ut generetur, & ut ei aliquid communicetur, nequit in solo intellectu salvari, nec in aliâ qualibet absolutâ perfectione. Ergo nec ratio principii producentis, &c.

Non sufficit distinctio virtualis principiū *quo* & ejus terminus.

103. Instabis. Plus distant produci, & non produci; generari, & non generari, quam esse virtutem productivam, & terminum productum. Sed in divinis cum solâ distinctione virtuali inter absoluta, & relativa, salvantur produci, & non produci, &c. Ergo cum eâdem distinctione potent salvari, esse virtutem productivam realiter & terminum productum; ac proinde solus intellectus licet sit realiter idem cum Filio, beneficio distinctionis virtualis poterit esse principium *quo* reale proximum Filii; & Filius esse terminus realiter productus, licet sit idem cum intellectu. Quidquid sit de distinctione virtuali (de quâ infra) eâ admissâ instantiâ multùm probat. Et quidem si quia datur distinctio virtualis, potest dari principium *quo* productivum, & terminus productus in eâdem perfectione: ergo similiter eo, quod per distinctionem virtualem componitur produci & non produci; poterit componi absque distinctione reali producens, & productum: Unde principium *quod* producens non distingueretur realiter à producto, & consequenter à Filio; nec uterque à Spiritu Sancto. Quare si distinctio virtualis extendi non potest ad hoc, ut sine reali distinctione dentur principium *quod* producens & terminus productus ita similiter nequit extendi ad principium *quo*, & ejus terminum, ut salventur sine distinctione reali. jam verò cùm talis realis distinctio solùm salvetur per oppositionem relativam, planè deducitur ipsam relationem in principio *quo* includi debere.

Arguitur ex s. Athanasio, & ex D. Th.

104. Arguitur tandem ex Sancto Athanasio Dialogo 5. de Trinitate sic loquente: *Pater hypostasi gignit.* Ergo gignit solâ relatione. Ulteriùs ex Sancto Thomâ quæst. 36. hîc artic. 4. docenti: *Sicut igitur Pater, & Filius sunt unus Deus* propter unitatem formæ significatæ per hoc nomen *Deus*: Ita sunt unum principium *Spiritûs Sancti propter unitatem proprietatis in hoc nomine principium.* Et in 1. Sentent. quæst. 1. artic. 3. ubi ait. *Generatio enim non egreditur ab essentiâ, in quantùm est essentia; sed in quantùm est Paternitas: & si ista duo, nempè, essentia, & Paternitas differrent in Divinis, egrederetur ab utraque generatio; sed à Paternitate immediate, & ab essentiâ, sicut à primo principio.* Ex quibus sic juxta Divum Thomam, si Paternitas ab essentiâ distingueretur realiter, generatio esset immediatè à Paternitate, & mediatè solùm ab essentiâ. Sed modò virtualiter, vel per distinctos conceptus distinguuntur. Ergo ut sic erit immediatè à Paternitate, & virtualiter mediatè ab essentiâ, & consequenter ab intellectu. Patet consequentia. Quia quod tunc faceret distinctio realis ad immediationem, & mediationem realem, præstabit nunc distinctio virtualis, vel formalis per intellectum ad immediationem, vel mediationem formalem, vel virtualem per intellectum. Ex quibus infertur planè, principium *quo* immediatum, & proximum; imò & ipsam generationem in solâ relatione vel virtualiter, vel

vel virtualiter, vel ratione distinctâ ab essentiâ, omninò consistere, loquendo in sensu formali, aut virtuali.

Expono S. Athanasium, & D. Thomam hic quæst. 36. art. 4.

105. Respondeo ad primum Sancti Athanasii, Patrem hypostasi gignere, prout includente divinam essentiam ad potentiam generativam, & intellectionem ad ipsam generationem; vel gignere hypostasi ut principio distinctivo, aut individuali constituente in Patre potentiam generativam, & ipsam generationem. Ergo hypostasis est ratio faciendi potentiam generativam, & ipsam generationem propriam Patris. Ad secundum Divi Thomæ dicito, mentem Angelicam fuisse, quod sicut Pater, & Filius sunt unus Deus propter unitatem formæ specificæ, vel absolutæ, scilicèt Deitatis significatæ per hoc nomen *Deus*; sic Pater, & Filius sunt unum principium relativè ad Spiritum Sanctum; quia relatio spiratoris, quæ talè principium constituit ut ratio individualis, & distinctiva; est etiam unica: Principia etenim in divinis solùm multiplicantur per relationes: Inde tamen non probatur, quod sola relatio spiratoris sit principium *quo*: Imò hoc ab ejus mente alienissimum est.

106. Major difficultas apparet in secundo Divi Thomæ testimonio: Quapropter Cajetanus, Godoyus, atque Gonetus aiunt, S. Thomam in libro sententiarum in eâ fuisse sententiâ, ut assereret, solam Paternitatem esse principium *quo* proximum; quam sententiam in summâ posteà impugnavit, & retractavit. Cæterùm verius est, Doctorem Angelicum hanc nostram semper tenuisse sententiam in primo libro sententiarum: Tum quia ibi distinct. 7. art. 2. ex professo agens de potentiâ generandi, in corpore sic inquit: *Essentia, secundùm quod est ipsa Paternitas, est principium actûs, qui est generare; non sicut agens; sed sicut quo agitur: Unde principium generationis est essentiale sub ratione relationis; unde est quasi medium inter essentiale, & personale: Ex parte enim illâ, quâ potentia, quæ est media inter essentiam, & operationem, radicatur in essentiâ, est absolutum: Ex parte autem illâ, quâ conjungitur cum operatione, est relativum.* Tum quia idem docet in solutione ad secundum, & tertium. Ex quibus patet, semper nostram docuisse sententiam; quod scilicèt ex aliquo, quod radicatur in essentiâ per modum potentiæ; & ex ipsâ relatione constituitur principium generationis. Quod quidem Doctores Thomistæ non videntur satis consideraſse. Ad illud autem de casu distinctionis inter essentiam, & relationem, respondeo, mentem Divi Thomæ fuisse, quod si relatio distingueretur realiter ab essentiâ, principium formale proximum esset relatio; non quidem sola ut relatio; sed ut intellectus, vel cum intellectu, qui in eo casu etiam distingueretur ab essentiâ: Quia ex suppositione distinctionis realis absolutè impossibilis, vi consequentiæ contingeret id ipsum, quod defendimus in creaturis, ubi proprietates, seu potentiæ operativæ distinguuntur realiter, se habente essentiâ ut principio primo, & radicali. Ex quibus nihil ex Divo Thomâ contrà nostram Conclusionem infertur.

Neorobis opinionitur Angelicus in 1. sententiar. quæst. 1. art. 3.

QUÆSTIO III.

Cur Processio secundæ Personæ Trinitatis sit Generatio; non verò Processio tertiæ?

DUm altum hoc æternæ generationis secretum, sobriè tamen, recludere accingor, vastissimum quidem pelagus, & multorum naufragiis celebre ingredi video; cujus profunditatis abyssus, vel magnitudo plurimorum ingenia sic absorbuit, ut exemplo posteritati fuerint, non oportere anchoram refigere in altum, nisi ex divini numinis secundus ventus adspiret, & ab omni mundanæ sapientiæ flatu mortalis ingenii vela detumescant. *Generationem enim ejus quis enarrabit?* Stupet certè natura; ratio suscipit, Philosophia miratur: Sola Fides animosa docet; cui natura obsequium dare, parere ratio, & Philosophia subjici debet. Meritò ergò antequam ad certamen his tricis implexum, humana ratio descendat, suspirium pro divinâ luce his carminibus quàm humillimè tollimus:

Aura potens, Amor ignipotens, spiritale numen,
Amborum communis Amor, Cœli aurea flamma;
Sancte veni, sanctis accende ardoribus orbem:
Divinum Flamen, nostris te mentibus affla.

LECTIO I.

Ratio dubitandi, & pro eâ expediendâ, Doctorum placita.

Rationē dubitandi propono.

107. RAtio igitur dubitandi, eaque difficillima in præsenti sic à Doctoribus communiter efformatur: *Generatio viventium est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* Sed processio Spiritûs Sancti est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ. Ergo est generatio. Major ab omnibus recipitur. Minor verò probatur, per singulas talis definitionis particulas decurrendo. In primis enim processio Spiritûs Sancti est *origo viventis*; cum sit Personæ viventis productio. Deinde est *à principio vivente*; cum sit à Patre, & Filio tamquàm ab unico principio. Præterea est *à principio conjuncto*: Quia id solùm denotat principii generantis conjunctionem cum genito; quæ conjunctio perfectior invenitur inter Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio, ac est in creatis, ubi conjunctio solùm salvatur per partem substantialem decisam à generante: In divinis verò est per identitatem naturæ, quæ est eadem in termino procedente, ac in principio, à quo procedit. Denique processio Spiritûs Sancti est *in similitudinem naturæ*: Quæ id tantùm denotat, terminum productum habere eandem vel specie, vel numero naturam cum suo principio. Aſt Spiritus Sanctus eandem specie, & numero naturam habet cum Patre, & Filio. Ergo de primo ad ultimum processio Spiritûs Sancti erit generatio.

Ejus difficultatem agnovit S. Augustinus de

108. En difficultatem, quæ tot celebris inexpedibiliter implicatur, ut ingeniorum Aquila Augustinus lib. 2. de Trinitate, cap. 5. & lib. 3. cap. 14. in hæc eruperit verba: *Non omne, quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat, quod nascitur: Hæc scio; distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Ita Augustinus. Sed tamen intra modum nostrum sobriè, ac reverenter agendo, ut & Filii generationem, & Spiritûs Sancti processionem expendere, discutere, ac distinguere possimus; oportet priùs altè impressa Scholasticorum vestigia ante omnia relegere.

1. Sēntia tenet, non debere illius dis-

109. Prima in hâc difficultate sententiâ fuit aliquorum, qui eâ convicti, dixerunt, nullam hujus discriminis rationem; cur scilicèt una processio generatio sit; non verò alia; investigandam esse. Ita Magister sententiarum, quem sequuntur Major, & Gabriel, fundati authoritate aliquorum Sanctorum Patrum asserentium, talis Mysterii ignorare rationem. Sic Damasus lib. 1. de Fide, cap. 10. Athanasius Dialogo 3. Basilius Homilia 2. contra Sabellianos, Augustinus lib. supra citato; ac proinde tenent, hoc inquirere, tutum non existimari, quod Trinitati solùm cognitum est. Verùm hi Doctores in hoc prolato extrà nostram controversiam existunt, utpotè Quæstionis titulo se opponentes; & rejiciuntur facilè ex communi Doctorum sententiâ, qui in hujus rei ratione reddendâ, laudabiliter insudarunt, hærentes vestigiis Sanctorum Augustini, Anselmi, & aliorum, qui licèt evidentem, & demonstrativam rationem non invenerint; tamen suppositâ fide, rationem congruentem, & probabilem, cur una, & non alia harum processionum generatio sit; investigarunt. Nec aliud Sancti Patres voluerunt, quàm demonstrativam hujus dubii rationem solo naturali lumine non posse defendi: Quod quidem libenter, & in obsequium Fidei omnes fatemur.

criminis investigationē.

2. Et 3. sententia.

110. Secunda sententia docet, Spiritum Sanctum ideò non esse genitum; benè tamen Verbum; quia hoc ab uno supposito; ille verò à duobus procedit. Quam sententiam illustrarunt noviter peracuti nostri Recentiores. Tertia sententia asserit, secundam Personam suâ processione evadere Filium; non autem Spiritum Sanctum; quia licèt utrique communicetur ex vi processionis natura divina, & consequenter ut similis suo principio Spiritus Sanctus procedat; non tamen procedit per modum imaginis; quod necessarium erat, ut esset Filius. Hanc tenent Canarienſis, & Torres, eamque posteà multis illustravit acutissimus noster Vasquez disputat. 113. cap. 6. & 7. cui posteà subscripsere Turrianus disput. 2. dubitat. 7. Alarcon. tract. 5. disputat. 8. cap. 16.

4. Est Richardi à Sancto Victore.

111. Quarta aliorum sententia est, ideo Verbum esse Filium, quia accipit naturam ex vi processionis ad alterius oppositi productionem fœcundam: Ac proinde Spiritum Sanctum ideo non esse Filium, quia licèt ex vi processionis sit similis suo principio in essentiâ; non tamen in naturâ sub conceptu naturæ, eò quòd hæc consistit in fœcunditate alterius suppositi productivâ, quam sic non accipit Spiritus Sanctus. Ita Richardus de Sancto Victore lib. 6. de Trinitate, cap. 18. quem sequuntur PP. Zunniga, & Martinon disputat. 24. sect. 9.

112. Quin-

5. Tribuitur Ribadeneyræ.

112. Quinta sententia tribuitur P. Ribadeneyræ disputat. 4. de voluntate Dei, cap. 2. à num. 22. qui supponens, intellectionem, & volitionem divinam esse objectivè, & virtualiter omninò idem; & ex parte Patris utrique personæ communicari ex vi processionis satis insinuat, ideò secundam Personam potiùs, quàm tertiam, esse Verbum; quia clariùs suum principium explicat intelligens, quàm volens: Tertia verò Persona econtrà clariùs explicat suum principium ut volens, quàm ut intelligens; seu quia Personalitas secundæ Personæ clariùs explicat eam ut accipientem à suo principio intellectionem, quàm volitionem: Personalitas verò tertiæ Personæ clariùs explicat eam ut accipientem à suo principio volitionem, quàm ut accipientem intellectionem. Quo autem pacto Personalitas Verbi valeat explicare potiùs intellectionem, quàm volitionem acceptam à suo principio; cum in utrâque objectivè, & virtualiter sit idem omninò; respondet ingeniosus Doctor, hanc diversimodam explicationem non impediri omnimodâ identitate etiam virtuali inter intellectionem, & volitionem; sicut identitas etiam virtualis inter essentiam divinam, & ejus aptitudinem, ut identificetur realiter triplici Personalitati divinæ, non impedit, quominùs creaturæ clarè explicent ipsum Deum sub conceptu Deitatis, quin eum explicent sub conceptu aptitudinis, ut identificetur triplici Personalitati. Eandem sententiam sequitur Quiroz disputat. 36. sect. 6. pro generatione Verbi potiùs, quàm processione Spiritûs Sancti.

Communissima est ponēs processionē verbi ideo esse generationē, quia est per intellectū.

113. Alia communissima sententia est, processionem Verbi esse generationem; quia est per intellectum; non verò talem esse processionem Spiritûs Sancti, quia est per voluntatem. Tribuitur hæc sententia Divo Thomæ in primò distinct. 3. quæst. 1. artic. 3. ad 3. & distinct. 28. quæst. 2. artic. 3. in corpore; & passim alibi. Divum Thomam sequuntur ex nostris eximius Doctor Pater Suarez, P. Molina, Valentia, Arrubal, & Recentiores omninò plures; ex Thomistis verò Cajetanus, Ferrara, Joannes, Zumel, Godoy disp. 74. §. 1. Gonet artic. 4. §. 4. & frequentissimè innumeri alii.

In eâ tamē explicandâ tot sunt opiniones, quot capita.

114. Quamvis tamen in hanc sententiam major Theologorum pars conspiret; at pro ejus explicatione tot sunt opiniones; quot capita. Noster Suarez, quem nobiles Recentiores sequuntur, sic eam explicat. Nam eo ipso, quod Verbum per intellectum procedat, & per voluntatem Spiritus Sanctus, Verbo communicatur intellectio, & Spiritui Sancto volitio. Sed intellectio est constitutivè ipsa essentia divina; secus autem volitio, quæ naturam constitutam supponit. Ergo Verbum eo ipso, quod per intellectum procedat, evadit ex vi suæ processionis simile suo principio in naturâ, & consequenter Filius: Spiritus verò Sanctus eo, quod per voluntatem procedit; non evadit similis in naturâ; sed in attributo naturæ; & consequenter nec est Filius, nec genitus. Salmanticenses autem lib. de Trinitate, disputat. 2. dub. 3. & disputat. 3. dub. 3. aliique Recentiores Thomistæ cum P. Suario in eo conveniunt, quod Dei naturam in actuali intellectione constituant: Quo supposito, rationem Divi Thomæ sic formant. Verbo ex eo, quod per intellectum procedat, communicatur divinum intelligi. At intelligi, & intelligere sunt omninò idem in Deo. Ergo ex vi processionis communicatur illi divina intellectio, & consequenter divina natura in intellectione consistens; quod quidem non contingit in processione Spiritûs Sancti, quæ per voluntatem est. En sententias, in quas circa præsentem controversiam Scholastici Doctores hinc inde distrahuntur: A quarum tamen impugnatione pro nunc consultò abstinemus, ne dum claritati insistimus, majori caligine Quæstionem per se difficillimam obscuremus; quale autem judicium sit ferendum contra prædictas opiniones, ex dictis pro sententiâ nostrâ facilè constabit.

LECTIO II.

Nonnulla ex veriori doctrinâ fundamenta jaciuntur.

Quæstio nō est, cur 2. persona sit Verbū potiùs, quàm 3.

115. PRo pleniori expediendæ difficultatis intelligentiâ suppono primò controversiam inter Doctores præcipuam non esse, quare secunda Persona Trinitatis sit Verbum potiùs, quàm tertia; vel quare hæc sit Spiritus Sanctus potiùs, quàm secunda: Hujusmodi autem difficultatem facilè, & fortè absque ullo de re dissensu omnes expedirent, recurrendo ad intellectum, & voluntatem: Cum enim de ratione intellectûs sit, quod medio suo actu formet conceptum, quem communi vocabulo *Verbum* dicimus; & secunda Persona per intellectum procedat juxtà ea, quæ Quæstionibus antelapsis fusiori calamo expendimus; hinc clara redditur ratio, quare secunda Persona procedat ut Verbum. Jam verò cur tertia Persona Spiritus Sanctus dicatur, & nullo modo Verbum;

licèt ratio non sit ita perspicua (ut infrà constat) ac ea, quam pro secunda Persona assignavimus; nihilominùs sic potest explicari: *Spiritus* est nomen impositum ad significandam subtilitatem alicujus naturæ; & sic hoc nomen applicatur tam rebus corporeis, quàm incorporeis; aërem enim spiritum dicimus propter subtilitatem; & ex hoc attractio aëris, vel ejus expulsio dicuntur spiratio, & respiratio; hinc etiam illi vapores subtiles, per quos in partes corporis virtutes animæ diffunduntur, spiritus vitales communiter appellantur; quorum notitiam naturalem tradidi in Tractatu in Generatione.

Idcircò incorporea dicuntur spiritus, utpotè remotissimâ à materialitate.

116. Similiter autem incorporea propter subtilitatem dicuntur spiritus; sic dicimus duos spiritus Angelum, & animam rationalem; & ex hoc dum videmus aliquos se amantes, sibique concordes, dicimus, esse unius spiritûs, vel in unum conspirare, seu omnes esse unum cor, & unam animam, juxta Aristotelem Ethycor. 9. *Proprium amicorum est, unam animam in duobus corporibus esse.* Jam verò cum subtilitas, à qua spiritus nomen trahit, explicetur per remotionem à materialitate; ita, ut ea quæ multum de materialitate participant, dicamus *Grossa*, sicuti sunt terra, lignum, &c. ea verò, quæ minùs de eâ participant, dicimus subtilia, sicut aër, elementum ignis, &c. fit planè, quod cum incorporea removeantur à materia, & præcipuè Deus, qui in supremo immaterialitatis gradu existit; spiritualitas secundùm significationem hominis priùs, & maximè Deo competat; deinde rebus incorporeis magis, quàm corporeis, licèt subtilibus, ut jam præcipuè Scholasticorum usus obtinuit; licèt fortè secundùm impositionem hominis spiritualitas magis se habeat ad corporalia, eò quòd nobis, qui nomina imposuimus, eorum subtilitas est magis nota.

Illâ autē ratione *Spiritus* est nomē tribus Personis cōmune.

117. Ex dictis possumus affirmare, hoc nomen *Spiritus*, in quantum significat subtilitatem naturæ, & remotionem ab omni materialitate, commune esse tribui divinis Personis. Sed ex duplici capite tertia Persona dicitur Spiritus Sanctus: Primò & est præcipua ratio Divi Thomæ in primo distinct. 10. quæst. 1. artic. 4. Quia per tertiam Personam, & dona ipsius trahimur in participationem divinæ spiritualitatis, in quantum à temporalibus removemur; & ideo rerum temporalium contemptores viri spirituales; hoc autem specialiter convenit tertiæ Personæ, in quantum procedit per voluntatem ut Amor, qui habet rationem primi doni, in quo omnia dona donantur. Alia ratio est: Quia est Amor Patris in Filium, quo se diligunt, & amantem, & amatum in spiritu uniri, dicimus.

Do rationem, cur 3. Persona sit Spiritus Sanctus.

118. Quarè autem tertia Persona non solùm *Spiritus*; sed etiam dicatur *Sanctus*; ratio esse potest. Quia cum bonum amatum habeat rationem finis, & eo fine motus voluntatis dicatur bonus, vel malus; necesse est, quod Amor, quo summum bonum amatur, eminentem quandam bonitatem obtineat, quæ nomine *Sanctitatis* solet explicari; sive *Sanctum* accipiatur quasi *Purum*, ut Græci usurpant; quia in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis; sive dicatur *Sanctum*, idest *firmum*, ut habent Latini; quia in Deo est immutabilis Bonitas. Quapropter omnia, quæ in Deum ordinantur, sancta dicuntur, ut templum, & ejus vasa, &c. Habemus igitur, quare secunda Persona *Verbum*, & tertia *Spiritus Sanctus* dicantur. Modò superest difficultas, quarè scilicèt secunda Persona sit Filius, & ejus processio generatio; non verò Spiritus Sanctus, nec ejus processio?

Intellectus noster possibilis, intelligibili hominis speciè recepta, ejus expressivū cōceptū statim efformat.

119. Suppono secundò quod intellectus noster possibilis simul ac recipit speciem intelligibilem, v. g. hominis, format conceptum expressivum hominis; ita, ut simul ac ipsum format, hominem in ipso contempletur; quemadmodùm Petrus in speculo sibi objecto, sui format speciem, & simul se in speculo videt. Ratio hujus doctrinæ clarissima, & nobis cum Divo Thomâ familiaris est. Quia cum intellectus utpotè potentia purè spiritualis, & interna, non possit ferri immediatè in res materiales, & corporeas, quæ sunt physicè, & realiter extrà animam; hoc enim spectat ad sensus materiales, & externos; necesse habet, mediâ specie intelligibili, quæ oritur ab ipsis rebus, verbum producere, quod sit expressa similitudo rei, ut rem in tali verbo, seu conceptu percipiat; Quemadmodùm si Petrus velit se videre, necessum habet sui speciem in speculo formare, mediâ quâ se, non immediatè in se ipso; sed in specie speculi videat: Hoc enim, quod est species speculi, ut Petrus se videat, est intellectui nostro possibili verbum, quod mediâ specie impressâ efformat, ut rem, cujus talè verbum est expressa similitudo, in eo cognoscat, aut intelligat; sic ergo salvatur, & intelligitur illud satis commune principium; quod scilicèt intellectus noster ex necessitate intelligendi verbum producit.

Verbum nostrum differt ab intellectione in eo, quod

120. Suppono tertiò hoc esse discrimen inter intellectionem, quâ intellectus noster rem in verbo cognoscit; & ipsummet verbum; quod scilicèt hoc se habet per modum procedentis à potentiâ intellectivâ;

secus

illud se habet per modum procedentis à potentia intellectivâ.

secùs autem *intelligere*, seu intellectio, quia à potentiâ immanenter aliquid operante, actio immanens non est quæ egredietur; sed solùm ejus terminus: terminus autem actionis, quæ dicitur intellectio, solùm est verbum mentis: & sic sentit Sanctus Thomas opuscul. 13. de differentiâ divini verbi & humani, his verbis: *Cùm* intelligere *non sit actio egrediens ab intelligente; sed in ipso maneat; verbum autem interiùs conceptum per modum egredientis se habet, quod testatur verbũ exterius vocale, quod est ejus signum: Illud enim egreditur à dictione vocaliter ad extra: Illud ergo propriè dicitur verbum interius, quod* intelligens *intelligendo format.* Sic S. Thomas. Unde sicut verbum vocale, quod est signũ mentalis semper se habet per modũ progredientis ab ore, sic verbum mentale se habet per modũ procedentis ab intellectu fœcundo per actum, quo simul diligit, & intelligit, juxta explicationem datam de constitutivo potentiæ generativæ.

Duplex verbum in intellectu nostro cõsidero, aliud quod est similitudo alicujus rei ab intellectu distinctæ.

121. Suppono quartò, quod, cùm verbum mentis, juxta nuper dicta, significet aliquid procedens ab intellectu, & in intellectu taliter existens, ut sit expressa similitudo rei intellectæ. Duplex verbum possumus in nostro intellectu considerare: aliud quod sit similitudo intentionalis alicujus rei distinctæ ab ipso intellectu: sic posità specie intelligibili lapidis in intellectu, mediâ eâ format verbum solius lapidis expressivum: unde licet tale verbum procedat ab intellectu; non tamen procedit ut referens similitudinem intellectûs à quo procedit; sed ut referens similitudinem lapidis, cujus species est in intellectu. Hujusmodi autem sunt omnia, quæ noster intellectus efformat, ut intelligat alia objecta à se distincta.

Aliud est, quod intellectus producit ut se ipsũ intelligat.

122. Quia verò noster intellectus non solùm habet intelligere alia objecta; sed etiam se ipsum intelligere: Tunc quidem cùm intellectus se ipsum intelligit, vel ut se intelligat, producit verbum: hoc autem verbum habet simul, quod procedat ab intellectu, & quod procedat ut similitudo illius à quo procedit. Ratio est. Quia cùm omne verbum interius ex naturâ suâ habeat, quod sit similitudo expressa rei intellectæ: & intellectus quando intelligit, habeat simul & esse intelligens, & esse res intellecta; deducitur clarè verbum illud, quod tunc ab intellectu procedit, non solùm procedere utcumque ab intellectu: sed necessariò procedere ũt similitudinem illius à quo procedit. Natura igitur hujus verbi est, quæ magis accommodatur ad explicandam processionem verbi divini, ut notat Divus Thomas quæst. 2. de Potentiâ, artic. 1. his verbis: *Sicut autem in nostro intellectu se ipsum intelligente, invenitur quoddam verbum progrediens, ejus, à quo progreditur, similitudinem gerens: Ita & in Divinis invenitur Verbum similitudinem ejus, à quo procedit, habens.* Idem refert opusc. 3. hoc sensu expendens Sanctum Augustinum hoc modo: *Et ideò Augustinus ponit similitudinem Trinitatis in animâ, secundùm quod mens intelligit se ipsam, non autem secundùm quod intelligit alia.*

Verbum nostrum à divino differt in eo, quod priùs fuit in potentiâ, quàm in actu.

123. Suppono quintò quod licet natura nostri verbi mentalis congruentiam aliquam importet ad intelligendum, vel loquendum de Divinâ Verbi processione: nihilominùs Divinum Verbum de Paternâ mente procedens, in multis à nostro verbo discriminatur. Prima differentia sumitur ex eo, quod verbum nostrum priùs fuit efformabile, seu in potentiâ, quàm efformatum, sive in actu. Ratio est. Quia eo modo quo potentiam habet, seu est in potentiâ intellectus noster, ut se intelligat; cùm alio modo non possit intelligere, nisi efformando verbum; eo modo verbum nostrum erit efformabile, sive in potentiâ. Ratio etiam est. Quia cùm intellectus Patris semper essentialiter, & necessariò sit in actu intelligendi, semper est actu verbum ejus, ab ipso procedens.

Rursùs, quia est imperfectum, divinum autẽ verbum perfectissimum.

124. Secunda differentia sumitur ex eo quod verbum nostrum est imperfectum: Verbum autem divinum est perfectissimum. Ratio hujus assignatur ab Angelico Doctore opusculo citato his verbis: *Quia nos non possumus omnia, quæ sunt in animâ nostrâ uno verbo exprimere; & ideò oportet, quod sint plura verba imperfecta, per quæ divisim exprimamus omnia, quæ in scientia nostrâ sunt: In Deo autem non est sic: cùm enim ipse intelligat, & se ipsum; & quidquid intelligit per essentiam suam unico actu, unicum verbum divinum expressivum est totius, quod in Deo est; non solùm Patris; sed etiam creaturarum: aliter esset imperfectum: Unde ait S. Augustinus, si aliquid minùs esset in verbo, quàm in scientiâ continetur dicentis, Verbum esset imperfectum.*

Item differt in eo, quod nostrum ab intellectu se intelligente procedens nõ est ejusdẽ naturæ cũ illo.

125. Tertia differentia est, quod verbum nostrum quod procedit ab intellectu, cùm, hic se intelligit, non est ejusdem naturæ cum intellectu. Ratio est, quia verbum creatum, sive expressivum sit aliquid rei ab intellectu distinctæ, sive sit expressivum ipsius intellectûs; à quo procedit; semper est alius essentiæ, & naturæ à re, cujus est similitudo: etenim verbum lapidis non est ejusdem naturæ cum lapide extra animam existente: nec verbum expressivum ipsiusmet intellectus est ejusdem naturæ cum intellectu nostro: nam si intellectus sit ipsa essentia, aut natura animæ (ut aliqui docent) sic habebit naturam & essentiam substantialem; verbum autem illius, cùm sit quoddam accidens intentionale, solùm habet naturam accidentalem. Si verò intellectus noster sit potentia distincta ab animâ (quod verius putamus) tunc intellectus habet naturam, seu essentiam potentiæ; verbum autẽ quod procedit ab intellectu ut illius expressa similitudo, est accidens talis potentiæ intellectivæ, ac proindè longè

diversæ

diversæ naturæ ab eo, à quo procedit.

126. At Verbum Divinum, cùm in Deo accidens esse non possit procedit ut substantialis similitudo Patris, & ejusdem naturæ cum illo, ita ut quâ Verbum, procedat ut similitudo rei intellectæ, & quâ divinũ progrediatur ut simile in eadem naturâ Patris: Intellectus autem creatus, cùm se intelligit, communicat suo verbo quondam esse accidentale in diversâ essentiâ, & naturâ ab eâ, quam intellectus habet: at Pater æternus, cùm se intelligit communicat in verbo esse ejusdem naturæ, quam Pater habet. Unde in intellectu nostro verbum lapidis habet quidem esse lapidis, non naturale, sed solùm accidentale: similiter verbum quod de se ipso format intellectus noster; habet esse intellectûs; non tamen habet esse naturale in eâdem naturâ, quàm intellectus habet; sed solùm esse intentionale, & per modum similitudinis accidentalis.

At Verbũ divinum procedit ut substantialis similitudo Patris, & ejusdẽ cum illo naturę

127. At verò Pater æternus cùm se, & suam essentiam intelligit, producit verbum, ei eandem communicando naturam, quam intelligit: quia ad rationem verbi, quod est similitudo rei intellectæ, requiritur, quod habeat vel propriè, vel impropriè, hoc est, vel naturaliter, vel intentionaliter, aut accidentaliter tantùm naturam rei intellectæ: sed Verbum Divinum non potest procedere, ut referens naturam divinam, quam Pater intelligit eam per modum accidentis habendo; quia hoc Deo omninò repugnat: nec habendo naturaliter eandem specie naturam, numero tamen distinctam, sicut contingit in Petro respectu sui patris: quia natura divina ex se est una essentialiter, & individua substantia. Ergo Verbum divinum à fortiori procedit ut referens similitudinem Patris, eâdem numero gaudendo naturâ, quam Pater intelligit. Jam verò cùm in quâlibet naturâ id, quod procedit habens similitudinem naturæ ejus, à quo procedit, appelletur Filius; & in Verbo divino hoc verissimè contingat, non erit operosum juxta principia, & fundamenta data concludere quare Verbum divinum sit verè & propriè Filius.

Pater autẽ se intelligens, producit verbum, ei eandem intellectâ communicando naturam.

128. Suppono sextò. Ex dictis facilè colligi discrimen inter illud, quod procedit per intellectum, & inter illud, quod procedit per voluntatem: nam de ratione Verbi, quod exprimit intelligentem, est, quod sit similitudo intelligentis, à quo procedit; ita ut quò perfectiùs est intelligens, eò perfectior evadat verbi illius similitudo; in hoc autem stat processio, quæ attinet ad intellectum, qualis est processio verbi interioris. Processio autem quæ fit per voluntatem, nullatenùs dicit, aut petit, ut id quod procedit per voluntatem, sit similitudo amantis, aut boni amati, nec quod procedat ut amantis, aut ejus naturæ similitudo. Rationem

Do discrimen inter procedes per intellectum, & procedẽs per voluntatem.

præbet Angelicus Doctor opusc. 2. cap. 46. ita: *Amatio autem fit secundùm quandam motionem amantis ad amatum: Amatum enim trahit ad se ipsum amantem: igitur non perficitur amatio in similitudine amati, sicut perficitur intellectio in similitudine intellecti; sed perficitur in attractione amantis ad ipsum amatum.*

129. Clariùs autem opusculo eodem, cap. 49. sic tradit Angelicus Magister: *Secundùm autem quod intellectus actu intelligit, est in ipso id, quod intelligitur. Hoc igitur, quod est, intellectum esse in intelligente, procedit ex virtute intellectivâ intellectûs, & hoc est verbum ipsius, ut supra dictum est: similiter etiam id, quod amatur, est in amante, secundùm quod amatur actu: quod autem aliquid actu amatur, procedit ex virtute activâ amantis, & ex bono amabili actu intellecto. Hoc igitur quod est, amatum esse in amante, ex duobus procedit; scilicet ex principio amativo, & ex intelligibili apprehenso quod est verbum conceptum de amabili: Cum igitur in Deo se ipsum intelligente, & amante, Verbum sit Filius; is autem, cujus est Verbum, sit Pater Verbi, ut ex dictis patet; necesse est quod Spiritus Sanctus, qui pertinet ad amorem, secundùm quod Deus in se ipso est ut amatum in amante, ex Patre procedat, & Filio: Unde in Symbolo dicitur*: Qui ex Patre, Filioque procedit. Ita S. Thomas.

Ita S. Th. op. 2. c. 49.

130. Ex quibus duo inferuntur: Primum; quod in divinis id, quod procedit per intellectum, ut intellectum in intelligente, est Verbum divinum, ac proinde formaliter Deus. Secundum: quod id, quod procedit per voluntatem ut amatum in amante, sit etiam formaliter Deus, qui Spiritus Sanctus vocatur. Unde, ut infra dicam, non acquiesco Thomistarum, & aliquorum Recentiorum doctrinæ dicentium, Spiritum Sanctum non procedere per voluntatem divinam formaliter ut Deum: & aliundè est quærenda ratio, cur Verbum non solùm sit Deus, sed etiam procedat ut Filius Dei: Spiritus verò Sanctus, cùm sit per processionem formaliter Deus, & ut talis procedat, non tamen procedat ut Filius.

Unde in divinis procedẽs per intellectum, est Verbũ Dei, & formaliter Deus, & procedẽs per voluntatem est Spiritus S. formaliter Deus.

131. Suppono denique, ne in re adeò gravi, & perdifficili puris vocibus laboremus, aliquos quæstionis terminos esse, qui frequenti usu, & passim exaudiuntur in hâc controversiâ, & qui explanatione indigent: hujusmodi sunt: *Ex vi processionis: in similitudinem naturæ: formaliter ut Deus: materialiter, seu identicè Deus, &c.* Pro quibus nota, tam Filii, quàm Spiritûs Sancti processiones convenire in ratione communi divinæ processionis, & differre in notionibus particularibus, quibus specialiter constituuntur: v. g. processio Verbi, per hoc, quod est divina processio, habet specialiter & tanquam sibi proprium,

Terminos explico in hac quæst. usitatos.

proprium, quod fit per intellectum, in quo à processione Spiritûs Sancti differt: quia hæc, licet etiam sit processio divina, non est per intellectum; sed per voluntatem; hoc autem speciale, quod relucet in divinis processionibus, significamus, cùm inter disputandum dicimus, Verbum Divinum v. g. ex vi suæ processionis habere aliquid, quod non habet Spiritus Sanctus; & è contra de Spiritu Sancto, &c.

132. Adverte iterùm, quod terminus hîc: *Ex vi suæ processionis*, potest sumi activè, & terminativè: *activè* significat illud speciale, quod relucet in processione activè sumptâ; v. g. In processione activâ Verbi divini relucet, quod ea sit generatio activa Patris: ideſt, quod illa sit determinata, & modificata relatione Patris. Similiter speciale, quod habet processio Spiritûs Sancti activè sumpta, est, quod sit spiratio activa, ideſt Amor, prout modificatus relatione Spiratoris: quæ relatio constituit cum Amore in utrâque Personâ Patris, & Filii actionem unam spirandi; sicut voluntas cum eâdem relatione constituit unum principium spirativum. Et eodem modo discurrendum est de processionibus terminativè sumptis: v. g. quod processio secundæ Personæ dicat essentialiter ex parte termini, terminum procedere ut verbum subsistens, & non ut Amorem subsistentem: & ècontrà de processione Divini Spiritûs. In hoc autem sensu usurpatur, loquendo de processione passivâ, terminus ille: *Ex vi suæ processionis.*

133. Hinc facilè capies, quid significent Doctores, cùm dicunt, aliquam divinam Personam materialiter habere aliquod prædicatum; non verò formaliter: vel quod licet habeat formaliter, illud tamen non habeat ex vi suæ processionis: est idem ac dicere, quòd illud prædicatum, supra quod cadit, & conceditur ly *materialiter*, ei Personæ non communicatur ex vi suæ processionis: at quia hoc aliud, quod formaliter communicatur, identificatur cum illo alio, consequenter dicunt, quod talis Persona habet tale prædicatum materialiter tantùm, seu identicè propter identitatem realem cum prædicato ex vi processionis communicato, v. g. Dicunt, quod Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis, non est Deus, quia non communicatur ei natura divina sed solùm volitio: quia tamen cum volitione identificatur natura divina, consequenter dicunt, quod Spiritus Sanctus illam materialiter habet; & consequenter quod solùm identicè evadit Deus.

LECTIO III.

Mentem propriam triplici conclusione produco.

134. PRima Conclusio. Quælibet Persona in divinis habet, quod sit formaliter Deus, ac proinde habet omnes perfectiones divinas, & absolutas, attenta solùm ratione communi divinæ processionis. Explicatur Conclusio. Ex dictis constat, in divinis processionibus duo esse consideranda; scilicet & rationem divinæ processionis præcisè, & particularem rationem, quæ uni processioni competit præ aliâ. Nunc dicimus, quamlibet ex Personis procedentibus ratione præcisâ divinæ processionis habere formaliter, quod sit Deus, eique formaliter communicari divinam naturam cum reliquis perfectionibus. Et quidem quod secunda Trinitatis Persona hæc omnia habeat, facilè concedunt Scholastici omnes: Dubium solùm vertitur circa Personam Spiritûs Sancti, quod quidem in hâc conclusione venit expediendum. Dico 1. Quælibet persona habet esse in divinis formaliter Deus, attentâ solùm communi ratione processionis

135. Probatur primò authoritate Divi Thomæ sic dicentis quæst. 2. de Potentiâ, artic. 2. *Et propter hoc cùm Filius procedat ut Verbum per actum intellectûs divini in quantum Pater cognoscit se ipsũ, & Spiritus S. per voluntatem in quantùm Pater diligit Filium: sequitur quod tã Filius, quàm Spiritus S. naturaliter procedant; & ex hoc ulteriùs, quod sint consubstantiales, & coæquales, & coæterni Patri, & sibi ipsi.* Sicibi. At Spiritus S. non procederet consubstantialis Patri. coæqualis, & coæternus, nisi ratione divinæ processionis procedret ut Deus cum eisdem perfectionibus. Ergo. Id probat S. Thom. q. 2. de Pot. a. 2.

136. Rem clariùs ostendit S. Thomas quæst. 10. de Divinis Processionibus, art. 2. Ubi in corpore sic ait: *Unde patet: quod ex quo omnia attributa essentialia concurrunt in unam processionem Filij, non potsit processionum differentia inveniri secundùm rationes attributorum diversas; ita quod per unam processionem attendatur communicatio unius attributi, & per aliam communicatio alterius; cùm etiam processionis terminus sit habere (cùm ad hoc procedat Divina Persona, ut habeat, quod accipit procedendo.) Processiones autem secundùm terminos distinguantur: necesse est, ut sicut habens distinguitur in divinis; ita distinguatur & procedens: Habens autem non distinguitur in divinis ab habente per hoc, quod hic habeat hæc attributa; ille verò alia; sed per hoc, quod eadem unus habeat ab alio: Sic ergo procedens ab alio procedente distinguitur; non quia unus hæc procedendo accipiat; alius illa; sed quia unus illorum ab alio accipit.* Ita Magister Angelicus. Et clariùs q. 1. de divinis process. art. 2.

licus. Ex quibus sic discurro. Unus procedens, & alius procedens solùm potest intelligi in Deo de Filio, & Spiritu Sancto quia hi sunt Personæ procedentes, ut est fide certum. Sed juxta Sanctum Thomam unus procedens non distinguitur ab alio per hoc, quod unus procedendo habeat hæc; ille verò alia. Ergo quantùm accipit *Filius ratione divinæ processionis*, tantùm accipit Spiritus Sanctus ratione suæ divinæ processionis. Sed Filius accipit naturam, & reliquas perfectiones divinas. Ergo idem accipit Spiritus Sanctus. Relinquitur ergo quod tota diversitas sit desumenda ex peculiari modo, & ratione, quæ ita relucet in unâ, & non relucet eadem in aliâ.

2. Quia Spiritus S. est Deus formaliter de Deo

137. Probatur secundò à ratione. Quia Spiritus Sanctus est Deus formaliter de Deo. Sed Deus formaliter de Deo, est Deus formaliter per processionem. Ergo Spiritus Sanctus ratione divinæ processionis est Deus formaliter, ac proinde ei communicatur divina natura cum omnibus suis attributis, & processionibus. Major constat. Nam in Divinis præter Patrem reliquæ Personæ sunt Deus de Deo. Minor patet. Quia Deus de Deo formaliter dicit processionem divinam, nec aliud importat, vel significat particula *de* apud Theologos.

Non valet dicere spiritum S. esse Deũ de Deo materialiter.

138. Nec valet, si dicas, Spiritum Sanctum esse Deum de Deo materialiter, non verò formaliter: quia Spiritus Sanctus non solùm identicè; sed etiam formaliter procedit. Sed omnis terminus ad hoc procedit, ut habeat quod accipit procedendo. Ergo Spiritus Sanctus cùm habeat & accipiat esse Deum de Deo formaliter procedendo, erit Deus formaliter ratione divinæ processionis præcisè. Roboratur præjacta ratio. Nam de ratione cujusvis processionis creatæ, mediâ quâ agens producit, est, quod ejus terminus accipiat esse, & essentiam, sive naturam aliquam creatam, ita, ut præcisè intellectâ actione creatâ, necessè sit consequenter, ut intelligatur ejus terminus habens esse, & essentiam creatam. Ergo de ratione actionis, sive processionis divinæ est, quod ejus terminus habeat esse, & essentiam divinam. Antecedens cõstat inductione omnium. Non enim assignabitur terminus per actionem aliquam creatam productus, quin talis terminus habeat essentiam creatã distinctam ab agente, à quo procedit. Consequentia tenet à paritate: nam sicut de ratione termini creati est, quod aliquam habeat essentiam à suo principio distinctam: sic imperfectione sublatâ, de ratione termini divini est quod habeat ratione processionis divinæ naturam & essentiam, non quidem distinctam ab essentiâ & naturâ, quæ est in suo principio *quod*, aut personâ droducente.

Ulteriùs quia cùm Spiritus S. sit persona distincta dicit formaliter naturam divinam.

139. Probatur ulteriùs conclusio. Primò si Spiritus Sanctus non procederet à Patre & Filio, non esset Persona ab eis distincta. Ergo Spiritus Sanctus est Persona distincta: quia ab illis procedit, ac proinde ratione divinæ processionis. Tunc sic. Sed Persona divina distincta dicit formaliter naturam divinam cum reliquis perfectionibus, & cõsequenter esse Deum. Ergo Spiritus S. ratione divinæ processionis est formaliter Deus. Antecedens & prima consequentia constant. Quia seclusis processionibus in Deo, non est dari, imò nec intelligi distinctio Personarum. Secundò quia non ita benè salvatur æqualitas formalis divinarum processionum, nec personarum procedentium: nam si unâ divinâ processione communicatur natura divina; altera verò formaliter non communicatur: certè divinæ processiones formaliter non erunt æquales, perfectiorq; erit processio, in quâ divina cõmunicatur natura, ac est illa, in quâ non cõmunicatur. Similiter si una divinarum Personarum formaliter evaderet, & esset Deus, alia verò non: absque dubio erit illa istâ perfectior: quod quidem cum veritate, & ratione pugnat. Ergo cùm tota ratio perfectionis in divinâ processione ortum habeat, non ex eo quod processio sit; cùm hoc prædicatum etiam competat creaturis, nec eo quod processio sit per intellectum, vel voluntatem; cùm similes processiones etiam in creatis concedamus: sed solùm ex eo, quod processio sit divina, ratioque prædicati divini æqualiter imbibatur in divinâ processione, planè infertur, quod quidquid communicatur in unâ divinâ processione, vi divinæ processionis æqualiter, ac in aliâ, communicetur; ac proindè totam quæstionem devolvi, quare cùm uterque procedens ratione divinæ processionis sit formaliter Deus de Deo, consubstantialis Patri, coæternus; coæqualis; & utraque Persona omnibus gaudeat perfectionibus absolutis; quare una procedat ut Filius; alia verò non? quare processio unius sit generatio, & non sit processio alterius? Hoc opus; hic labor est: Circa quem:

Dico 2. Ideo 2. persona procedit ut Filius, quia procedit ut Verbum gerens similitudinem divinæ naturæ;

140. Sit Secunda conclusio. Ideo secunda Persona procedit ut Filius, ejusque processio est verè generatio: quia secunda Persona ratione suæ peculiaris processionis procedit ut Verbum gerens similitudinem divinæ naturæ, quam suâ intellectione intelligit Pater. Hanc conclusionem edocent Almus Augustinus 6. & 7. de Trinitate, 7. Sanctus Ambrosius lib. 4. de Fide. Sanctus Basilius lib. 5. contra Eunomium; Sanctus Thomas quæst. 2. de Potentiâ, & 4. contra Gentes, & in aliis locis: Quibus ex nostris subscribunt planè Eximius Doctor Suarez libr. 11. de Trinitate, cap. 5. numer. 16. & cap. 6. numer. 14. Et cum eo major

major nostrorum Recentiorum pars; estque inter Thomistas communior sententia.

Explicatur Conclusio.

141. Explicatur Conclusio. Clarè constat ex dictis, quod sicut secunda Trinitatis Persona procedit tamquàm Deus de Deo; sic, & æqualiter tertia Persona; ac proinde divinæ Personæ non differunt per hoc, quod est procedere; quia hoc est commune utrique Personæ: Nunc verò specialem damus rationem, & assignamus discrimen, quare secunda Persona procedat non solùm ut Deus, quod etiam Spiritui Sancto convenit formaliter; sed etiam ut Filius; quod nequit tertiæ Personæ competere: Dicimusque, rationem immediatam esse, quod secunda Persona non solùm procedit processione divinâ utcumque; sed per modum verbi perfectissimi: Cum igitur de ratione verbi sit, quod procedat ut expressa similitudo illius, quod intellectus intelligit: Et Pater Æternus, intelligendo se, & suam essentiam, suum Verbum producat; fit, quod tale Verbum procedat ut perfectissima similitudo naturæ divinæ, quàm Pater intelligit: Hæc autem perfectissima similitudo stare nequit, nisi Verbum eandem naturam subsistantialiter habeat, ad distinctionem Verbi creati juxta dicta supra.

Probatur 1. ex S. PP. Augustino, & Ambrosio.

142. Probatur Conclusio primò authoritate Sanctorum Patrum. Nam Divus Augustinus ubi supra ait: *Eo Verbum, quò Filius; & eò Filius, quò Verbum.* Ergo ex Sancto Augustino ratio Verbi est ipsissima ratio, cur secunda Persona sit Filius. Sanctus Ambrosius inquit de Filio, ideo dici genitum, & natum; quia Verbum est. Sanctus Basilius ubi supra ait: *Pater Filij genitor, & mens Verbi, Pater ut sapiens, qui sapientiam genuit.* Accedit Angelicus Doctor, rem Scholastico rigore disserens quæst. citatâ de Potentiâ, artic. 3. ad 7. ubi hæc habet: *Et ideò cum Filius procedat per modum Verbi, ex ipsâ ratione suæ processionis habet, ut procedat in similem speciem generantis; & sic quod sit Filius, & ejus processio generatio dicatur.* Ita ibi. Et lib. 4. contra gentes, cap. 11. ait: *Manifestum est autem, quod Deus se ipsum naturaliter intelligit, sicut & naturaliter est; suum enim intelligere est suum esse, ut in primo probatum est: Verbum igitur Dei se ipsum naturaliter intelligentis ab ipso procedit; & cum Verbum Dei sit ejusdem naturæ cum Deo dicente, & sit similitudo ipsius, sequitur, quod hic naturalis processus sit in similitudinem ejus, à quo est processio, cum identitate naturæ. Hæc est autem veræ generationis ratio in viventibus, quod id, quod generatur, à generante procedat ut similitudo ipsius, & ejusdem naturæ cum ipso. Est ergo Verbum Dei genitum verò à Deo dicente, & ejus processio generatio, vel nativitas dici potest.* Ita Sanctus Doctor.

2. Quia 2. persona prout à 1. procedēs ut Verbū ipsius, verè procedit ut ejusdem similitudo, & naturę.

143. Probatur secundò à ratione Conclusio. Veræ generationis ratio in rebus viventibus stat in eo, quod id, quod generatur, à generante procedat ut similitudo ejus, & ejusdem naturæ cum ipso. Ast ex eo, quod secunda Persona procedat à primâ ut Verbum ipsius, se ipsum, suamque naturam intelligentis; id, quod procedit, verè procedit ut similitudo ipsius, & ejusdem naturæ cum primâ Personâ. Ergo tota ratio, cur secunda Persona procedat ut Filius, ejusque processio sit generatio, stat in eo, quod secunda Persona procedat ut Verbum, vel quod ejus processio sit processio Verbi. Major constat ex Divi Thomæ doctrinâ. Minor probatur. Ex eo, quod secunda Persona procedat ut Verbum exprimens naturam divinam, quam prima Persona intelligit, procedit ut similitudo, vel in similitudinem naturæ ipsius intelligentis. Sed non procedit in similitudinem naturæ, tamquàm quid accidentaliter inhærens; cum accidens Deo repugnet. Ergo procedit ut aliquid subsistantialiter subsistens. At non ut subsistens in alienâ naturâ. Ergo de primo ad ultimum efficaciter probatur, quod secunda Persona peculiari ratione suæ processionis per modum Verbi procedit ut aliquid subsistantialiter subsistens in similitudinem ejusdem naturæ divinæ.

Id igitur sufficit ad rigorosam Filii rationem.

144. Jam verò quod id sufficiat ad rigorosam rationem Filii, & generationis, sic probamus. Filius materialis petit ratione suæ processionis materialis accipere speciem, & naturam generantis. Ergo Filius spiritualiter genitus petit ratione suæ processionis spiritualis, quæ perfectissima actio debet esse, accipere naturam spiritualiter generantis. Antecedens constat. Consequentia est legitima. Tunc sic. Sed inter processionem naturæ purè spiritualis, & intellectivæ sola processio verbi est, quâ terminus accipit speciem, aut naturam ejus, à quo procedit, cum se, suamque naturam intelligit; & hoc per modum similitudinis. Ergo eo ipso, quod secunda Persona divina procedat à primâ, se, suamque naturam intelligente, ut Verbum illius subsistens, accipiet naturam divinam ratione peculiari suæ processionis per modum similitudinis. Minor subsumpta patet. Tum quia de ratione verbi est, quod sit similitudo ejus, quod intelligitur. Tum quia Verbum accipit esse simile ab eo, à quo procedit. Tum quia Verbum divinum cùm non evadat terminus purè accidentaliter; sed subsistantialiter similis;

opus est, ut accipiat eandem naturam, quam prima Persona divina intelligit; aliter evaderet tam imperfectum, ac Verbum creatum procedit. Ex quibus omnibus evincitur planè, nihil posse desiderari ad hoc, ut secunda Persona, prout procedit à primâ spiritualiter per modum verbi, sit verè, & propriè Filius spiritualis, ejusque processio generatio. Hoc enim, quod præstat generans materiale per suam materialem generationem, præstat, & quidem perfectissimè, generans spirituale perfectissimum per generationem immaterialem, & spiritualem. Constat ergo, quod secunda Persona vi processionis evadit perfectissimè in similitudinem ejusdem naturæ; ac proinde verè, & propriè Filium.

Dico 3. Ideo Spiritus Sanctus non est Filius, quia ut procedēs per volūtatem, nō procedit in similitudinem naturæ.

145. Sit tertia Conclusio. Ideò Spiritus Sanctus non est Filius, nec ejus processio generatio; quia, cum procedat per voluntatem, ex peculiari ratione suæ processionis non procedit in similitudinem. Ita expresè Divus Thomas ubi supra quæst. 2. de Potentiâ, & 4. contra gentes, cap. 23. & 1. parte, quæst. 27. artic. 2. & 4. & in primo distinct. 13. Angelico Doctori subscribunt communiter Doctores pro sextâ sententiâ citati.

Idē nō est Spiritum Sanctum ratione præcisâ divinæ processionis procedere formaliter ut Deum; ac procedere ut Filium.

146. Explicatur Conclusio. Ex dictis in prima Conclusione constat, Spiritum Sanctum ratione præcisâ divinæ processionis procedere formaliter ut Deum, eique communicari naturam divinam cum reliquis aliis perfectionibus absolutis, quæ communiter Deo tribuuntur: At cum non sit idem, processionem esse divinam, ac esse generationem; nec unam Personam procedere ut Deum de Deo, ac procedere ut Filium à Patre; fit indè, quod Spiritus Sanctus cum sit formaliter Deus per divinam processionem; non tamen procedat ut Filius. Rationem damus. Quia Spiritus Sanctus ratione suæ processionis peculiaris procedit per voluntatem ut Amor; de cujus ratione non est, quod sit similitudo amati, nec natura illius, à quo procedit: Quæ similitudo in naturâ ex parte originis, aut processionis omninò desideratur ad hoc, ut aliqua processio sit generatio, ejusque terminus sit verè, & propriè Filius. His positis.

Ita S. Thomas q. 2. de Potentiâ, art. 3. ex cujus testimonio expresso 1. probatur.

147. Probatur Conclusio authoritate Angelici Doctoris quæst. citatâ de Potentiâ, artic. 3. ubi ait: *Et ideò cum Filius procedat per modum verbi, ex ipsâ ratione suæ processionis habet, ut procedat in similem speciem generantis; & sic quod ejus processio generatio dicatur: Non autem Spiritus Sanctus hoc habet ratione suæ processionis; sed magis ex proprietate divinæ naturæ: Quia in Deo non potest esse aliquid, quod non sit Deus; & sic ipse Amor divinus Deus est, in quantum quidem divinus, non in quantum Amor.* Ita ibi. Tunc sic. Ast ratio specialis in processione Spiritûs Sancti consistit in eo, quod procedat ut Amor. Ergo si in ratione Amoris non habet, quod sit in similitudinem naturæ divinæ; tota ratio positiva, cur non procedat ut Filius, Spiritus Sanctus, erit, quia procedit ut Amor, & per voluntatem, quæ assimilativa non est; licèt ratio negativa sit, quia non procedit ut Verbum.

Itē in 4. cōtra gentes, cap. 19.

148. Idem expresè fusiori calamo declarat S. Doctor 4. contra gentes, cap. 19. ita: *Necesse est igitur, quod Amor, quo Deus est in voluntate divinâ, ut amatum in amante, & à Verbo Dei, & ab eo, cujus est Verbum, procedat; cum autem ostensum sit, quod amatum in amante non est secundùm similitudinem speciei, sicut intellectum in intelligente: Omne autem, quod procedit ab altero per modum geniti, procedit secundùm similitudinem speciei à generante; relinquitur, quod processus ad hoc, quod sit in voluntate, sicut amatum in amante, non sit per modum generationis, ut suprà ostensum est.* Ita ibi. Ex quibus constat, quod dum Pater se intelligit, procedit Deus ut intellectum in intelligente; quod est idem, ac procedere per modum verbi, in quo est natura divina intellecta. Similiter dum Pater, & Filius se amant, procedit etiam Deus, ut amatum in amante. At cum procedere Deum ut intellectum in intelligente, sit idem, ac per modum verbi procedere; & de ratione formalissimâ verbi sit procedere in similitudinem illius, à quo procedit. Deinde de ratione procedentis ut amatum in amante, cum non sit procedere in similitudinem amantis, vel voliti; eò quòd amor, ut talis, non est similitudo rei volitæ; sicut Verbum ut tale est similitudo rei intellectæ; ideò prima; Filii scilicèt, processio, dicitur generatio; non verò secunda.

2. Quia quod Spiritus Sanctus procedat formaliter ut Deus, ejus natura divina cōmunicetur; nō est sufficiens ratio, ut sit Filius.

149. Probatur secundò ratione. Si aliqua esset ratio, cur processio Spiritûs Sancti deberet esse generatio, & illius terminus Filius; maximè, quia formaliter procedit ut Deus, eique communicatur natura divina cum aliis perfectionibus. Sed ratio ista solùm probat, terminum divinæ processionis esse formaliter Deum; non verò esse Filium, quia ad hoc requiritur, quod ratione speciali processionis habeat esse Deum in similitudinem naturæ divinæ; quod quidem non habet processio Spiritûs Sancti; quia ratio specialis istius est, quod procedat ut Amor: Amor autem non habet, quod sit similitudo

naturæ

naturæ amantis, aut boni amati. Ergo. Minor probatur. Quia ad hoc, ut unum suppositum sit, & dicatur Filius alterius, non sufficit, quod ab eo procedat accipiendo speciem, & naturam illius; sed ultrà requiritur, quod ratio procedendi, seu origo illius sit, quæ ostendat similitudinem naturæ inter illud, quod procedit; & suppositum, à quo procedit. Ergo licèt Spiritus Sanctus procedat ratione quasi generica processionis divinæ formaliter ut Deus; cum hoc non habeat ratione propriâ, & speciali suæ processionis, & quæ solùm Spiritui Sancto competit, non est, unde sit Filius, ejusque processio sit generatio.

Id patet ex S. Thomâ lib. 4 cõtra gẽtes.

150. Antecedens probat S. Thomas lib. 4. contra gentes, his verbis: *Si res aliqua naturam alterius ab eo acciperet, non per genituram; sed per alium quemcumque modum, ratione filiationis careret: Ut puta, si aliquis homo virtute sibi divinitùs concessâ, hominem faceret ex aliquâ sui corporis parte, vel etiam exteriori modo; sicut facit artificiata; productus homo producentis Filius non diceretur: Quia non procederet ab eo ut natus.* Ita ibi. Tunc sic. Ergo ad hoc, ut unum suppositum Filius alterius sit; non sufficit, quod utcumque producatur; sed ultrà requiritur, quod modus, quo procedit, sit per generationem; ideſt, quod ratio peculiaris talis processionis sit in similitudinem naturæ. Ergo quamvis Spiritus Sanctus ratione processionis divinæ præcisè procedat ut Deus; cum tamen id non habeat ratione speciali suæ processionis, quæ per modum similitudinis naturæ non est; planè colligitur, quod non sit ullo modo Filius, nec ejus processio generatio.

LECTIO IV.

Adstruuntur, & destruuntur opposita contra primam Conclusionem.

Quia utraque divina Persona procedens formaliter ut Deus, procederet formaliter ut Filius.

151. Opponitur primò. Si utraque divina Persona ratione divinæ processionis præcisè procederet formaliter ut Deus, utraque procederet formaliter ut Filius. Hoc autem non. Ergo nec primum. Major probatur. Utraque procederet in similitudinem naturæ; cum Deus producens, & Deus procedens sint ejusdem naturæ. Sed quod procedit ab alio in similitudinem naturæ, dummodò processio sit viventis à vivente, procedit ut ejus Filius. Ergo utraque Persona divina procedens, procederet ut Filius.

152. Respondeo nègando majorem. Ad probationem nego etiam majorem. Quia licèt ratione communi divinæ processionis utraque Persona procedat ut Deus, & utraque accipiat naturam divinam; ratione tamen peculiari, & differentiali processionis divinæ utraque nec procedit ut Deus, nec in similitudinem naturæ, seu ut expressa similitudo producentis. Res facilè illustratur. In quâlibet igitur processione divina duo veniunt considerandа: Primum, ratio communis processionis divinæ, cui necessariò respondet terminus divinus; cum præcisione tamen, an terminus iste sit verbum subsistens, vel an sit Amor subsistens, aut Personalis: Quia sicut processio divina in communi non determinat peculiarem modum divinæ processionis, sic, & eâdem ratione non determinat terminum peculiarem; sed solùm denotat, quod sicut processio est divina, sive Dei; sic ejus terminus procedens sit divinus, sive Deus; in quo solùm explicatur identitas naturæ procedentis cum producente; quod quidem non sufficit ad hoc, ut terminus, qui dicitur procedens, sit Filius; nam sicut subsistendi consequentia non valet: *Est Persona divina procedens: ergo est Filius*: sic non valet: *Est Deus procedens: ergo est Filius*: Quia, ut ex dictis, & ex dicendis clarè constabit, ad rationem Filii plus petitur, quàm quod sit Deus procedens. Et quidem si utamur exemplo Divi Thomæ, res videtur perspicua; non enim valet: *Hic homo est productus ab illo homine: Ergo hic homo est Filius illius.* Ratio autem Divi Thomæ est. Quia si aliquis homo virtute divinitùs sibi concessâ, ex aliquâ sui corporis parte, vel alio modo hominem produceret, planè hic homo procederet ab illo alio homine; & tamen patet, quod non procederet, ut ejus Filius. Ergo.

Nego æsumptum. Quia licèt ratione communi processionis utraque procedat ut Deus; non tamen ratione particulari.

153. Alterum verò, quod in quâlibet processione divinâ consideratur, est ratio illa peculiaris, & quasi specifica, quæ determinat ad hoc, ut processio divina sit per intellectum, seu per modum verbi; vel processio divina per voluntatem, seu per modum amoris: Ad hanc igitur rationem quasi specificam respicimus, ut cognoscamus, an terminus divinus sit Filius, vel non? Si enim ratione peculiari processionis habeat terminus, quod sit similis in naturâ producenti, sive (quod idem est) expressa similitudo producentis; tunc persona, quæ procedit, est Filius; & illa, à quâ procedit, est Pater; & ita contingit in secundâ Personâ, quæ cum ratione specificâ suæ processionis procedat ut Verbum, procedit in similitudinem naturæ, vel ut similitudo producentis; si

Itẽ cõsideratur ratio peculiaris, & quasi specifica.

verò ratione speciali, & differentiali suæ processionis terminus non procedat ut similitudo producentis, quamvis aliunde habeat eandem naturam sive specificam, sive numericam cum producente, non procedit ut Filius; ut dictum est de homine, qui per modum naturalem non procederet ab alio homine; hic tamen licèt haberet eandem specie naturam cum producente, non esset ejus Filius.

Bene stat, quod ratio cõmunis respiciat naturã ut talẽ; & quod contrahẽs illam non respiciat ratione sui.

154. Opponitur secundò ex Godoy. Non enim stat, quod ratio communis petat pro formali termino naturam sub conceptu naturæ, & quod ratio contrahens non inspiciat pro termino naturam. Ergo si processio Spiritûs Sancti ex conceptu communi processionis divinæ habet terminari ad naturam sub conceptu naturæ, id etiam sub differentiali conceptu obtinebit; & consequenter erit generatio. Distinguo antecedens: Quod ratio contrahens non inspiciat naturam pro termino ratione sui, nego; ratione conceptûs communis, qui ei conjungitur, & per eam quasi determinatur, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quod quidem multis potest illustrari. Non enim stat, quod *animal* ex suâ ratione communi sit sensibile, & quod species animalis, homo v. g. non sit sensibilis; stat tamen, & benè, quod homo non sit sensibilis ratione differentiæ constituentis speciem; sed solùm ratione animalis determinati per talem differentiam. Unde quamvis homo, qui est rationalis, sit formaliter sensibilis; non tamen ut rationalis: quia non ab eodem principio, saltem formaliter, & explicitè habet homo, quod sit rationalis, & quod sit sensibilis. Ad hunc ergò modum dicimus, quod licèt Spiritus Sanctus sit Deus formaliter procedens; hoc tamen non habet ratione differentiali suæ processionis, quæ est per modum Amoris, qui ex se nequit esse formaliter natura, nec naturæ amatæ similitudo; sicut habet Verbum ex eo, quod sit Verbum. Ex quo fit, quod Spiritus Sanctus solùm sit Deus procedens ratione processionis divinæ, quæ determinatur per differentiam Amoris; non verò per ipsum Amorem; nam per istum solùm habet, quod Deus procedens sit spiritus, & tamquàm amatum in amante.

Utraque processio similitudinem in naturâ; id-est identitatem nõ aut quod terminus sit expressa similitudo.

155. Opponitur tertiò ex eodem Godoy. Quia si utraque processio ex conceptu communi habet pro termino similitudinem cum principio in naturâ: Ergo utraque ex conceptu communi est generatio; & consequenter neutra sub differentiali habere poterit rationem oppositam. Distinguo antecedens: Similitudinem cum principio in naturâ; ideſt, identitatem cum illo in naturâ, concedo; similitudinem cum principio in naturâ; ideſt, quod terminus sit expressa similitudo naturæ producentis, nego antecedens. Quia hoc non habet utraque processio ratione divinæ processionis præcisè; sed sola processio secundæ Personæ, quæ peculiari ratione habet, ut sit in similitudinem naturæ, seu expressa similitudo producentis.

Opponitur. Quia licèt 2. Persona procedat ut Verbũ per intellectũ, non ideo procedit ut simile in naturâ ut naturâ.

156. Opponitur quartò. De ratione geniti, & Filii est, quod sit similis generanti sub conceptu naturæ. At secunda Persona licèt procedat ut Verbum subsistens per intellectum, non ideò procedit ut simile in naturâ sub conceptu naturæ. Ergo secunda Persona non est magis Filius, quàm tertia. Minor probatur. Quia intellectus ex proprio munere solùm assimilat terminum cum objecto, seu cum speciè impressâ, quæ unitur vice objecti cum principio. Sed ratio objecti, vel speciei virtualiter saltem, vel formaliter distinguitur à naturâ divinâ, sub conceptu naturæ. Ergo ex eo, quod Verbum procedat per intellectum, non ideò est simile producenti in naturâ sub conceptu naturæ. Ergo si hoc non habet ratione communi divinæ processionis, nullatenùs habebit ratione speciali. Hoc argumentum magis ad secundam Conclusionem (de quâ posteà) quàm ad primam spectare videtur.

Respondeo 1. argumentũ nihil videri convincere.

157. Respondeo tamen primò potissimum dubium in hâc controversiâ esse, quare secunda Persona sit realiter Filius; non verò tertia: Jam verò cum certò certius sit, in Deo, realiter loquendo, hæc omnia; scilicèt *intellectum, intelligens, & id, quod intelligitur; speciem intelligibilem, & ipsum intelligere*; esse omninò unum, & idem; argumentum nihil videtur convincere; si enim jam admittitur, quod Verbum ratione peculiari suæ processionis evadit realiter simile objecto divino, seu speciei intelligibili; cum hæc reverà sint natura divina, consequenter ex suâ propriâ ratione evadit simile realiter producenti in naturâ; & sic evincitur, quare secunda Persona sit Filius realiter, & Spiritus Sanctus non sit realiter Filius. Scio tamen, esse plures Doctores tum ex nostris, tum ex Thomistis, qui vim faciant in eo, quod genitum debeat esse simile in naturâ sub conceptu naturæ: Quod judico, non esse ita necessarium, ac putant; quia cum Filius naturalis, sive divinus, sive creatus, tales sint independenter à nostris conceptibus similitudo omninò requisitâ ad generationem, ex nostris conceptibus non est colligenda. Quia tamen hic modus disputandi, licèt non ita necessarius, inconveniens non est, juvaríque potest ad exercendum ingenii acumen;

men ; ideo , ut his Doctoribus morem geram ,

Aliâ solutione respondeo.

158. Potest responderi secundò quod dato , & nunquàm concesso , quod ratio speciei intelligibilis distingueretur virtualiter à naturâ divinâ , adhuc divinum Verbum ratione suæ processionis evaderet simile Patri producenti in naturâ sub conceptu naturæ. Ratio est. Quia cum de ratione verbi sit procedere ut similitudo expressa illius , quod ab intellectu cognoscitur ; & Pater Æternus in quacumque sententiâ suâ cognitione intelligat naturam suam divinam ut talem , à fortiori debet ejus procedere Verbum ut simile Patri in naturâ sub conceptu naturæ. Jam verò cum in divinis nulla detur similitudo ad intra accidentalis , aut purè intentionalis ; ut contingit in creaturis ; constat , quod Verbum divinum procedat ut similitudo naturalis , & substantialis ; non autem in alienâ naturâ. Ergo in eâdem : Quod sufficientissimum est , atque omninò requiritur ad perfectam , & veram rationem , seu conceptum Filii in divinis.

LECTIO V.

Solvuntur opposita contrà secundam Conclusionem.

1. Quia terminus procedēs, ab intellectu, solùm petit assimilari objecto in esse intelligibili, nō in entitativo.

159. Opponitur quintò. De ratione Filii est assimilari producenti in esse naturali , & entitativo. At divinum Verbum hoc nequit habere ex eo , quod ut tale procedat per intellectum. Ergo ex hoc non potest habere rationem Filii. Major constat. Minor verò probatur. Quia terminus procedens ab intellectu , solùm petit assimilari objecto in esse intelligibili , & intentionali ; non verò in esse entitativo , & reali : Aliàs intellectus intelligendo lapidem , fieret in esse entitativo lapis. Ergo Verbum divinum ex eo , quod procedat per intellectum , non habet assimilari producenti in naturâ sub modo essendi naturali. Concessâ majori , nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens : Terminus procedens ab intellectu creato , concedo : Terminus procedens ab intellectu divino , nego antecedens.

Id verum est de termino procedēti ab intellectu, creato; nō autē ab increato.

160. Ratio est. Tum quia intellectus creatus , cum ex indigentiâ producat Verbum , solùm ei assimilatur in esse intentionali : Secùs autem intellectus divinus , qui non ex indigentiâ ; sed ex fœcunditate Verbum producat. Tum etiam quia intellectus creatus ob sui limitationem , & imperfectionem non potest communicare suo termino , seu verbo esse proprium suæ naturæ ; sed solùm dat ei quoddam esse accidentale , & inhærens , quod est quædam accidentalis similitudo ; ac proinde terminus intellectûs creati non est similitudo naturalis illius , à quo procedit ; cum non participet ejus naturam in esse naturali ; sed solùm in esse accidentali : Quod quidem esse purè intentionale dicitur ; non enim est idem , quod Verbum lapidis sit similitudo accidentalis ipsius lapidis , ac tale verbum habere propriam naturam lapidis ; similiter non est idem , quod intellectus creatus , cum se intelligit , verbum producat , quod sit similitudo accidentalis intellectûs creati ; ac tale verbum habere naturam propriam intellectûs creati. At verò intellectus divinus , cum sit perfectissimè assimilativus , quando Pater se , suamque naturam intelligit ; cum non possit formare verbum , quod sit similitudo accidentalis ex eo , quod omne accidens ad intrà repugnet Deo ; nec verbum , quod sit similitudo naturalis , & substantialis in aliâ naturâ distinctâ , ut contingit in generante creato ; deducitur , quod solùm producat verbum , ei communicando esse proprium suæ naturæ ; & tunc est perfectissima similitudo. Jam verò cum omne , quod procedit ab alio , ut Deo perfectissimè simile , & participando eandem naturam substantialem , habeat veram , & propriissimam rationem Filii , relinquitur planè , quod Verbum divinum , quia tale est , sit perfectissimè Filius.

2. Quia verbo per intellectū procedēti cōmunicatur divina intellectio ; hæc autē non est formaliter natura divina.

161. Opponitur sextò. Ex eo , quod divinum Verbum per intellectum procedat , illi communicatur divina intellectio. Sed intellectio non est natura divina , constitutivè , & formaliter loquendo ; sed solùm realiter , & identicè. Ergo ex eo , quod per intellectum procedat , non rectè probatur , illi communicari divinam naturam formaliter ex vi suæ processionis ; sed solùm identicè ; quod ad rationem Filii non sufficit. Major probatur primò. Quia , ut constat ex S. Augustino , Verbum ratione speciali suæ processionis est sapientia genita. Ergo ex vi suæ processionis communicatur illi sapientia. Secundò. Quia ex vi suæ processionis communicatur formaliter verbo illud , quod se habet ex parte intellectûs prout intelligentis. At ex parte intellectûs Patris prout intelligentis ingreditur intellectio. Ergo hæc formaliter ratione suæ processionis communicatur verbo à producente. Tertiò. Nam Pater sub eâ ratione est generans , quâ est dicens ; aliàs essent plures , quàm quatuor relationes in divinis. Sed verbo prout terminanti dictionem , per se primò ,

& for-

& formaliter communicatur divina intellectio. Ergo etiã prout terminoj generationis. Minor probatur. Pater ut dicens, & loquens exprimit formaliter mentem. Aſt non illam exprimit prout in actu primo. Ergo prout in actu ſecundo, & conſequenter actualem intellectionem. Prima ſolutio eſt Patris Suarez, cui ſubſcribunt plures cùm ex noſtris, tum ex Thomiſtis cum Magiſtro Goneto. Aſſerunt igitur, ultimum naturæ divinæ conſtitutivum ſtare formaliter in actuali divinâ intellectione: juxta quem modum negando minorem, omninò corruit argumentum: quia ex eo putant, verbo communicari formaliter naturam, quia ratione ſuæ proceſſionis communicatur intellectio, quæ conſtitutivè eſt ipſa divina natura.

Verum illis non eſt multũ fidendum

162. Huic tamen ſolutioni, licet formalis videatur, non eſt fidendum. Quia quamvis in Deo eadem ſimpliciſſima, & infinita entitas ſit, quæ dicitur intellectus, intellectio, volitio, natura, &c. prout de tali entitate diverſos efformamus conceptus, ſive prout illam inadæquatè in diverſis conceptibus cognoſcimus, juxta dicta ſupra: probabiliùs tamen eſt, conceptum intellectionis divinæ non eſſe conceptum naturæ, ideſt divinam entitatem, dum cognoſcimus ſub conceptu intellectionis non concipi à nobis ut naturam: Tum quia conceptus intellectionis eſt conceptus comparationis: conceptus autem comparationis non eſt conceptus naturæ, quin potiùs oritur à naturâ, mediante potentiâ. Tum quia non eſt de ratione Verbi, quod ei communicetur intellectio: nam ut conſtat ex dictis, Verbum creatum non eſt intellectio. Tum denique quia hæc celebris controverſia reſtringi non debet ad eam opinionem; an ſcilicet natura divina conſiſtat in actuali intellectione, necne.

Diſplicet ſolutio P. Granados

163. Secunda aliorum ſolutio eſt cum P. Granados hic tract. 2. diſp. 5. ſect. 5. aſſerente, quod ut Verbum ſit Filius, ſufficit, ei communicari ex vi ſuæ proceſſionis intellectionem divinam, quæ explicitè eſt natura divina in eſſe repræſentativo; & implicitè, ſeu identicè in eſſe naturali: ac ſi diceret; licet intellectio ut talis non ſit explicitè natura divina, eſt tamen explicita repræſentatio divinæ naturæ, quod ſufficit, ut Verbum ſit Filius. Diſplicet etiam hæc ſolutio. Quia non eſt de ratione intellectûs præcisè, ut ſuo Verbo intellectionem communicet: Nam, ut ſupra vidimus cum Divo Thomâ, intellectus creatus non format Verbum, ut per ipſum formaliter intelligat; ſed ut medium, vel inſtrumentum, in quo rem intelligat; quemadmodum ex neceſſitate me videndi, formo ſpeciem intelligibilem in ſpeculo; non tanquam id, quo me formaliter videam: ſed tamquam medium, in quo me videam: Tum quia Filio divino debet competere formaliter, quod requiritur ad generationem viventium; ſed ad talem generationem petitur ſimilitudo in naturâ ſecundùm conceptum naturæ. Ergo ad rationem Filii ex vi ſuæ proceſſionis requiritur, quod communicetur natura, non implicitè, & identicè, ſed explicitè ſecundùm conceptum naturæ. Tum quia ad rationem Filii ſufficiens non eſt ſimilitudo in eſſe repræſentativo; ſed requiritur ſimilitudo naturalis in naturâ ſub conceptu naturæ. Ergo ut Verbum ſit & dicatur Filius, non ſufficit, quod ei conveniat ſimilitudo in eſſe repræſentativo, &c.

Reſpõdet Il. Godoy ſed S. Auguſt. & ſibimet ipſi contrariatur.

164. Aliter reſpondet Illuſtriſſimus Godoy diſput. 74. num. 80. ſcilicet quod etſi ſecundæ Perſonæ, quâ eſt Verbum, non communicaretur divina natura; ſed tantùm intellectio, dummodò ei communicetur ut Filio natura divina, ſalvatur, quidquid ad generationem requiritur. Fundatur ejus ſolutio in eo, quod aſſerit, rationem Filii, & rationem Verbi, licet quantùm ad id, quod dicunt in recto; ſcilicet generationem, nulla tenùs differant; differre tamen quantùm ad id, quod important de connotato, & in obliquo, quod eſt abſolutum: quia Filius dicit ſeu importat in obliquo naturam ſub conceptu naturæ: Verbum autem importat naturam, non ſub conceptu radicis attributorum, qualiter obtinet ſub conceptu naturæ; ſed ſub conceptu repræſentantis divinam eſſentiam, & alia. Aſt doctor iſte in hâc ſolutione videtur planè recedere tum à Sancto Auguſtino, tum à ſuâmet concluſione. Oſtendo primum. Quia Magnus Auguſtinus lib. 10. de Trinitate cap. 2. ut expenderet rationem Filii in ſecundâ Perſonâ Trinitatis, dixit: *Eò Filius, quo Verbum, & eò Verbum, quò Filius.* Ergo ex Auguſtino per idem conſtituitur in ratione Verbi, ac in ratione Filii. Nec ſatisfacit explicans Auguſtinum de Verbo, & Filio, pro eo, quod important in recto tantùm; ſcilicet quantùm ad relationem. Quia ratio Filii, quam intendit declarare Sanctus Doctor, non ſumitur à ſolâ relatione; aliàs verba Sancti Auguſtini præſtarent hunc ſenſum: nimirùm, *Secunda Perſona eò Filius, quia refertur ad primam; & eò Verbum, quia refertur etiam ad primam perſonã*: qui ſenſus ad Sancti Doctoris intentum vacuus, omninò & prorsùs ineptus, ac inutilis eſſet.

Nunc oſtendo Ill. Godoy ſibi contradicere.

165. Oſtendo ſecundum. Quia Concluſio Illuſtriſſimi Godoy in hoc puncto, num. 56. eſt: Ideò proceſſio verbi eſt generatio, quia eſt per intellectum, qui ex proprio conceptu aſſimilativus eſt. Sed iſta Concluſio non cohæret ſolutioni datæ. Ergo. Probo minorem. Intellectus non alio modo eſt aſſimilativus, niſi quatenùs ab ipſo procedit Verbum, rei intellectæ ſimilitudinem gerens. Sed ut patet ex illâ ſolu-

solutione, Verbum divinum non importat naturam sub conceptu naturæ; quod omninò requiritur ad veram generationem Filii; ut edocet ipsemet. Ergo non ideò processio verbi est generatio, quia procedit per intellectum, qui ex proprio conceptu assimilativus est. Ulterius. Licèt verbo non communicaretur divina natura; sed solùm intellectio, dummodò ei ut Filio communicetur, salvatur, quidquid requiritur ad generationem, ut ipse docet dicto num. 80. Hoc autem clarè videtur cum dicta Conclusione pugnare. Ergo. Probatur minor primò. Nam eâ ratione, quâ terminus non evadit in similitudinem naturæ sub conceptu naturæ, nec est, nec dicitur Filius. Ast si verbo, ut procedit ab intellectu Patris, non communicaretur natura sub conceptu naturæ, non evaderet in similitudinem naturæ sub hoc conceptu. Ergo cum hoc requiratur ad rationem Filii, & hoc non habeat Verbum, ut procedit per intellectum formaliter; non ideo processio verbi erit generatio, quia procedit per intellectum. Secundò. Quia semel suppositò, quod non communicaretur divina natura secundæ Personæ, ut est Verbum; sed solùm illi, ut est Filius, incidimus iterùm in Quæstionem; cur scilicèt secunda Persona sit Filius, & ejus processio generatio? Cui sub tali suppositione non potest responderi per positam Conclusionem Illustrissimi Godoy, ut constat ex dictis.

Igitur respondeo, Verbo divino cõmunicari intellectionem nõ primariò; sed secũdariò.

166. Igitur ad argumentum respondeo distinguendo majorem; communicatur divina intellectio primariò, & principaliter, nego: Secundariò, & minùs principaliter, concedo majorem, & minorem in sensu virtuali, aut formali secundùm modum nostrum concipiendi; & nego consequentiam. Ratio solutionis est. Quia Verbum evadit ex vi suæ processionis ut expressa similitudo omnium, quæ intelliguntur à Patre; eo tamen modo, & ordine, quo intelliguntur: Cum autem inter ea, quæ intelligit, natura divina sit objectum primarium, & magis principale; reliquæ verò perfectiones divinæ, ut intellectio, volitio, &c. nostro modo intelligendi se habeant ut quid consequutum ad divinam naturam; ideò hæc intelligitur à nobis communicari Verbo divino primariò, & magis principaliter; intellectio verò, & alia secundario, & solùm secundùm ordinem, quo juxtà nostrum modum concipiendi, sicut in mente divinâ, & intelliguntur à Patre. Jam verò cum natura divina primariò, & principaliter ex vi suæ processionis communicetur Verbo divino, ideò hoc procedit in similitudinem naturæ, & consequenter ut Filius.

Verbũ ratione suæ processionis est sapientia genita per modum termini producti.

167. Ad primam probationem distinguo antecedens: Verbum ratione suæ processionis est sapientia genita per modum termini producti, concedo; per modum principii, vel actualis operationis, nego antecedens. *Sapientia* enim tripliciter accipitur. Primò pro principio sapientiæ; secundò pro actuali sapientia; tertiò pro termino producto per sapientiam. Divinum autem Verbum vocatur, & est sapientia in tertiâ acceptione; non verò in primâ, nec secundâ; quæ cum aliquid notionale importent juxta supra dicta, soli competunt Patri: Unde Pater dicitur sapiens, ut concipiens; Filius autem non dicitur sapiens ut concipiens; sed quia est Verbum conceptum. Ad secundam probationem dictum est jam, communicari verbo, quidquid est absolutum ex parte intellectûs prout intelligentis, vel primariò, vel secundariò; naturam tamen divinam principaliter, & primariò communicari. Ad tertiam distinguo majorem: Pater eâ ratione, quâ est dicens se, est generans, concedo: eâ ratione, quâ est dicens alia à se, nego majorem, & consequentiam cum minori. Quia Pater eâ ratione dicit, quâ intelligit; & Verbum eâ ratione terminat dictionem, quâ Pater intelligit, & dicit. Cum ergo juxta dicta Pater primariò intelligat suam naturam divinam, primariò eam dicit, & prout sic primariò ea Verbo divino communicatur.

2. Persona est Filius, ut est Verbum Dei se dicentis; nõ ut Verbũ creaturarum.

168. Sed instabis. Secunda Persona dicitur Verbum creaturarum, & neque est, nec dici potest Filius creaturarum. Ergo secunda Persona ut Verbum non est Filius: Aliter sicut est creaturarum Verbum, esset creaturarum Filius. Concesso antecedenti, distinguo consequens: Secunda Persona, ut Verbum Dei se dicentis, non est Filius, nego: Ut est Verbum creaturarum, quæ intelliguntur, & cognoscuntur à Patre, concedo consequentiam.

Tripliciter dici potest. Verbum internum esse alicujus.

169. Explicatur solutio. Tripliciter dici potest, Verbum internum esse alicujus: Primò dicitur Verbum esse illius, quod intelligitur; sic quando intellectus noster, ut intelligat lapidem, format Verbum, tale Verbum dicitur Verbum lapidis ex eò, quod est expressa lapidis similitudo. Secundò dicitur Verbum illius, à quo procedit, etiamsi non sit similitudo formalis ejus, à quo procedit; & in hoc sensu omne verbum dicitur verbum intellectus; quia ab illo progreditur, atque procedit. Tertiò dicitur verbum esse proprium illius, à quo procedit, non solùm ex illâ ratione generali, quâ ab ipso procedit; sed quia progreditur ut trahens, & gerens similitudinem ipsius, à quo procedit.

dit. Sic quandocumque intellectus noster suprà se reflectens, se intelligit, format Verbum, quod est Verbum illius; non eò solùm, quod ab intellectu procedit; hoc enim etiam verbo lapidis; imò omni verbo competit juxtà acceptionem secundam; sed quia cum supponamus, intellectum se intelligere, & omne Verbum procedat, ut similitudo expressa ejus, quod intelligitur, à fortiori tale Verbum procedit ut trahens, & gerens similitudinem ipsius intellectus, à quo procedit.

Etiam tripliciter possumus Verbum usurpare divinum.

170. Juxtà hunc triplicem modum possumus accipere divinum Verbum: Primò, prout est expressivum, & manifestativum omnium, quæ intelliguntur à Patre: Cum autem Pater non solùm intelligat se; sed etiam creaturas, Verbum divinum non solùm dicitur Verbum Dei; sed etiam creaturarum: Secunda verò Persona non ideò est Filius, quia est Verbum creaturarum, eò quòd sub hâc ratione non refert similitudinem dicentis, seu Patris, à quo procedit. Secundò sumitur, prout est Verbum Patris, eò solùm, quod procedat à Patre prout intelligente creaturas; quemadmodùm dicimus, Verbum lapidis esse etiam Verbum nostri intellectûs; quia ab illo procedit. Tertiò modo Verbum divinum dicitur, & quidem propriſsimè Verbum Dei, sive Patris; quia cum Pater se intelligat; suam videlicèt naturam, principaliter, & primariò; cæterasque perfectiones divinas, quæ nostro modo intelligendi consequuntur ad ejus naturam; Verbum divinum ex vi suæ processionis procedit ut trahens, & referens similitudinem Patris intelligentis, & dicentis se ipsum; ideſt, prout intelligentis, & dicentis naturam suam, intellectionem, & volitionem, &c. In hoc autem sensu ideò secunda Persona Trinitatis est Filius, quia ut Verbum procedit.

Id cõspicuâ ratione suadeo.

171. Ratio est clara. Quia Filius ex vi speciali suæ processionis debet procedere in similitudinem naturæ; ideſt, ut similitudo expressa speciei generantis, ut contingit etiam in creatis. Clariùs. Filius ex vi suæ processionis debet procedere ut trahens, & accipiens per modum similitudinis speciem, & naturam generantis. Aſt sola ratio Verbi, prout est Verbum Dei Patris intelligentis, & dicentis se, suamque naturam, &c. sola, inquam, illa est, quæ trahit, & accipit naturam divinam, & alias perfectiones, ut expressa similitudo. Ergo potiſsima ratio, quare secunda Persona est Filius, est, quia procedit per modum verbi. De majori, omni seclusâ Quæstione de nomine, nulli potest esse dubium. Minor etiam est certa. Quia inter ea, quæ procedunt à potentiis, & principiis purè spiritualibus; id solummodò, quod procedit per operationem intellectûs ut Verbum; habet ex propriâ sui ratione, quod sit similitudo illius, à quo procedit.

Replicant Adversarii.

172. Replicabis primò. Quod secunda Persona sit Verbum creaturarum, quæ intelliguntur à Patre, non conducit ut ratio, ob quam secunda Persona sit Filius. Ergo quod secunda Persona procedat ut Verbum intellectionis, volitionis, & aliarum perfectionum, quæ intelliguntur à Patre, non pertinet ad rationem Filii. Antecedens constat. Consequentia probatur. Ad rationem perfectiſsimam Filii solùm requiritur, quod ex vi suæ processionis procedat in similitudinem naturæ generantis. Sed secunda Persona, ut est Verbum intellectûs, & voluntatis; intellectionis, & volitionis, &c. non est in similitudinem naturæ; cum tales perfectiones non sint de conceptu naturæ; sed illam solùm consequantur. Ergo.

Æquivocationi præcaveo.

173. Tollenda est æquivocàtio, ne ansam præstet errandi. Unde si replica solùm intendat sensum identicum, & realem, loquaturque de his, quæ intelliguntur, & eo modo, quo intelliguntur à Patre; cum intellectio, volitio, &c. sint una indivisibilis entitas, quam Pater absque ullâ præcisione, & distinctione intelligit; idem est, Verbum procedere ut expressivum intellectionis, ac ut expressivum, & in similitudinem naturæ; quia Pater non intelligit naturam suam ut distinctam ab aliis perfectionibus; cum in Deo independenter à nostris conceptibus, non sit alia, & alia perfectio: Sed solùm intelligit unam simpliciſsimam perfectionem; quæ quia infinita est, & ideo non possit à nobis ob nostri intellectus limitationem, unico verbo, aut conceptu perfectè, & adæquatè attingi; propterea per species creaturarum varios efformamus conceptus de illâ simpliciſsimâ, & infinitâ perfectione; juxtà quorum multiplicationem multiplicatur etiam divina perfectio, non prout in se est; sed juxtà nostros modos concipiendi. Unde si quæras de his perfectionibus, non prout sunt in nostris conceptibus; sed prout independenter ab omni nostro conceptu sunt in Deo; verè, & propriſsimè loquendo, non sunt plures perfectiones; sed unica, & indivisa perfectio, quæ solùm est divisa, & multiplicata propter diversitatem conceptuum, in quibus abstractivè partim, & divisim cognoscitur juxtà alibi dicta. Propterea replica, ut aliquam sortiatur vim, non videtur loqui de generatione, & processione Verbi comparativè ad id, quod in Deo contingit, prout in Deo solùm; sed potiùs prout cadit sub Theologiam humanam, quæ tota expenditur in eo, quod per nostros conceptus exploremus perfectiones divinas ita, ut dignè semper & concipiamus, & sentiamus, & loquamur de Deo. 174.

Nunc ad replicam respõdeo.

174. In hoc igitur sensu respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem distinguo majorem; solùm requiritur, quod procedat in similitudinem naturæ imperfectæ, nego: In similitudinem naturæ perfectæ, seu cum omnibus perfectionibus, quæ à nobis intelliguntur consequi ad naturam divinam, concedo majorem. Et distinguo minorem: Sed ut est verbum intellectûs, voluntatis, &c. non est in similitudinem naturæ, nec in similitudinem perfectionum necessariò ad naturam consequutarum, nego: Non est in similitudinem naturæ; ideſt, prout Verbum divinum exprimit omnes perfectiones attributales, non exprimit naturam divinam, concedo minorem. Hoc autem non tollit, quod istarum perfectionum expressio in verbo sit necessaria, & conducat ad hoc, ut secunda Persona sit perfectissimè Filius; licèt expressio creaturarum non conducat ad hoc, ut Verbum divinum sit Filius, prout respicit creaturas.

Rationẽ solutionis assigno.

175. Ratio disparitatis, & solutionis est. Quia ad perfectam rationèm Filii requiritur, quod ei communicetur natura cum omnibus perfectionibus naturalibus; sic autem generans creatum vi generationis communicat non solùm naturam specificam; sed etiam proprietates talis naturæ; ut esse intellectivum, volitivum, risibile, potentiam videndi, &c. ita, ut si communicaret naturam sine potentiâ visivâ, vel etiam sine manibus, &c. diceretur illa generatio naturalis absolutè imperfecta, ac proinde Patrem genuisse Filium naturaliter imperfectum, utpotè cœcum, mancum, &c. Propterea requiritur, quod Filius ex vi suæ processionis trahat similitudinem naturæ cum omnibus perfectionibus, naturam sequentibus. Hinc est, quod cum in Deo nos concipiamus ultrà naturam, perfectiones alias, ut intellectum, voluntatem, &c. ad hoc, ut secunda Persona evadat perfectissimè Filius, debet procedere ut verbum gerens similitudinem naturæ Patris cum omnibus illis perfectionibus, sine quibus esset, vel conciperetur Pater imperfectus in esse naturali. Verùm hæc ratio non militat in secundâ Trinitatis Personâ, ut est Verbum creaturarum: Quia cum creaturæ, quæ intelliguntur à Patre nec sint natura Patris, nec perfectio aliqua naturalis, quæ consequatur ad naturam Patris: Inde est, quod ratio Verbi creaturarum prout sic, non conducat ad rationem Filii: Quia hæc solùm stat in eo, quod ex parte termini detur perfectissima similitudo propria, & naturalis ejus, à quo procedit; maximè cum creaturæ, quæ intelliguntur à Patre, non sint in Verbo divino secundùm esse proprium, & naturale ipsarum; sed solùm secundùm esse intentionale.

LECTIO VI.

Oppositis contrà tertiam Conclusionem occurrimus.

Ratio dubitandi proponitur in Quæstionis principio exarata.

176. OPponitur septimò contra tertiam Conclusionem ex ipsâ ratione dubitandi suprà exaratâ. Etenim generatio viventium propria, & quæ sola potest reperiri in Deo, est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ. At definitio hæc convenit non solùm processioni Verbi; sed etiam processioni Spiritûs Sancti: Cum Spiritus Sanctus non minùs sit vivens, ac Verbum; & à vivente conjuncto, cum sit terminus actionis immanentis; & ulteriùs *est in similitudinem naturæ*; cum eandem Patris, & Filii per processionem accipiat. Ergo non est, cur potiùs uni, & non alii processioni conveniat, quod sit generatio. Huic argumento communiter Doctores, & præcipuè nobis consentientes in Conclusione, respondent, concessâ majori, negando minorem. Ad cujus probationem, ejus ultimam partem distinguunt sic: Cum eandem Patris, & Filii naturam accipiat, formaliter ex vi processionis, negant: Identicè ex eò, quòd quidquid reperitur in Deo, est Deus, concedunt; & negant consequentiam. Quia ad hoc, quod processioni Spiritûs Sancti competeret, ei deberet ex vi processionis communicari divina natura. Ita Illustrissimus Godoy, & alii Thomistæ. Verùm hæc communis solutio aliis meritò displicet. Tum quia definitionibus nihil est addendum; sed sunt accipiendæ, ut in se sunt. Sed in definitione generationis viventium non est illa particula: *Ex vi processionis*. Ergo. Tum quia processioni Spiritûs Sancti vel convenit talis definitio, vel non eo modo, quo ab omnibus traditur, vel admittitur? Si primum; erit generatio. Si secundum: Ergo necessarium non est illam particulam addere. Illud autem, quod respondet Godoy; talem scilicèt particulam addi per modum explicationis; non videtur plena satisfactio: Quia cum definitio sit oratio explicans naturam rei, talis debet esse, ut explicatione non egeat; cum ex suo conceptu sit rei ipsius explicatio: Aliàs aut obscura, aut diminuta esset; quod ex utrâque parte est contra leges bonæ definitionis.

Illã peculiaribus argumẽtis impugno.

177. Quidquid autem sit de his, & aliis impugnationibus; nos tamen adversùs solutionem datam maximè nitimur: Primò rationibus illis, quas dedimus in primâ Conclusione. Secundò. Quia in divinis Personis solus Pater tam identicè, quàm formaliter est innascibilis, improductus, & à

nullo procedens; ita, ut quidquid Pater habet, sive realiter, sive formaliter, à nullo habeat. Ergo cum Spiritus Sanctus Pater non sit, nec innascibilis, nec improductus; quidquid habet, sive illud habeat realiter, sive formaliter, ab alio principio habet. Sed habet ab alio per processionem; cum imperceptibile sit, terminum productum habere aliquid ab alio, & quod illud non habeat virtute processionis, quâ ab alio procedit. Ergo si Spiritus Sanctus habeat naturam ab alio principio, sive illam accipiat identicè, sive formaliter (istæ enim voces parùm juvant) certè illam vi processionis accipiet. At juxtà hos Doctores terminus procedens eò, quòd accipit naturam à producente, vi processionis, est Filius. Ergo Spiritus Sanctus juxtà hunc dicendi modum erit Filius; quod nec dici, nec excogitari debet.

Nunc respõdeo ad dubitandi rationem.

178. Quare aliâ viâ probabiliori respondeo ad argumentum, & dubitandi rationem: Concessâ nempè majori, negando minorem. Ad probationem verò in eâ imbibitam, concedo reliquas particulas; Spiritum scilicèt Sanctum esse vivens à vivente conjuncto; nego tamen, quod ejus processio sit ullo modo in similitudinem naturæ. Pro cujus explicatione notare oportet duplicem similitudinem: Aliam non ita propriam, & quæ sumitur pro identitate, itaque in solâ perfectione absolutâ, & quæ explicari potest per hanc particulam *sicut*: v.g. sicut Pater est Deus, sic & Filius; sicut Filius est Deus, & coæternus, & consubstantialis Patri; sic & Spiritus Sanctus; & econtra; sicut Spiritus Sanctus est Deus, &c. sic Pater, & Filius: In quo sensu omnes tres divinæ Personæ sive realiter, sive formaliter possunt dici similes inter se, habereque hanc identitatis similitudinem in naturâ, & aliis perfectionibus absolutis; de quâ similitudine supra diximus; & hoc modo Pater, etiamsi à nullo procedat, est similis in naturâ Filio, & similiter Filius, & Spiritus Sanctus Patri.

Alia est similitudo, quæ in generationis vivẽtiũ definitione importatur.

179. Altera est similitudo, quæ maximè in præsenti desideratur, & solùm importatur in definitione generationis viventium, cum ibi dicitur *in similitudinem naturæ*: Quæ similitudo se habet solùm ex parte originis, sive processionis passivæ. Ratio est. Quia *origo viventis à vivente*, non activè; sed passivè sumitur. Hinc est, quod similitudo, quæ attenditur in generatione divinâ, non consistat in absoluto solùm, nec in relativo tantùm; sed in utroque simul. Cujus ratio etiâ est. Quia similitudo importata in definitione generationis stat in origine, seu processione passiva; est enim generatio *Origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ*. Ast, ut constat ex antelapsis Quæstionibus, ratio generationis stare nequit in solo absoluto, nec in solo relativo; sed in utroque simul; sive processio accipiatur passivè, sive activè. Ergo similitudo requisita ad divinam generationem, est ex utroque simul colligenda. His positis.

Clarissima ratio, ne ostẽdo cur Verbi processio passiva sit generatio.

180. In sententiâ nostrâ clarissima ostenditur ratio, quare processio passiva secundæ Personæ sit generatio; eò quòd est in similitudinem naturæ; non verò processio passiva tertiæ Personæ, eò quòd ista in similitudinem naturæ non est. Ratio igitur est. Quia processio secundæ Personæ est processio Verbi; Verbum autem ex quidditate suâ tam realiter, quàm formaliter habet, quod sit similitudo, & imago dicentis ipsum: Jam verò cum prima Persona intelligendo, dicendoque se, & suam naturam, ac ipsius perfectiones, producat Verbum; & hoc ut tale sit similitudo expressa dicentis; ita, ut in Verbo habeantur perfectiones, quæ intelliguntur, & dicuntur à producente ipsum; fit planum, quod secunda Persona procedendo à primâ ut Verbum, accipiat ab ipsâ naturam divinam, & esse Deum, non utcumque; sed ut similitudo Dei; quemadmodùm proportione servatâ, species intentionalis, quæ procedit à Petro, & apparet in speculo, est similitudo expressa ipsius Petri; cui exemplo *maximè* consonant Verba illa: Quod scilicèt *speculum sit sine maculâ, & imago bonitatis illius.*

Verbũ tigle tur divinũ ratione communi processionis divinæ est Deus; ratione autẽ peculiari est similitudo substantialis Dei Patris.

181. Unde secunda Persona ratione processionis divinæ præcisè est Deus de Deo; at verò ratione peculiari, & quasi specifica suæ processionis, quæ est per modum Verbi, habet, quod sit Deus de Deo ut similitudo, & imago substantialis Dei Patris; quod tertiæ Personæ non competit: Quia tertia Persona est processio Amoris per modum termini producti, & subsistentis: Jam verò cum Amor productus non habeat esse similitudinem amantis, aut boni amati, sicut Verbum productum est similitudo producentis ipsum; fit etiam planum, quod licèt Spiritus Sanctus ratione processionis præcisè accipiat esse æquale, & esse Deum de Deo, ut omnimoda æqualitas tam realis, quàm formalis inter divinas processiones salvetur; nihilominùs non sit Filius: Quia nec ratione communi, nec particulari suæ processionis procedit Deus de Deo ut similitudo, & imago substantialis Dei; ac proinde nec ejus processio passiva sit generatio: Quia generatio est origo viventis à vivente conjuncto ut similitudo naturæ, vel in similitudinem naturæ; processio autem Amoris est per modum solius impulsus, & non ut formalis similitudo naturæ, vel ipsum producentis.

182. Oppo-

Deinde objicitur. Quia 2. persona est Filius, quia ei cõmunicatur 1. natura, & 2. attributa: id autem ipsum competit Spiritui Sancto.

182. Opponitur octavò, Secunda Persona est Filius, quia ei communicatur primò natura divina: & secundariò attributa. Ast Spiritui Sancto communicatur etiam primariò natura divina, & secundariò aliæ perfectiones attributales. Ergo erit Filius. Ubi nota, ly *primariò communicatur*, non accipi in argumento pro eo quod sicut primariò prioritate originis natura divina communicatur secundæ Personæ; ita similiter & tertiæ Personæ: hoc enim esset implicatoriũ. Cùm secunda Persona origine sit prior tertiâ, ac proindè prius origine accipiat naturam, & alia, sumitur ergo ly *primò*, vel *primariò* comparativè ad ea, quæ cuilibet Personæ communicantur; intenditque argumentum, quod sicut inter ea, quæ communicantur secundæ Personæ, primò communicatur natura; sic inter eadem, quæ secundæ Personæ communicantur, primò ei communicetur natura. Hâc igitur æquivocatione sublatâ.

Negant Thomistę Spiritui s. cõmunicari primariò naturã divinam.

183. Argumento respondent Thomistæ, inter quos Reverendissimus Godoy disp. 74. num. 87. Gonetus disp. 9. num. 196. & ex nostris aliqui Recentiores, vel negando absolutè minorem, vel eam sic distinguendo: communicatur natura divina primò in intentione, negant: primò in exequutione, & per modum subjecti radicalis, & ratione identitatis, concedunt minorem. Sentiunt igitur Doctores isti, quod licet natura priùs veluti exequutivè communicetur Spiritui Sancto, quàm omnia attributa: quia essentia est veluti subjectum, & radix illorum; tamen in intentione non ita contingere: quia actio voluntatis primò ad communicandum alterum inclinat: & ideò non natura; sed atributum est ratio primaria, quæ communicatur. Idem sub aliis terminis respondent alii; ex vi scilicet formali processionis Spiritui Sancto communicari attributum volitionis; naturam verò divinam non formaliter ex vi processionis: sed solùm materialiter, & identicè: hoc est, propter identitatem realem, quam habet cum volitione divinâ, quæ solùm ex vi formali communicatur.

Sed contradicunt S. Thom. 4. contra gent. c. 23

184. Displicet tamen solutio primò. Quia clarè militat contra Divum Thomam, præcipuè 4. contra gentes, cap. 23. ubi sic ait: *Quod autem in solâ naturâ divinâ pluribus modis natura communicatur, rationabile est; quia in solo Deo ejus operatio est suum esse; unde cùm in eo, sicut in qualibet intellectuali naturâ sit intelligere, & velle, id, quod procedit in eo per modum intellectûs, ut Verbum, aut Amoris, aut Voluntatis, ut Amor, oportet, quod habeat esse divinum: & sic tam Filius, quàm Spiritus Sanctus est verus Deus.* Ita ibi.

Natura divina pluribus modis cõmunicatur.

185. Ex quibus duo inferuntur contra prædictam solutionem: Primum est, naturam divinam pluribus communicari modis: per intelligere scilicet & velle: juxta Adversarios autem uno modo natura communicatur; cùm solùm hæc per intelligere communicetur Filio. Secundum est, tam Verbo, quàm Spiritui Sancto communicari divinam naturam vi processionis: ostenditur ex eâdem authoritate. Quod enim procedit ut Verbum, ex vi formali processionis ut tale; & quod procedit ut Amor, ex vi formalis processionis procedit ut talis. Sed juxta Divum Thomam quod in Deo procedit, sive ut Verbum, sive ut Amor, oportet quod habeat esse divinum, & sit Deus. Ergo utraque divina Persona formaliter, & ex vi processionis divinæ est Deus; ac proinde accipit naturam divinam diverso modo, quæ diversitas solùm est ad solutionem controversiæ.

Nullus enim est terminus naturalis ab aliquo agente productus qui ex ejus intentione, & vi productionis nõ recipiat aliquam naturam.

186. Secundò. Nullus est terminus naturalis creatus, & productus ab aliquo agente, qui ex intentione agentis ex vi formali suæ productionis non accipiat aliquam naturam: unde agens naturale, quod ex vi suæ productionis solùm posset communicare sui proprietatem, & non naturam, imperfectum omninò esset, imò saltem naturaliter loquendo, impossibile est agens, quod ex sui intentione communicaret alteri proprietatem suæ naturæ, & non ipsam naturam; cùm proprietas naturæ absque ipsâ naturâ non possit naturaliter esse: vel quod primariò intenderet proprietatem, & secundariò naturam: hoc enim esset invertere ordinem, & intentionem naturæ; cùm juxta Philosophum forma substantialis se habeat ut finis. Ergo imperceptibile est, quod aliquid procedat à principio divino, quin ex intentione principii vi processionis accipiat aliquam naturam. Sed non aliam, præter naturam divinam; cùm in Deo unica tantùm natura sit. Ergo Spiritus Sanctus ex vi formalis processionis procedit ut terminus divinus, vel terminus productus formaliter, ex vi processionis accipit formaliter naturam divinam.

187. Respondebis, accipere quidem ex vi processionis naturam divinam, sed non quasi primam & substantialem; sed naturam aliquam attributalem; naturam scilicet volitionis. Verùm ista responsio prætet verborum abusum, de re nihil continet. Primò, Quia in Deo, sive ipsum accipiamus in sensu identico, & reali, sive in sensu formali per intellectum, illum distinguendo per naturam, & attributa, sive virtualiter; nusquam considerarunt Theologi nisi unicam naturam, vel realiter sumptam, vel virtualiter acceptam: dicere autem, esse in Deo propriè plures naturas divinas realiter aut formaliter, irrationabile est.

Displicet quia dicere quodlibet attributum in

188. Secundò. Quia dicere, quodlibet attributum in Deo habere naturam attributi, est abusus: cùm aliud sit, aliquid esse attributum

habere naturam attributi est abusus.

butum, aut proprietas alicujus naturæ: & aliud quod illud sit natura aliqua, vel quod habeat aliquam naturam respectu illius suppositi. Tertiò juxta veram Philosophiam in quolibet supposito naturali duplex solùm natura consideratur: materia scilicet & forma, vel una composita ex materiâ & formâ, ut ex primis principiis, Reliqua verò, quæ naturam consequuntur, non sunt natura; sed solùm dicuntur proprietates naturales: quia ab illo ut à primo principio dimanant. Si enim, ut dixit supra Divus Thomas, de Divinis loqui debemus secundùm modum nostrum, & prout speciem accipimus ab his inferioribus: per quam speciem possumus dicere, quod proprietates & attributa, quæ concipimus dimanare à naturâ divinâ, ut à primo & radicali principio, sint modo aliquo proprio divina natura? Insuper per quâ speciem possumus dicere, quod in Deo est aliquis terminus productus ad intra, qui ex intentione divini Agentis solùm habeat formaliter proprietatem & attributum divinæ naturæ; non autem ipsam naturam? Cùm etiam in creatis sit impossibilis terminus naturaliter trahens vi processionis & primariò proprietatem naturæ creatæ, & non naturâ: Unde si tale quid contingeret, agens taliter agendo esset imperfectum, ejusque intentio imperfectissima: & in tali modo agendi perfectissimus naturæ ordo inverteretur. Relinquitur ergo, nullum suppetere fundamentum ad asserendum, esse in Deo terminum productum absque communicatione naturæ ex vi processionis. Quare.

Nunc ergo ad argumentũ respõdeo.

189. Respondeo ad argumentum, distinguendo majorem: Secunda Persona est Filius, quia communicatur ei natura divina primò, præcisè nego: quia communicatur natura divina per processionem divinam, aut originem, quæ est similitudo naturæ, concedo majorem. Et distinguo minorem: Spiritui Sancto communicatur primò natura, & secundariò attributa per processionem, vel originem, quæ fit in similitudinem naturæ, vel similitudo naturæ, nego: per processionem, quæ fit per modum impulsûs, aut amoris, concedo minorem. Hoc autem solùm probat, Spiritum Sanctum esse Deum procedentem per modum impulsûs, aut amoris producti ex vi suæ processionis, non verò esse Filium, quod solùm competit secundæ Personæ: cujus processio cùm sit per modum Verbi, est similitudo naturæ: qui modus accipiendi naturam, constituit secundam Personam verè & propriè Filium, ut ex dictis constat.

Opponitur. Amor divinus nõ dicit naturam divinã formaliter, Spiritus autẽ

190. Opponitur nonò. Primò, Amor divinus ut talis non est natura divina, nec illam includit, vel saltem explicitè non dicit naturam divinam. Sed Spiritus Sanctus formaliter, & ex vi processionis solùm procedit ut Amor. Ergo formaliter, & ex vi processionis non dicit naturam divinam, ac proindè non procedit ut Deus: quod est contra nos. Major in sensu saltem virtuali est communissima. Minor etiam constat. Quia hi termini *formaliter, & ex vi processionis* solùm denotant id, quod ex parte processionis passivæ explicatur, & invenitur: ex parte processionis passivæ Spiritûs Sancti solùm explicatur Amor, quia illa juxta omnes Theologos solùm est per modum Amoris. Secundò. Quia quod procedit ut Deus formaliter, procedit ut Persona. Sed Spiritus Sanctus ut procedit per modum Amoris, vel ut Amor, non procedit ut Persona, sed solùm ut Amor subsistens. Ergo non procedit ut Deus, nec accipiendo primò naturam divinam. Minor patet. Quia Amor ut Amor non est Persona.

S. procedit forma liter ut amor.

Ad 1. dico amorẽ divinum per modũ termini producti dicere naturam divinam.

191. Respondeo ad primum, distinguendo majorem: Amor divinus sumptus absolutè, & ut attributum, concedo: Amor divinus per modum termini producti, nego majorem. Pro solutionis explicatione notanda est doctrina Divi Thomæ in 1. Sentent. dist. 10, quæst. 1. art. 1, cujus titulus: *Utrùm Spiritus Sanctus procedat ut Amor?* Ubi ad quartum sic ait: *Dicendum, quod Amor in divinis tripliciter sumitur: quandoq; enim sumitur essentialiter, quandoq; notionaliter; quando sumitur essentialiter non dicit aliquam processionem, vel relationem realem, sed tantùm rationis: Sicut cùm de Deo dicimus intelligens & intellectum; quando autem dicitur personaliter, tunc importatur perfectio, & relatio realis, & res procedens, sicut Amor est quid procedens.* Et statim subdit: *Secundùm quod est essentiale; est commune tribus; sed appropriatur Spiritui sancto, ut cùm dicitur Deus charitas est: secundum autem quod est personale, est proprium Spiritûs Sancti, & dicitur, quod Spiritus procedit ut Amor: Secundùm autem quod est notionale, est quædam relatio, vel notio communis Patri & Filio, quæ etiam dicitur communis spiratio: & hoc modo significatur Amor in hoc verbo diligunt: cùm dicitur; Pater & Filius diligunt se Spiritu Sancto.* Ità ibi. Idem docuit in 1. Sententiar. ad Annibaldum dist. 10. quæst. unicâ artic. 1, ubi ait ad tertium. *Dicendum quod Charitas & Amor potest tripliciter accipi; essentialiter, personaliter, notionaliter. Personaliter autem quando nomine Amoris importatur processio realis: & sic solùm Spiritus Sanctus Amor est.*

Amor igitur divinus potest accipi essentialiter & personaliter.

192. Ex quibus tollit Sanctus Doctor magnam æquivocationem, quæ in divinis per hoc nomen *Amor* potest esse. Unde Amor divinus si accipiatur essentialiter, tantùm valet, ac volitio realis, & ut sic licet realiter sit natura divina; virtualiter tamen, vel formaliter per intellectum non est natura; sed attributum naturæ. Amor autem personaliter, seu per modum termini producti dicit naturam divinam, ac proinde est Deus

ex

ex vi processionis: cum ei communicetur primò natura, & deinde volitio, quæ tribus Personis est communis; licet modus, quo ei communicatur, sit longè diversus ab eo, quo natura divina secundæ Personæ communicatur. Unde sicut hoc nomen *Verbum divinum* est personale, & importat naturam divinam acceptam per intellectum; ita hoc nomen *Amor productus*, sive *procedens* est, nomen personale, & significat naturam acceptam per voluntatem, sicut patet de hoc nomine *Spiritus Sanctus*, quod nihil differt ab hoc nomine *Amor productus*; sive *procedens*.

Ad 2. negative respondeo.

193. Hinc ad secundum, concessâ majori, nego minorem. Imò hoc ipso, quod Contrarii admittunt, Spiritum Sanctum ex vi processionis procedere ut Amorem subsistentem; consequenter debent admittere, quod procedat ut Amor, qui est suppositum, & persona. Tum quia Amor, ut importat processionem realem, *personaliter* dicitur, ut constat ex D. Thomâ. Tum quia sicut Verbum procedit ut quid subsistens, suppositum, & persona: sic Spiritus Divinus, vel Amor productus procedit ut persona.

Instant ergo, Spiritus s. æquè ac verbum procedit ut Deus, distinguo.

194. Instabis primò. Ergo Spiritus Sanctus ex vi processionis procedit æquè, & eodem modo Deus, ac Verbum. Distinguo consequens; æquè & eodem modo Deus ex vi processionis secundùm rationem peculiarem, quæ competit processioni Spiritûs Sancti, nego consequentiam. Ex vi processionis secundùm rationem communem divinæ processionis, concedo consequentiam, Ratio est. Quia ut dictum est suprà, peculiaris ratio in processione Spiritûs Sancti est, quod procedat ut Amor. Cùm igitur ratio Amoris non habeat ex suo conceptu esse similitudinem Amantis: inde est, quod Spiritus Sanctus ex vi peculiari suæ processionis non accipiat naturam amantis: illam tamen accipit ex eo quod est Amor divinus productus; quia sicut omnis terminus creatus accipit naturam creatam ab agente creato: sic omnis terminus divinus realiter productus ad intra, debet ex hac ratione ab agente divino accipere naturam divinam. Alia tamen est ratio in processione Verbi: quia Verbum ut tale petit esse similitudo dicentis: unde hæc est differentia inter verbum alicujus se ipsum dicentis, & inter amorem alicujus se ipsum amantis; quod Verbũ, cùm ex se sit similitudo, & imago dicentis, necessariò debet continere naturam illius vel accidentaliter, vel naturaliter juxta determinationem verbi aut creati, aut increati. At verò Amor alicujus se ipsum amantis, cùm nullo modo sit similitudo, aut imago amantis, non est unde petat continere naturam sui principii, vel amantis.

Instant iterùm, ergo divinæ processiones

195. Instabis secundò. Ergo processiones divinæ non sunt æquales perfectionis. Probatur consequentia. Processio divina, quæ ex suo peculiari conceptu dicit naturam, perfectior est eâ, quæ ex suâ peculiari ratione naturam non dicit. Ast processio divini Verbi ex suâ peculiari ratione dicit naturam: & processio Spiritûs Sancti ex peculiari ratione suâ naturam non dicit. Vel aliter. Terminus, qui procedit ut Deus, perfectior est illo, qui non procedit ut Deus. Sed Verbum divinum secundùm peculiarem rationem suæ processionis modo dicto procedit ut Deus, cùm ex suâ ratione dicat naturam: Spiritus autem Sanctus ex peculiari ratione suæ processionis naturam non dicat. Ergo.

næ processiones nõ sunt æquales processionis.

196. Hæc instantia potiori jure urget asserentes, Spiritum Sanctum nullo modo procedere formaliter ut Deum, neque secundùm rationem communem processionis divinæ. In nostrâ verò sententiâ nullam vim habet. Pro cujus explicatione hic est suprà data revocanda doctrina: scilicet in processionibus divinis duas relationes posse considerari: aliam per modum rationis communis utrique processioni; & aliam per modum rationis differentialis: v. g. In processione secundæ Personæ consideratur quod sit processio divina, & hoc ipsum reperitur in processione tertiæ Personæ, quæ tam divina est, ac secundæ Personæ processio. Præter hanc rationem communem relucet in qualibet processione sua peculiaris ratio; quod scilicet in secundâ Personâ processio divina sit per modum Verbi, & in tertiâ Personâ processio divina sit per modum Amoris.

Pro solutione nota, in divinis processionibus duplicem relationẽ posse cõsiderari.

197. Unde formaliter, & nostro modo intelligendi ratio Verbi præcisè est specialis respectu processionis secundæ, ita ut in his verbis quorum in hâc disputatione usus est frequentissimus: v. g. *Secunda Persona ex vi suæ processionis formaliter*, vel *ex vi formalis suæ processionis*: solummodò importetur ratio Verbi: & in eisdem Verbis respectu processionis Spiritûs Sancti importetur solùm ratio *Amoris*; ita ut ratio Verbi præscindens ab eo quod sit divinum, vel non sit divinum, formaliter sit tota specialis, & differentialis ratio in processione secundæ Personæ, & similiter *Amoris* procedentis, cum præcisione tamen, an Amor sit divinus vel non; sit etiam formaliter tota specialis ratio, quæ relucet in processione Spiritûs Sancti. Ratio hujus doctrinæ est. Quia quod processio sit divina, & quod terminus sit divinus, utrique processioni est quid commune: ex quo patet quod solùm ratio Amoris procedentis in unâ processione, & ratio Verbi producti in alterâ sint rationes speciales talium processionum.

Unde ratio verbi præcisè est specialis respectu 2. processionis.

198. Hinc est, quod secundùm utramq; rationem cõmunem, & differentialem possimus loqui de perfectione divinarũ processionum; si enim loquamur de ratione cõmuni utrique

Dicendũ igitur est, processiones divinas tam

realiter quâ formaliter esse infinitè perfectas.

utriq; processioni, sic loquimur de processione infinitâ, & propriâ solius Dei, ut cùm in hoc prædicato utraque processio conveniat, cùm utraq; sit divina, & uterque terminus sit etiam divinus; dicendũ est processiones divinas tam realiter, quàm formaliter infinitè perfectas; cùm perfectio infinita sumatur à prædicato divino, quod æquè convenit utrique, & ratione cujus æquè utrique termino communicantur primariò natura divina, & secundariò attributa. Si verò loquamur de perfectione Verbi, & Amoris præcisè, hæc perfectio divina non est; sed solùm vocatur perfectio ex genere suo; & totum argumentum reducimus ad eam quæstionem philosophicam; an scilicet intellectus ex genere suo sit perfectior voluntate? Vel an operatio intellectûs perfectior sit operatione voluntatis? Unde pro quâcumq; parte resolvatur, nec in minimo læditur divinarum processionũ perfectio. Quia licet ratio verbi ex genere sit perfectior, eò quod Verbum creatum sit amore perfectius: cùm hæc comparatio non sit inter divinum & divinum, sed inter creatum, & creatum, nusquam probatur, quod processio Verbi sit perfectior processione Amoris divini; nec quod perfectiùs sit in divinis esse Verbum, aut Filium; quàm esse Amorem, aut Spiritum Sanctum.

Doctrinæ rationem exhibeo.

199. Ratio est. Quia conceptus Verbi, & conceptus Amoris in divinis, cùm sint veluti modi divinarum processionum, in quibus salvatur infinita processio; non est, cur unus sit perfectior alio, cùm æqualiter divinam processionem determinet. Unde nota, quod quando dicimus, rationem Filii videlicet sumi à ratione Verbi ut præscindentis formaliter à processione divinâ (& idem de ratione Amoris) non intendimus dicere, quod ratio verbi, aut ratio Amoris, prout abstrahunt à creato, & increato, præstent formaliter illos effectus; sed quod tales rationes, prout determinant divinam processionem, & prout ab illâ condistinctæ formaliter, id præstent: quia aliquorum sententia est quod distinguantur formaliter à processione divinâ; & aliorum est, quod illâ includant per transcendentiã, licet addant modos illos Verbi, & Amoris. Ex quibus facilè constat, quid sit argumento respondendum in formâ.

Igitur divinæ processiones sunt omninò æquales.

200. Nego igitur consequentiam. Sunt enim processiones divinæ ut tales omninò æquales tam realiter, quàm formaliter: cujus ratio constat ex dictis. Ad probationem distinguo majorem: perfectior est illâ, quæ nullo modo dicit naturam, concedo: si naturam dicat saltem ratione communi processionis, nego majorem. Unde ad hoc, quod processiones divinæ, & earum termini sint omninò æquales in perfectione, solùm requiritur, quod æqualiter gaudeant prædicato divino. Quod autem ratio Verbi sit, vel non sit perfectior ex genere suo ratione Amoris, non venit in considerationem; & hoc solùm potest habere locum in his, in quibus ratio Verbi, & ratio Amoris cum limitatione inveniuntur, ut contingit in creatis.

LECTIO VII.

Nonnullæ aliæ difficultates discutiuntur.

1. est. Quia cùm ratio Amoris producti non faciat quod Spiritus S. nõ sit Filius, nec id faciet ratio Verbi.

201. Opponitur primò. Processio Spiritûs Sancti tam perfectio est secundùm rationem communem divinæ processionis, ac est processio Verbi: Item terminus processionis Spiritûs Sancti tam perfectus, tamque Deus est secundùm rationem termini procedentis ad intrà, ac est terminus processionis secundæ Personæ. Sed ratio Amoris producti, quæ ultimò, & specialiter determinat, & constituit processionem Spiritûs Sancti ut talem, non præstat quod Spiritus Sancti processio sit generatio; nec facit ad hoc, quod ejus terminus sit Filius. Ergo nec ratio Verbi. Patet consequentia. Quia sicut ratio Amoris non conducit ad generationem; sic ratio præcisè Verbi non conducit ad veram generationem, & propriam Filiationem: cùm in Verbo creato detur propria ratio Verbi procedentis, quin in illo detur vera generatio, nec propria Filiatio.

Ulteriùs quia ratio Verbi, & Amoris ratio nequeunt præstare discrimen inter 2. & 3. personã cùm voluntas à parte rei nõ distinguatur ab intellectu divino.

202. Firmatur ulteriùs. Fide Catholicâ est certum, Secundam Trinitatis Personam esse Filium; tertiam verò non esse Filium; & hoc independenter à nostris conceptibus: cùm etiam sit certissimum, secundam Personam non ideò esse Filium, quia sic eam concipimus. Sed ratio Verbi, & Amoris ratio non possunt præstare differentiam inter secundam, & tertiam Personam; quod scilicet una sit Filius, & altera non, independenter à nostris conceptibus. Ergo. Minor probatur. Ratio Verbi sumitur ab eo, quod processio secundæ Personæ sit per intellectum: & ratio Spiritûs, seu Amoris sumitur ex eo quod processio tertiæ Personæ sit per voluntatem. Sed independenter à nostris conceptibus in Deo idem sunt intellectus, & voluntas; intelligere & velle. Ergo à parte rei idem erit, quod processio sit per modum Verbi, ac quod sit per modum Amoris. Aliqui ita se protegunt distinctione virtuali intrinsecâ, ut per eam solam videantur plenè satis facere difficultati; quasi nulla alia via pateat defendendi processionem Verbi & Filii distinctam à processione Amoris aut Spiritûs S. in Deo; ac proindè dicant unam processionem ideò esse per modum Verbi, & alteram per modum Amoris, quia in Deo intellectus, & voluntas; intellectio & volitio virtualiter distinguuntur.

203. At

Ad solutionē nec sufficiens nec necessaria est distinctio virtualis.

203. At quidquid sit de distinctione virtuali, quam inter perfectiones Dei absolutas major Recentiorum pars meritò negat; certè talis distinctio virtualis ad punctum, in quo versamur, nec sufficiens, nec necessaria est: quod unâ, vel aliâ ratione sic ostendo. Sit prima. Distinctio virtualis, quæ est inter intellectum, & voluntatem Dei, non præstat, quod intellectio & volitio distinguantur realiter in Deo, quamvis hæc ad voluntatem, & illa ad intellectum spectet: sed ad summum quod virtualiter solùm sint distinctæ. Ergo quod intellectus, & voluntas, quod intellectio & volitio virtualiter distinguantur, non efficiet, quod ratio Verbi in processione secundæ Personæ, & ratio Amoris in processione tertiæ distinguantur realiter; sed ad summum quod virtualiter differant. Sit secunda. Quamvis intellectus & voluntas virtualiter distinguantur, nihilominùs utraque processio est saltem realiter intellectio, & volitio, quæ ad intellectum, & voluntatem pertinent. Ergo similiter licet virtualiter distinguantur intellectus & voluntas, utraque processio habebit esse per modum Verbi, qui modus pertinet ad intellectum; & utraque esset per modum Amoris, qui modus pertinet ad voluntatem.

Ad 1. respondeo cum disparitate.

204. Ad argumentum, concessis majori, & minori, nego consequentiam. Disparitas est. Quia cùm de ratione Verbi, ut est verbum alicujus se ipsum, suamque naturam dicētis, sit, quod procedat ut similitudo naturæ dicentis; sit quod ratio Verbi, prout specialiter, & ultimò determinat processionē divinam, & terminum divinæ processionis; præstet, non quod processio divina sit origo viventis à vivente conjuncto; hoc enim commune est utrique processioni, ut communiter docent Theologi; sed quod processio divina quasi ultimò, & specialiter determinata per rationem Verbi, sit in similitudinem naturæ, vel similitudo naturæ, seu quod ejus terminus divinus eò, quod ultimò determinetur ad hoc ut procedat ut Verbum, sit in similitudinem naturæ; quæ omnia faciunt, & quod processio divina sit generatio, & quod ejus terminus sit Filius. At verò cum ratio Amoris nullatenùs habeat ex suo conceptu, quod sit similitudo amantis, nec boni amati; sit inde, quod ratio Amoris, prout quasi ultimò processionem divinam determinat, non præstet ei, quod sit similitudo naturæ, vel in similitudinem naturæ; ac proindè nec quod processio divina per rationem Amoris determinata, sit generatio, nec ejus terminus Filius.

Verbum dicitur tale ut procedēs per intellectū proprium Patris, &

205. Ad confirmationem, concessâ majori, nego minorem. Ad probationem, distinguo majorem: ratio Verbi desumitur ab eo, quod processio secundæ Personæ fit per intellectum, ut proprium Patris, & notionaliter sumptum, concedo: per intellectum ut communem tribus Personis, & absolutè sumptis, nego majorem. Et idem est de voluntate ut appropriatâ, & modificatâ relatione Spiratoris. Deinde concessâ minori, nego consequentiam. Solutionis ratio desumitur ex dictis supra, ubi statuimus pro principio *quo* proximo generationis Verbi intellectum ut modificatum relatione Patris; & pro principio spirativo voluntatem modificatam relatione Spiratoris. Ex quibus fit, quod processio Verbi fit mediante intellectu prout modificato relatione primæ Personæ; & processio Spiritûs Sancti fit mediante voluntate ut modificatâ relatione Spiratoris, quæ duabus Personis, uni productæ; nimirùm Patri, & alteri productæ nimirùm Filio, convenit. Ergo jam processio, quæ est per modum Amoris, supponit priùs prioritate originis Verbi processionem. Cùm ergo, ut benè Sanctus Thomas quæst. 10. de Processionibus Divinis, artic. 2. in corpore; solus ordo processionum, qui attenditur secundùm originem, processiones multiplicet realiter in Divinis; patet, quod processio Verbi cùm sit prior origine processione Spiritûs Sancti; sit etiam nō virtualiter, sed realiter distinctâ à processione Spiritûs S. quamvis intellectus, & voluntas realiter sint idem: quia origo & processio divina non sumitur solùm à perfectione absolutâ; sed ab illâ prout appropriatâ, vel prout includente proprietatem, seu relationem.

notionaliter sumptum.

Instant. Ergo nulla est ratio secernens processionem verbi à processione amoris

206. Sed replicabis. Ergo nulla est ratio, quare processio secundæ Personæ sit aut denominetur processio Verbi potiùs, quàm processio Amoris. Consequens est absurdum, utpotè contra Evangelium Joannis dicentis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Quæ verba, fide certum est, applicari secundæ Personæ Trinitatis. Consequentia tamen probatur. Quod processio secundę Personæ sit processio Verbi, non provenit à solâ relatione Patris, ut relatio est, vel ut est ratio distinguendi: quia processio Verbi spectat ad intellectum: relatio autē Paternitatis, ut ratio est distinguendi, non est intellectus; Tum quia intellectus ratio distinguendi non est: Tum quia aliàs Filius non haberet formaliter intellectum; cùm formaliter relationem Patris non habeat. Deinde non provenit à solo intellectu. Tum quia processio passiva secundæ Personæ supponit processionem, sive originem activam, generativamque potentiam, quæ nullo modo consistit in solo intellectu, nec in solâ aliâ perfectione absolutâ, ut constat ex dictis. Atqui quod processio secundæ Personæ specialiter sit & denominetur processio Verbi, non provenit à conjuncto ex intellectu, & relatione Patris. Ergo nulla est ratio, quare processio, &c.

207. Minor probatur. Intellectus in Patre, & voluntas reipsâ à parte rei, & sumptæ absque dependentiâ à nostris conceptibus, idem omninò sunt. Ergo realiter idem est conjunctum ex relatione Patris, & intellectu, ac conjunctum ex relatione Patris, & voluntate. Consequentia patet. Quia intellectus, & voluntas in Deo realiter formaliter sunt idem. Ergo realiter formaliter idem est, secundam Personam procedere ex conjuncto intellectûs, & Paternitatis; ac procedere ex conjuncto voluntatis, & Paternitatis. Ergo non est, cur processio secundæ Personæ sit potiùs processio Verbi, quàm Amoris. Hæc consequentia probatur. Quia processio secundæ Personæ realiter formaliter est, & denominatur processio Verbi ex eo quod realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & intellectûs. Ast realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & voluntatis. Ergo processio secundæ Personæ vel simul erit realiter formaliter processio Verbi, & processio Amoris; vel nulla est ratio, quare processio secundæ Personæ sit, & denominetur potiùs processio Verbi, quàm Amoris.

Omnes sententiæ instantiæ rationibus respondere tenentur.

208. Verùm omnes sententiæ huic argumento respondere tenentur. Pro cujus solutione nota breviter, supponendas esse duas processiones realiter distinctas in Deo; primam scilicet, & secundam; nimirùm processionem secundæ Personæ, & tertiæ processionem. His ergo positis, nostra solùm interest, quod proprium Theologorum est, scilicet investigare, & rationem dare, quare processio secundæ Personæ realiter formaliter sit processio Verbi, & non Amoris; & quare tertiæ Personæ processio sit non processio Verbi, sed Amoris; & denique, cur hæ processiones realiter distinguantur, cùm intellectus & voluntas sint in Deo una indivisibilis entitativa perfectio, idemque sit in Deo conjunctum Paternitatis, & intellectûs; & ipsius Paternitatis, & voluntatis conjunctum: in hoc ergo tota sistit, & vertitur difficultas; cui tamen ita censeo satisfaciendum.

Igitur sequelam inficior.

209. Respondeo igitur ad replicâ in formâ negando primam consequentiam. Ad cujus probationem, concessâ majori, nego minorem. Ad cujus probationem. concedo antecedens, primam & secundam consequentiam; sed tertiam rotundè inficior, quod scilicet non sit, cur processio secundæ Personæ sit, vel denominetur processio Verbi potiùs, quàm Amoris. Ad ejus probationem distinguo majorem: quia realiter formaliter oritur ex conjuncto Paternitatis, & intellectûs; hoc est, ex Paternitate, & processione divinâ, quæ solùm sit perfectio intellectûs, & non perfectio voluntatis, &c. nego majorem: ex Paternitate, & ex perfectione divinâ, quæ priùs petit notionaliter operari per operationem intellectûs, concedo majorem; & sub eâdem distinctione nego consequentiam.

Illustratur solutio.

210. Illustratur solutio. Quamvis igitur intellectus, voluntas, & natura divina (& sic de aliis) sint unica, & indivisibilis perfectio realis in Deo; nihilominùs datur ratio, cur processio secundæ Personæ sit, & denominetur realiter processio Verbi, & non Amoris. Ratio autem est, Quia cùm supponamus ex Fide, perfectionem divinam notionaliter sumptam, habere duas operationes, & processiones; rectè inferimus, primam processionem, quâ secunda Trinitatis Persona procedit, esse realiter processionem Verbi; quia cùm natura rationalis operatur, servat hunc ordinem: nimirùm quod priùs operetur per intellectum, & posteriùs per voluntatem, ut videre est in potentiis animæ, quæ licet simul sint, & radicentur in animâ, priùs operatur potentia intellectiva, quàm volitiva; priorque est processio Verbi creati, quàm processio Amoris creati: Imò in sententiâ non distinguente potentias ab animâ, id clarè ostenditur. Nam licet eadem perfectio animæ sit perfectio intellectûs, & voluntatis realiter, & identicè; nihilominùs eadem animæ perfectio priùs elicit, & operatur processionem Verbi, quod est terminus intellectûs. quàm processionem Amoris, qui attinet ad voluntatem.

221. Sic ergo, licet realiter eadem divina perfectio sit intellectus, & voluntas; cùm talis perfectio priùs notionaliter operetur per intellectum, quàm per voluntatem, prima processio illius, quæ est secundæ Personæ, est, & denominatur processio Verbi, quæ ad intellectum spectat; & non Amoris, quæ est origine posterior, & pertinet ad voluntatem: ac proindè sufficiens ratio assignatur, cur principium primæ processionis dicatur conjunctum ex Paternitate, & intellectu; & processio illius sit processio Verbi, & non Amoris: semper enim voluntas producit, aliâ præsuppositâ processione; cùm non tendat in aliquid, nisi præexistente productione intellectûs. Et hinc est, quod Deus duplici modo, & ordine quodam originis procedat de Deo: ut Verbum scilicet, & ut Amor: At ut procedat realiter ut Amor, priùs prioritate originis debet realiter procedere ut Verbum: quia conceptio rei amatæ semper præsupponitur, & præexistit processioni Amoris.

Tandem objicitur, inde sequi Spirit. S. esse realiter Filii.

212. Opponitur tandem. Sequitur ex sententiâ nostrâ, Spiritum Sanctum esse realiter, & identicè Filium, etsi non formaliter ex vi peculiari suæ processionis.

Conse-

Consequens est absurdum. Ergo. Sequela probatur primò. Nam cui convenit definitio cum addito, cum eodem addito convenit definitum. At Spiritui Sancto convenit definitio Filii cum hoc addito, nimirùm materialiter, & identicè; cum sit procedens in similitudinem naturæ identicè per processionem; etsi non ex vi processionis formaliter. Ergo erit identicè Filius. Secundò. Quod est simile producenti in naturâ ex vi processionis, est Filius formaliter ex vi processionis. Ergo quod est simile producenti in naturâ identicè, & materialiter tantùm, licèt non ex vi processionis, erit identicè Filius. Tertiò. Spiritus Sanctus est Deus identicè per processionem; quia per illam ei communicatur identicè natura divina, etsi non sit Deus ex vi processionis formaliter, eò quòd non communicatur natura formaliter ex vi processionis. Ergo pariter erit identicè Filius per processionem, si per processionem habet esse identicè similem producenti in natura, quamvis formaliter, & ex vi processionis non sit Filius, eò quòd non habeat talem similitudinem formaliter, & ex vi processionis. Quartò. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio; sed solùm à Patre, tunc Persona Spiritûs Sancti esset identicè Filius, quia identicè ei conveniret definitio Filii, eò quòd identicè in similitudinem naturæ procederet. Ergo si modò identicè in similitudinem naturæ procedit, sive similitudinem naturæ identicè habet, dicendus erit identicè Filius.

Expendo cõmunẽ aliorum solutionẽ.

213. Hoc argumentum nullum nobis negotium facessit; alios tamen non parùm urget. Propterea Godoy ubi supra num. 105. & alii communiter respondent: Quod licèt Spiritui Sancto conveniat esse similem in naturâ cum addito illo, nimirùm *identicè*; definitio tamen Filii non convenit illi cum addito: Additum enim illud destruit definitionem Filii, eò quòd verba definitionis formaliter sunt accipienda; ac proinde cum in definitione Filii dicatur, quod in similitudinem naturæ procedat, debet hoc explicari formaliter, & ex vi processionis: Unde addito ly *materialiter*, ponitur aliquid destruens definitionem generationis. Ex quo respondent ad primam, & secundam probationem. Ad tertiam, concesso antecedenti, & consequentiâ negatâ, dicunt, disparitatem esse. Quia in definitione Deitatis non ponitur, quod competat, vel non competat per processionem; benè tamen in definitione Filii. Unde, ut sit Deus, necessarium non est, quod Deitas illi conveniat ex vi processionis; benè verò, ut sit Filius. Ad quartam rationem, concesso antecedenti, & consequentiâ negatâ, dicunt, discrimen esse: Quia in eo casu esset Persona Spiritûs Sancti identificata cum aliquâ, cui ex vi processionis conveniret Dei natura formaliter; scilicèt Filii; & ideò esset Filius identicè; modò autem sub nullâ ratione sibi identificatâ, habet naturam Dei formaliter ex vi processionis; & ideo Filius non est adhuc identicè.

Nego sequelam.

214. Nos tamen huic modo discurrendi non insistimus, ut ex totâ disputatione constat. Propterea ad argumentum respondeo, negando sequelam. Ad primam probationem, concessâ majori, nego minorem, etiam quoad secundam partem; quod scilicèt Spiritus Sanctus procedat similis in naturâ, vel ut similitudo naturæ materialiter, & identicè. Licèt enim concedendum sit, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, non solùm materialiter; sed etiam formaliter; cum nullo modo sit Deus, nisi de Deo, ut constat ex primâ Conclusione: Nunquàm tamen, præcipuè à nobis, est concedendum, Spiritum Sanctum procedere ut similitudinem naturæ, non solùm formaliter; sed nec materialiter, & identicè. Moveor ad hoc primò. Quia quod est proprium secundæ Personæ, nec materialiter, & identicè potest alteri competere. Sed est proprium secundæ Personæ, quod procedat in similitudinem naturæ, seu quod sit similitudo naturæ producentis, & ideò dicitur Filius. Ergo procedere in similitudinem naturæ, nec materialiter potest Spiritui Sancto competere. Secundò. Quia cum Spiritus Sanctus sit Deus de Deo, non potest concipi, quod sit talis, nisi per communicationem naturæ vel formaliter, vel materialiter. Ergo sicut Spiritus Sanctus est saltem materialiter Deus; quia Deitas non ex vi formali; sed ex vi materiali, & identicè tantùm communicatur, ita erit materialiter Filius; quia similitudo naturæ, vel in naturâ ei communicatur materialiter, & identicè, licèt non ex vi formali. Nec valet dicere, competere secundæ Personæ, quod procedat in similitudinem naturæ formaliter, & ex vi suæ processionis; quod omninò requiritur ad rationem Filii: Quo pacto non competit Spiritui Sancto; sed solùm materialiter, & identicè, quod nullatenùs sufficit.

Implicat igitur, unã Personã habere materialiter

215. Hoc autem non valet: Quia id ipsum est, quod intendimus, ut falsum convellere; scilicèt implicare, quod id, quod habet una Persona ex vi suæ processionis formaliter, habeat alia Persona materia-

rer, quod alia formaliter.

terialiter, & identicè: Quod sic ostendo. Tam proprium est secundæ Personæ, quod sit origo viventis à vivente, &c. ex vi suæ processionis, ac est proprium illius, quod procedat formaliter, & ex vi formali suæ processionis ut Verbum Patris; quis enim dicat, esse Verbum competere secundæ Personæ materialiter tantùm, & non ex vi suæ processionis. Aſt ex eo, quod sit proprium secundæ Personæ procedere ut Verbum ex vi suæ processionis formaliter, non potest dici, quod Spiritus Sanctus procedat materialiter, & identicè Verbum. Ergo neque quod procedat materialiter, & identicè in similitudinem naturæ. Certè si semel concedatur, quod Spiritus Sanctus est origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ materialiter, & identicè, vel quod Spiritus Sanctus materialiter, & identicè sit similitudo naturæ divinæ; quod formaliter, & ex vi suæ processionis habet secunda Persona; non video firmam solutionem, quarè Spiritus Sanctus non sit Filius materialiter, & identicè.

Explico ly materialiter.

216. Tum quia si ly *materialiter* non destruit, quod Spiritus Sanctus sit in similitudinem naturæ, quamvis identicè, & materialiter tantùm; quæ particula præcipuè distinguit juxtà Adversarios processionem secundæ Personæ, quare destruet, quod materialiter, & identicè tantùm habeat rationem Filii; cum similitudo naturæ producentis sit specialis, & perpetua ratio Filii. Nec video, quam utilitatem ad hanc disputationem præstent illi termini *materialiter* ex unâ parte; & illi *formaliter*, seu *ex vi processionis* ex aliâ; præsertim cum processio divina non sit præcisiva, & præsens controversia eandem difficultatem habeat in sensu identico. Unde juxtà dicta suprà, aliud est, quod Spiritus Sanctus sit Deus, sicut Pater, & Filius; quod est Fide certum; & aliud, quod Spiritus Sanctus realiter, & identicè procedat in similitudinem naturæ divinæ: Hoc enim, & meritò negamus: Quia in divinis solùm id, quod procedit ut Verbum, procedit in similitudinem naturæ producentis, vel ut similitudo, & imago naturæ Patris; cum ex suo quidditatito conceptu Verbo procedenti conveniat hoc, quod est progredi in similitudinem alicujus se ipsum cognoscentis. Cum ergo Spiritus Sanctus nec identicè procedat ut Verbum; sed ut Amor, de cujus ratione non est, quod sit similitudo amantis, seu boni amati; inde est, quod licèt Spiritus Sanctus sit Deus; non tamen sit Deus ut similitudo, aut imago Dei; sed solùm ut Amor divinus; non quidem absolutè sumptus; sed solùm personaliter acceptus: Nam sicut *Verbum* est nomen personale proprium secundæ Personæ, & quasi individuale illius; sic hoc nomen *Amor divinus* procedens, aut productus, est nomen proprium, & quasi individuale. Ex quibus constat, quomodò sint reliqua argumenta dispellenda.

LECTIO VIII.

Unum, vel alterum Corollarium.

In quo nostra ab aliis sententiis diff. fideat?

217. EX dictis inferes primò dissidium de re, quod intercedere potest inter nostram, & alias sententias: Nam secunda sententia ubi supra asserens, secundam Personam ideo esse Filium, quia procedit ab uno supposito: Spiritum verò Sanctum non esse Filium, quia procedit à duobus; parum aut nihil à nostrâ differre. Tum quia in divinis prima processio est per intellectum, & hæc petit esse ab uno supposito; secunda verò processio est per voluntatem, quæ supponit processionem Verbi; ac proinde petit esse à duobus suppositis. Tum quia sicut processio, quæ est per modum naturæ non præexigit aliam processionem; Ita processio, quæ est per modum intellectûs: processio autem, quæ est per modum voluntatis, necessariò præexigit aliam processionem, quæ per modum intellectûs est. Tum quia sicut naturâ producit aliquid in similitudinem sui, ita & intellectus. Tum quia sit ait Divus Thomas quæst. 10. de Processionibus, artic. 2. ad primum processio naturæ, seu per modum naturæ est tantùm ab uno, si est perfectum agens. Nec obstat, quod in animalibus generatur aliquid de duobus, scilicèt ex Patre, & Matre: Nam solus Pater est agens in generatione; Mater verò patiens; similiter autem processio intellectus est ab uno solo. At verò amicitia, quæ est amor mutuus, procedit ex duobus ad invicem se amantibus. Relinquitur ergo, quod in divinis processio, quæ est per modum intellectûs, non distinguatur à processione, quæ est per modum naturæ, & ab uno supposito. Nostra tamen sententia hoc ipsum defendit; sed ostendit rationem clariorem, quare secunda Persona procedat in similitudinem naturæ; qui est conceptus proprius generationis, & filiationis.

P. Vasquez facilè nobiscum conciliatur.

218. Inferes secundò. Tertiam P. Vasquii sententiam facilè cum nostrâ componi. Quia non aliunde provenit, quod secunda Persona procedat ut imago Patris, nisi quia procedit ut Verbum expressivum Patris,

Patris, se ipsum intelligentis, & accipiens eandem naturam per modum similitudinis, quarè potest esse imago naturalis, quin procedens sit Verbum, ut constat in genito creato: Quare autem genitum divinum sit imago naturalis, est; quia procedit ut Verbum in eâdem naturâ. Displicet tamen ea sententia in eo, quod addit: Spiritum scilicèt Sanctum procedere ut similem, vel in similitudinem producentis: Quia, ut constat ex dictis, non est idem, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, ac procedere in similitudinem Dei.

In quo vera sit quarta sententiâ.

219. Inferes tertiò. Quartam sententiam veram esse, quatenùs ait, Filium in divinis accipere à Patre naturam ad alterius suppositi productionem; eam tamen non esse rationem claram, & immediatam, cur secunda Persona sit Filius; sed eam, quàm dedimus. Displicet etiam hæc sententia in eo, quod addit, nempe Spiritum Sanctum ex vi suæ processionis procedere in similitudinem naturæ. Nec est idem, quod Spiritus Sanctus accipiat eandem naturam, ac in similitudinem procedere, vel procedere ut similem: Quia, ut constat ex definitione generationis, similitudo naturæ, quæ ibi ponitur, cadit supra originem: Dicitur enim, quod generatio est processio, seu origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ: Cum autem ratio originis in solâ divinâ naturâ non salvetur; nihil interest, quod Spiritus Sanctus accipiat naturam divinam ad hoc, quod ex vi processionis procedat similis, eò quòd origo illius non est similitudo, sicut est origo secundæ Personæ per modum Verbi procedentis.

Quintam omni ex capite rejicio.

220. Inferes quartò. Quintam sententiam, quæ tribuitur Patri Ribadeneyra, & Patri Quiroz, omni ex capite esse rejiciendam: Tum propter præcisiones formales à nobis rejectas. Tum quia intellectionem explicari clariùs, quàm volitionem à Verbo; vel sumitur respectivè ad nostros conceptus? Et hoc non: Quia Verbum divinum ut tale nec in se, nec in sui processione dependet à nostris conceptibus; ab æterno enim fuit secunda Persona Verbum, & Spiritus Sanctus non fuit Verbum, nec Filius, nullo creato existente conceptu. Vel sumitur respectivè ad conceptus divinos? Et neque hoc: Quia in divinis non est nisi unus, & indivisibilis conceptus; scilicèt divinum Verbum. Tum quia Deus non cognoscit in Verbo clariùs intellectionem, quàm volitionem, nec ècontrà; aliàs præscinderet formaliter, essetque Dei imperfecta cognitio; cum minor claritas minueret perfectionem cognitionis; quæ omnia satis implicant. Vel sumitur ex intrinsecis prædicatis Verbi divini? Hoc autem etiam propter easdem rationes satis implicat. Ex dictis in decursu præcedentium Quæstionum sufficienter constat notitia aliquarum difficultatum parvi momenti, quæ solent hìc ex professo disputari.

QUÆSTIO IV.

Expenduntur dubia circà Divinas Relationes.

HACTENUS pleno calamo discussimus, quæ in Scholis circà divinas processiones magno inter Scholasticos dissidio solent agitari. Aggredimur in præsenti Quæstione expedire eâ, quæ de relationibus divinis ventilantur; quibus omnibus breviter satisfaciam.

LECTIO I.

Quo pacto distinguantur Essentia Divina, & Relationes?

Essentia divina nõ distinguitur realiter à relationibus.

221. DIfficultas gravissima est; eam tamen breviter discutiam. Prout autem ad præsens attinet institutum, suppono primò relationes à divinâ essentiâ realiter non distingui; cujus oppositum docuit Gilbertus Porretanus, ut plures aiunt ex Divo Thomâ in hâc Quæstione artic. 2. & ex Divo Bonaventurâ in primo distinct. 23. contra P. Vasquium dicentem, Gilbertum solùm distinctionem formalem inter essentiam, & relationes posuisse. At quidquid de hoc sit, talis sententia fuit damnata in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. & veritas Catholica circà punctum hoc suadet primò. Quia in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. Sed hæc oppositio inter essentiam, & relationes non datur. Ergo. Secundò. Quia ex tali distinctione fieret, divinas Personas simplices omninò non esse; sed compositas ex essentiâ, & relatione. Hoc est absurdum. Ergo. Major patet. Quia compositio est distinctorum unio. Atqui in divina Persona daretur unio relationis, & essentiæ realiter distinctarum. Ergo.

222. Suppono secundò ex Fide in Deo

De fide est, in Deo esse relationes reales 2. rē, & non 2. rationē tantùm.

esse relationes reales secundùm rem, & non secundùm rationem tantùm. Ratio est. Quia Fides ponit, & fatetur tres Personas in Deo unius essentiæ; & hoc propter relationes Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Sed numerus Personarum non est secundùm rationem tantùm; sed importat distinctionem secundùm rem. Ergo in Deo sunt relationes secundùm rem.

Quo pacto relationes Domini, Creatoris &c. in Deo sint reales?

223. Sed dices. Deus dicitur essentialiter Dominus creaturarum; & tamen relatio dominii non est realis relatio in Deo: Similiter Deus denominatur realiter Filius Beatissimæ Virginis; & tamen filiatio in ipso non importat, nisi relationem rationis, ut tenet Divus Thomas 3. parte, quæst. 25. artic. 5. Ergo etsi relatio Paternitatis non realis; sed rationis esset; Deum Patrem realiter denominaret. Respondeo, denominationes Domini, Creatoris, volentis liberè, & hujusmodi dici reales; non quia ex parte Dei importent relationem veram, & realem; sed solùm quia dicunt perfectionem cum fundamento in re ad talem relativam denominationem: Nam ex eo, quod ex creaturis cognoscamus Deum propter dependentiam creaturarum, & earum relationem ad ipsum; non possumus non formare conceptum de Deo, in quo ipsum intelligamus ut terminum illarum; ac per consequens cum ordine ad illas: Quarè talis ordo non est realis; sed rationis; quia reverà in Deo non est; sed solùm ipsi tribuitur, quatenùs à nobis cognoscitur in conceptu relativo, ac proinde cum ordine ad creaturas, eò quòd ipsum cognoscamus sicut terminum illarum; unde Deus verè Dominus dicitur creaturarum; quia in illo est tota dominii perfectio; sed absque reali ad creaturas relatione, propter imperfectionem, & dependentiam realem, quam hæc importat.

Deus verè dicitur Filius Beatissimæ Virginis.

224. Similiter Deus verè dicitur, & propriissimè Filius Beatissimæ Virginis; sed filiatio in Deo non est relatio realis ad Beatissimam Virginem, propter eandem imperfectionem, quàm hujusmodi relationes reales ad extrà secum important. Quapropter ad tales denominationes veras sufficit, dari fundamentum in re; scilicèt generatio realis Beatissimæ Virginis. At verò in Patre divino, si relatio non esset realis, nullum daretur reale fundamentum; nam Paternitas fundatur in generatione, quæ petit realem distinctionem geniti à generante; cum distinctio in divinis processionibus sumatur à relationibus; unde si illæ non essent reales, distinctio realis inter divinas Personas esse non posset. His ita: In dubium solùm vertitur, an etsi relatio, & essentia divina non distinguantur entitativè, & realiter; distinguantur tamen aliquâ distinctione ante omnem operationem intellectûs; vel quo pacto distinguantur?

Prima est Durandi sententia.

225. Prima sententia tenet, distingui relationes divinas ab essentiâ distinctione reali modali, non ut rem à re; sed tamquàm rem, & modum. Hanc opinionem Scholis invexit Durandus in primò distinct. 33. quæst. 1. num. 23. ubi asserit, differentiam relationis ab essentia, non esse purè, & præcisè secundùm rationem; nec absolutè esse dicendum, quod realiter differant; benè tamen, quod differant aliquomodo realiter ante omnem intellectûs operationem. Quod magis explicat infrà, ubi docet, distingui realiter modaliter; ideſt, non ut rem à re; sed ut rem, & modum. Secunda sententia docet, relationem non distingui realiter ab essentiâ; benè tamen ex naturâ rei ante omnem operationem intellectûs. Sic Scotus in primo distinct. 2. quæst. 4. & 7. & distinct. 26. & 28. cui subscribunt ejus discipuli; quamvis non desint, qui asserant, Scotum solùm intendisse ponere distinctionem virtualem, in hoc sensu Subtilis Doctoris mentem interpretantes.

Secunda est Scoti.

Tertia est S. Thomæ.

226. Tertia sententia propugnat, essentiam à relationibus nullo genere distinctionis actualis, sive realis modalis, sive formalis ex naturâ rei ante operationem intellectûs gaudere; sed realiter formaliter identificari, & solùm ratione nostrâ distingui. Hæc sententia est Divi Thomæ, & communis inter Doctores. Addunt tamen Recentiores, à parte rei, & independenter ab intellectu dari inter essentiam, & relationes distinctionem virtualem, quam aliqui dicunt intrinsecam; alii verò eam accipiunt pro fundamento ad distinctionem formalem secundùm rationem: In hoc autem ultimo sensu à nemine negatur. His ita.

Dico 1. inter essentiâ divinâ & relationes non datur distinctio realis modalis.

227. Sit prima Conclusio contra Durandum. Inter essentiam, & divinas relationes admittenda non est distinctio realis modalis independenter ab intellectûs operatione. Probatur primò. Quia ex sententiâ Durandi sequitur, Personam divinam esse realiter compositam ex naturâ, & modo realiter distincto. Hoc autem est absurdum; cum opponatur divinæ simplicitati. Ergo. Major constat. Quia sicut ex sententiâ Gilberti sequitur compositio realis, entitativa quidem propter distinctionem realem entitativam; sic ex distinctione reali modali sequitur, contra Durandum compositio realis modalis in Deo.

228. Rei-

Negat Durandus: quia modus non habet esse

228. Respondet Durandus, non sequi inconveniens illud ex distinctione reali modali: quia ex re, & modo illius compositio realis non resultat, eò quod modus non habet esse, sed est ipse modus essendi per se, vel alteri non inhærendi. Quod explicat in modo inhærendi accidentis: nam licet accidens alteri inhæreat: modus tamen inhærendi non inhæret: aliàs modi daretur modus, & sic in infinitum. Ut autem ex re, & modo compositio resultaret, deberet modus inesse rei; cujus est modus. Quia ergo divina relatio differt ab essentiâ, ut modus à re; hinc fit, quod in divina Persona ex relatione & essentiâ non resultet compositio. Uerùm contra sic primò. Quia compositio aliud non est, quàm distinctorum unio. Ergo si modus à re, cujus est modus, realiter distinguitur, & ex illis aliud tertium resultat, dabitur compositio realis modalis. Secundò. Quia licet Durandi opinio sustineatur in creatis, asserendo, modum rei non esse rem (de quo latè in Metaphysicâ) in Deo tamen talis imperfectio adstruenda non est: sicut enim est imperfectio, quod relatio creata non sit substantia; sic etiam esset maxima imperfectio, quod relatio divina non esset ipsa divina substantia. Similiter sicut imperfectio est, quod modus rei creatæ non sit res, sic esset imperfectio, quod modus rei divinæ non sit res divina.

Iterùm suadetur assertio, quia cùm relatio divina sit entitas, vel est Deus vel creatura.

229. Probatur secundò. Omnis entitas aut est Deus, aut est creatura, saltem à parte rei: cùm *ens* ad minùs analogicè dividatur per creatum & increatum. Sed relatio divina est entitas. Ergo vel Deus, vel creatura. Secundum est contra fidem. Ergo relatio divina est entitas increata. Ergo aut non distinguitur actu ante operationem intellectûs ab essentiâ divinâ; aut si distinguitur, distinctio erit realis secundùm rem, & rem; quod est apertè contra fidem.

Rejicio Durandũ dicentẽ relationẽ divinam non esse rem, sed rei.

230. Respondet Durandus, Relationem divinam prout sic, non esse rem; sed rei: quia tota quidditas relationis divinæ, stat in eo, quod sit *alicujus*, vel *cujus*; non tamen ut *hoc*, vel *quod*: Concedit tamen, quoad rationem creati, vel increati judicandum esse de modo secundùm rem, cujus est modus: sic autem essentia divina cum omni suo modo, vel relatione est increata; & essentia creata cum omni suo modo est creata. Sed contra est primò. Quia modus, quo Deus intelligit, est ipse Deus realiter. Ergo modus relationis in Deo, vel quo refertur Deus ad intra, est realiter ipse Deus. Contra secundò, Quia modus rei præcisè, & qui non est ipsa res, nequit esse principium aliquid producendi. At, ut vidimus supra, juxta Durandum sola relatio est principium producendi in divinis. Ergo ad hominem contra ipsum relatio non potest realiter esse solùm purus modus rei divinæ, quin realiter sit ipsa res divina, vel divina essentia. Contra tertiò. Quia esse diminutivum, incompletum, & non entitativum, est maximè imperfectum. Sed cum ratione increati nulla imperfectio compati potest. Ergo. contra quartò. Quia eo ipso, quod relatio Paternitatis sit modus realiter à divinitate distinctus, & non sit ipsa divinitas, verè ab illâ dependet; cum eo ipso divinitati competat, non per identitatem; sed per resultantiam, cum reali tamen distinctione: quod ad veram distinctionem saltem modalem est sufficientissimum.

Dico 2. Inter essentiam divinam & relationes non est distinctio formalis ex natura rei.

231. Sit secunda conclusio. Inter essentiam divinam, & relationes non est distinctio formalis ex naturâ rei ante omnem operationem intellectûs. Ita nostri, omnesque Thomistæ. Probatur primò conclusio. Ex distinctione reali formali ex naturâ rei sequitur, Patrem divinum esse compositum actu reali formali compositione. At consequens est absurdum. Ergo. Sequela probatur. Compositio est distinctorum unio. Ergo sicut unio distinctorum realiter, est compositio realis, ita unio distinctorum actu formaliter ex naturâ rei, erit compositio formalis ex naturâ rei, At juxta Scotistarum sententiam datur in Patre unio paternitatis, & essentiæ, quæ distinguuntur distinctione reali formali. Ergo in Patre divino dabitur compositio.

Multipliciter confuto Adversarios ad compositionẽ realem necessariò requiri distinctionẽ realem entitativam.

232. Respondent Contrarii, ad compositionem necessariò requiri, quod extrema distinguantur distinctione reali entitativâ, eo quod extrema compositionis debeant inter se comparari per modum actûs, & potentiæ; hoc autem non contingit in his quæ solâ gaudent distinctione reali formali; ac proinde illa non sequitur compositio. Sed contra est primò. Æquè pugnat cum summâ simplicitate distinctio realis, ac compositio realis, Atqui non pugnat distinctio realis formalis cum summâ simplicitate in personâ Patris. Ergo neque compositio realis formalis: & si hæc pugnat, æquè & illa pugnabit. Contra est secundò, Quia definitio compositionis est distinctorum unio. Ergò compositio realis entitativa petet extrema entitativè distincta: compositio autem realis formalis ex naturâ rei exposcet distinctionem realem formalem extremorum. Consequentia patet. Quia à definitione ad definitum cum eodem addito, valet consequentia. Contra tertiò. Quia & comparatio extremorum per modum actûs, & potentiæ petitur ex conceptu compositionis, prout hæc abstrahit à compositione per se tali, aut per accidens tali; vel ex conceptu compositionis per se talis? Non primum; quia ens per accidens compositum continetur sub conceptu compositionis ut sic; & tamen extrema illius non se habent per modum actûs & potentiæ. Non secundum:

Quia

Quia compositio per se in hoc differt à compositione per accidens, quod in hâc extremâ non uniuntur per se in tertio, benè autem in illâ. Ergo hâc datâ unionis perfectate, etiamsi non comparentur ut actus, & potentia, resultabit compositio per se. Contra quartò. Ex partibus integralibus coalescit compositio integralis: ex subsistentiâ Verbi, humanâque naturâ componitur Christus Dominus. Et tamen in his compositionibus extrema non comparantur ut potentia & actus ut est, communis sententia. Ergo.

232. Quintò, Eò quod divina essentia distinguatur formaliter realiter à Paternitate, est realiter formaliter ab ipsâ terminabilis, indeque non est formaliter infinita: quod sic probo. Infinitas entitativa petit identitatem entitativam cum omni entitate, quæ in ipso conceptu imperfectionem non dicit; aliàs compararetur ut potentia. Ergo infinitas formalis ex naturâ rei petit identitatem formalem cum omni formalitate, quæ imperfectionem non dicit. Quod si divina essentia hanc identitatem non dicit cum Paternitate, nihil ei deficit, quominùs comparetur ut potentia ad formalitatem rationis. Contra sextò. Cùm Paternitate, & essentiâ, non solùm ut sunt unum; sed etiam ut formaliter actu distinctis constituitur Pater. Sed nõ ut unus formaliter per simplicitatem. Ergo ut unus per formalem compositionem. Consequentia probatur. Si distinguerentur entitativè, Pater constitutus non esset unus per simplicitatem; cùm comparentur ut actus & potentia: Cùm in tali casu minori unitate gauderent. Ergo idem, quod priùs, si distinguerentur formaliter.

2. Probatur evertendo Scotarũ fundamẽtum.

234. Probatur secundò conclusio. Nam fundamentum Scoti in eo stat, quod essentia communicatur actu Filio, & non Paternitas. Sed hæc ratio vel probat entitativam distinctionem inter essentiam, & Paternitatem; vel non probat formalem. Ergo. Probatur minor. Quia essentia communicatur Filio, & de illo negatur entitativè Paternitas; & non solùm formaliter; aliàs Pater & Filius non entitativè; sed solùm formaliter distinguerentur. Ergo si ex affirmatione & negatione distinctio colligeretur, colligi deberet non solùm formalis; Sed etiam entitativa distinctio. Explicatur hoc. Nam cõmunicari entitativè, & non cõmunicari entitativè, possunt verè affirmari de eâdem entitate ratione infinitatis repertæ in tali entitate, modo infra explicando. Ergo communicari formaliter, & formaliter non cõmunicari, poterunt etiam affirmari ratione infinitatis in eâdem formalitate repertæ.

Dico 3. Essentia divina, & relatio solâ distinguuntur ratione.

235. Sit tertia conclusio. Essentia divina, & relatio solâ ratione distinguuntur per intellectum. Sic omnes cum Divo Thomâ hìc & pluribus aliis in locis. Explicatur. Ex dictis constat, summam simplicitatem divinæ essentiæ, ac proindè cujuscumque Personæ, omnem distinctionem excludere, quæ possit dici vera, & propria distinctio actualis, & ante omnem intellectûs operationem, sive talis distinctio sit modalis, sive formalis, sive etiam virtualis: si hæc eo sensu accipiatur, ut ex parte Dei, ut est in se, attingatur divina relatio intrinsecè, & non attingatur intrinsecè divina essentia: quam distinctionem rejeci in Logicâ; quamvis in alio sensu sit admittenda; pro eo videlicet, quod infinita entitas divina eminenter præbeat fundamentum, ut per intellectum nostrum concipiatur essentia absque relatione, & è contra, juxta modum à nobis alibi explicatum. Illatione distinguuntur.

Probatur conclusio 1. ex S. Th. in 1. dist. 23.

236. Probatur primò conclusio ex Divo Thomâ in 1. distinct. 23. artic. 1. ubi sic habet in corpore: *Et ita dicendum, quod proprietates, & essentia sunt idem re, sed differunt ratione.* Et quæst. 8. artic. 2. sic ait: *Oportet ergo, Relationes secundùm rem esse divinam substantiam; quæ non habent tamen modum prædicandi substantiæ; sed habent alium modum prædicandi ab his, quæ substantialiter prædicantur in Deo.*

237. Probatur secundò ratione. Quia ea distinguuntur formaliter per intellectum, de quibus diversos formamus conceptus; ita ut in uno cognoscamus unum, & non aliud, & è contra. Sed intellectus noster format conceptum de Paternitate divinâ, in quo eam attingit cum oppositione ad Filium, quin in tali conceptu attingat divinam essentiam: similiter format conceptum de essentiâ divinâ, in quo eam attingit ut tribus Personis communem, quin in tali conceptu attingat aliquam relationem divinam. Ergo licet essentia divina, & relatio sint à parte rei omninò idem; tamen per intellectum ratione distinguuntur.

Rursùs quia Pater divinus habet à parte rei unum esse simplicissimum.

238. Probatur tertiò. Quia Pater Divinus à parte rei, & in se non habet nisi unum esse simplicissimum. Ergo à parte rei essentia, & Paternitas sunt hoc esse divinum. Sed quæ habent unum, & idem esse sunt unum, & non distincta. Ergo Paternitas & essentia ante intellectum nullo modo distinguuntur. Tunc sit. Sed essentia & Paternitas divina habent diversum esse, prout existunt, & concipiuntur à diversis conceptibus. Ergo prout in illis, distinguuntur, ac proinde solâ distinctione rationis.

LECTIO II.

Diluuntur argumenta contraria.

1. Quia ex entitate, & modo non resultat realis compositio : Humanitas enim si dimitteretur à Verbo, alium modum haberet, non aliâ compositionem.

239. ARguitur primò contra primam conclusionem. Ex entitate, & modo entitatis non resultat realis compositio. Ergo ex eo quod relatio realiter distinguatur ab essentiâ; modaliter tamen, nulla infertur compositio realis. Antecedens conatur exemplis probare Durandus. Si enim Humanitas Christi Domini dimitteretur à Verbo divino, alium modum haberet essendi, sed non haberet aliam compositionem. Ergò. Similiter unum tangens aliud, non est magis compositum, quàm si illud non tangeret: & tamen tangere, vel tangi est modus realiter differens ab utroque tangentium. Ergò. Ulteriùs. Omnis realis compositio est per hoc, quod unum alteri inhæreat. Sed modus non inhæret rei, cujus est modus. Ergò pariter in nostro casu.

Non arridet solutio Godoy

240. Aliqui, inter quos Illustrissimus Godoy disputat. 75. respondent, negando antecedens. Et ad probationem veritatis exemplum inficiantur. Nam si Humanitas dimitteretur à Verbo haberet componere personam creatam; cum anteà non creatam; sed divinam Personam componeret. Fundatur solutio in eo, quod putant, subsistentiam creatam esse aliquam entitatem positivam modalem, & realiter positivè à naturâ distinctam: quam sententiâ rejecimus in Metaphysicâ. Unde ad argumentum, distinguo antecedens: si modus sit aliqua entitas positiva, nego: si non sit positiva entitas, concedo antecedens: & nego consequētis suppositum: quod scilicet divina relatio sit modus: est enim realiter loquendo tam res, & substantia, ac est ipsa divina essentia; licet prout ratione distincta ab essentiâ, solùm explicetur per esse tantùm ad aliud; Re tamen ipsâ sicut relatio divina non est accidens, ita nec modus. Ad exemplum ex dictis in Metaphysicâ respondeo, quòd casu, quo Humanitas Christi Domini dimitteretur à Verbo, esset subsistens per se, & non per aliquid superadditum; sed ex eo solùm quòd nunc non existeret ut assumpta à Verbo: hoc enim est existere per se, & non per aliud. Unde natura creata dicitur per se subsistens eo, quòd per se existit, seu cum carentiâ essendi per aliud.

Persona autem Patris non natura divina cum carentiâ aliquâ.

241. At verò Persona Patris non est natura divina cum carentiâ aliquâ; nec Paternitas importat aliquod negativum: quia cùm relationes conducant ad processiones, & illarum principia constituant; hæc omnia non possunt salvari in modo essendi, qui importet aliquid negativum. Ad aliud exemplum dici potest, quod *tangens aliud*, est concretum accidentale ex tangente, & tacto resultans. Vel dic, quod quando duo corpora se tangunt, sibi invicem imprimunt species, ut experientia ostendit: nam statim ac manu attingo aquam, lapidem, &c. sentio per sensum tactûs; & sic jam datur aliqua realis compositio. Ad ultimum nego, solùm dari compositionem inter ea, quorum unum alteri inhæret, ut patet in Christo Domino ex Humanitate composito, & Personâ Verbi Divini; & tamen non inhæret Humanitas: & constat etiam in compositione continui, ubi pars quantitatis non inhæret alteri comparti.

Duo realiter distincta faciūt compositionem, si inter ea sit unio,

242. Arguitur secundò. Non omnis realis distinctio duorum facit compositionem: nam Paternitas, Filiatio, & Spiratio distinguuntur realiter inter se; & tamen nullam faciunt realem compositionem. Respondeo. Omnem realem duorum distinctionem facere compositionem, si inter ea sit unio; secùs autem si nulla sit. Attamen si relatio, & essentia distinguerentur, cùm ex illis resultet unum; scilicet Persona divina, resultaret compositio. Divinæ autem relationes cùm inter se non unianter ad constituendum unum, à quo distinguantur, inde est, quod nullam faciant realem compositionem, sed potiùs distinctionem; quia quælibet unitur ad distinctum suppositum constituendum.

Num S. Aug. 7. de Trin. c. 4. refragetur 2. conclusioni.

243. Arguitur tertiò pro Scoto contra secundam conclusionem, ex Sancto Augustino 7. de Trinitate cap. 4. sic dicente: *Patrem non eò Deum, quò Patrem, sed aliud esse Deum; aliud Patrem, vel Dominum esse.* Sed ut hoc verificetur, major distinctio requiritur, quàm virtualis, & rationis. Ergò datur inter Paternitatem, & essentiam distinctio realis formalis. Respondeo ex Divo Thomâ, quòd *esse* sumitur tripliciter: primò pro actu essentiæ; sicut dicitur, quòd *vivere*, sive anima viventibus est esse: in hoc autem sensu Pater non habet nisi unum esse indivisibile: & sic idem est esse Paternitatis, ac essentiæ. Secundò, sumitur *esse* pro ipsâ quidditate vel naturâ rei: sicut dicitur quod definitio est oratio significans, quid est *esse*: definitio enim quidditatem rei significat, sive esse quidditativum: in hoc autem sensu cùm alia sit ratio Paternitatis, quando definitur, & alia ratio essentiæ, dicitur quod aliud sit *esse* Paternitatis, & aliud *esse* essentiæ. Nam ut benè Divus Thomas, essentia, & Paternitas non uniuntur in *esse*, quod significat definitio rei: quia alia est ratio Paternitatis, quâ ad illud refertur, & alia est ratio essentiæ.

Mentem Augustini declaro.

244. Tertiò sumitur *esse*, prout significat veritatem compositionis in propositionibus, & secundùm quod ly *est* dicitur copula : & hoc *esse* est in intellectu componente, aut dividente per affirmationem, vel negationem, licet fundetur in esse rei, eò quod datur in eâdem re fundamentum ad veritatem plurium compositionum, in quibus sicut multiplicatur copula, multiplicatur etiam *esse*. Mens igitur Sancti Augustini non est, quod Paternitas re ipsâ aliud habeat *esse* distinctum ab *esse* essentiæ; sed solùm quod Pater diverso modo definitur in esse Patris, ac in esse Dei, eò quod alia est ratio Paternitatis, & alia est ratio divinæ essentiæ.

Opponitur, quæ definitione distinguuntur, differunt actu realiter formaliter.

245. Arguitur quartò. Eâ differunt distinctione actu reali formali, quæ distinguuntur definitione. At essentia, & relatio distinguuntur definitione : Ergo distinctione actu formali ex naturâ rei. Minor peobatur primò, nam essentia definitur ad se : relationes verò in ordine ad alia, Ergò definitio essentiæ distincta est à definitione relationum. Secundò, Relatio, & essentia, ut præscindunt à creato, & increato, differunt definitione, & consequenter distinctione actu formali. Sed ea, quæ essentialia sunt rationi communi Deo, & creaturis, in Deo etiam formaliter reperiuntur. Ergò essentia divina, & relatio differunt in Deo definitione, & ratione actu formali. Tertiò. Relatio nec est definitio essentiæ divinæ, neque est de illius definitione : similiter natura divina nec est definitio relationis neque de illius definitione. Ergò gaudent definitionibus ex æquo distinctis, & consequenter distinguuntur definitionibus.

Resp. Id esse verũ, si definitio si de illis prout sunt in se.

246. Respondeo distinguendo majorem : quæ distinguuntur definitione, si hæc detur de illis, prout sunt in re, concedo : si detur de illis, non prout sunt in se ; sed quatenùs per distinctos conceptus percipiuntur ab intellectu imperfectè cognoscente ; nego majorem : & sub eâdem distinctione minoris, nego consequentiam. Cùm igitur essentia, & relatio divina definiantur à nobis, prout eas cognoscimus in diversis conceptibus ; diversitas definitionum de illis solùm arguit distinctionem actualem per intellectum, quam libenter concedimus : at nullo modo distinctionem actu formalem, vel aliquam aliam actualem à parte rei,

Essentia autem & relatio in re sunt unica & indivisa perfectio.

247. Ad primam probationem dic, n te cedens esse verum : ex eo tamen solùm infertur, quod essentia, & relatio in re sint unica, & indivisa perfectio, quæ, quia infinita est, continet rationem essentiæ, & rationem relationis ; non quidem actu distinctas, licet à nobis definibiles per diversas definitiones, prout diversis conceptibus cognoscuntur. Ad secundam nego essentiam, & relationem sub illâ præcisione semper diversis definitionibus definiri ; quia semper assumuntur in diversis conceptibus : ex hoc autem solùm infertur, quod quando definiuntur substantia, & relatio in creatis, cùm sint diversa prædicamenta, intercedat inter illa realis distinctio, saltem in sententiâ distinguente relationem à fundamento : secùs autem in Deo, qui juxta dicta in Metaphysicâ, cùm non sit in genere substantiæ ; sed supra omne genus, continet absque distinctione actuali omne genus distinctionis. Ad tertiam concedo antecedens de relatione, & essentiâ, prout his tantùm nominibus significantur, & seorsim distinctis conceptibus attinguntur à nobis: non tamen de illis, prout in se sunt ; quia prout sic nullam actualem distinctionem admittunt.

Vel Pater se intelligens intelligit essentiam & Paternitatem ut diversa objecta, vel ut idem.

248. Arguitur quintò. Pater cùm se intelligit, aut intelligit essentiam, & Paternitatem ut diversa objecta, vel ut idem objectum, licet sub alio, & alio modo nostro concipiendi ? Si primum essentia, & Paternitas distinguuntur realiter formaliter : cùm Patris intellectio terminetur intuitivè ad illa objecta, prout in se sunt. Ii secundum. Ergò non est major differentia inter essentiam, & relationem, quàm inter Deum, & Deitatem: quod est absurdum. Consequentia patet. Nam Pater concipit Deum, & Deitatem ut idem objectum in re, licet distinctum sub alio, & alio nostro concipiendi modo. Ergò si non aliter concipit essentiam, & Paternitatem, non plus distinguuntur, quàm Deus, & Deitas.

Respondeo illas intelligere ut idé.

249. Respondeo primam partem dilemmatis esse falsam ; secundam autem esse veram. Et distinguo consequens. Non est major differentia rationis, & per intellectum, nego : non est major differentia actualis formalis, concedo consequentiam. Quia differentia actu formalis ex parte Dei nulla est in utroque casu : dicitur verò, quod sit major differentia rationis : quia relatio, & essentia, vel potiùs entitas, quæ est utrumque, majus fundamentum præbet distinguendi per intellectum, quàm Deus & Deitas : cùm videamus ab entitate, quæ est essentia, & relatio, diversos effectus, ac diversa præstari munera, quæ nullo modo à Deo, & Deitate præstantur : non enim valet : *Deus communicatur, & Deitas non cõmunicatur* : valet tamen *essentia communicatur : Paternitas autem non communicatur* : quare dicitur ex hoc fundamento, quod sit major distinctio per intellectum inter Deum, & Paternitatem, quàm inter Deum, & Deitatem.

250. Argui-

Itẽ opponitur, de essẽtiâ, & relationibus cõtradictoria verificari.

250. Arguitur quintò. Duo prædicata contradictoria non possunt verificari de uno, & eodem absque distinctione actuali, operatione intellectûs seclusâ. Sed duo prædicata contradictoria verificantur de essentiâ, & divinis relationibus. Ergo ante intellectum distinguuntur. Minor probatur. Nam de essentiâ prædicatur, quod sit communicabilis; de relationibus verò, quod sint incommunicabiles. Major verò probatur. Quia si duo prædicata contradictoria de uno, & eodem sine distinctione actuali, secluso opere intellectûs, verificarentur simul, simul etiam verificaretur, idem realiter esse, & non esse; quod est plusquam falsum, & impossibile.

Cõmunẽ solutionẽ propono.

251. Huic argumento solet esse communis solutio, illa posse prædicata salvari, quæ dicuntur contradictoria, per solam distinctionem virtualem: Quæ distinctio, ut dixi, si accipiatur pro eminentiâ perfectionis divinæ; quæ, quia infinita est, eos præstat effectus absque ullâ distinctione actuali, ab omnibus est admittenda; si verò accipiatur pro eo, quod intrinsecè ex parte Dei sit alia, & alia formalitas actu cum aliquâ verâ, & propriâ distinctione, quocumque nomine baptizetur, est omninò rejicienda.

Igitur illa prædicata quæ vidẽtur cõtradictoria, salvari absq; ulla distinctione intrinsecâ actuali reali.

252. Ad argumentum igitur respondeo, quod essentiam divinam realiter communicari, & Paternitatem realiter non communicari, salvantur absque ullâ actuali distinctione à parte rei inter essentiam, & relationem; quin tale simile inveniatur in creaturis; & hoc propter infinitatem perfectissimam divinæ simplicitatis: Quod quidem ita oportet, propter eandem infinitatem salvari absque ullâ distinctione sive modali, sive formali ex naturâ rei; cum divina essentia non solùm realiter; sed etiam formaliter ex naturâ rei sit infinita, & illimitata.

Replicatur. Essẽtia divina negatur de Paternitate v. g. secundùm quod constituta per aliquod esse actuale reale ante operationem intellectûs. Ergo ante operationem intellectûs distinguitur ab illâ saltem realiter formaliter. Consequentia patet. Nam eo modo unum ab alio distinguitur, quo potest negari de illo; & ècontrà eo modo, quo cum illo identificatur, potest affirmari de illo. Ergo si essentia ut constituta per aliquod esse reale, negatur de relatione ante omnem operationem intellectûs, per illud distinguetur ab illâ, & consequenter aliquomodo realiter. Antecedens verò primum probatur. Essentia divina constituitur in aliquo esse reali per aptitudinem, ut identificetur cum tribus Personis, sive ut actu illis communicetur. Sed ut sic constituta negatur de Paternitate v. g. ante omnem operationem intellectûs. Ergo negatur de illâ essentiâ ut constitutâ, &c. Minor probatur. De quocumque negatur constitutivum, negatur constitutum per ipsum. Sed de Paternitate negatur aptitudo, ut identificetur tribus Personis, ante operationem intellectûs, ut est certum. Tum quia de illâ negatur actualis identitas cum tribus Personis, & consequenter etiam aptitudo. Tum quia distinguitur realiter ab aliis Personis, & consequenter ei repugnat aptitudo, ut identificetur cum illis. Ergo etiam negatur de Paternitate essentia prout constituta per talem aptitudinem in aliquo esse reali ante omnem operationem intellectûs.

In hâc replicâ fundantur Gilbertus Scotus, atque Durandus.

254. Ad hujusmodi replicam reducitur tota efficacia, & vis rationis desumpta ex veritate duarum propositionum sibi invicem contradicentium; quâ utuntur Gilbertus, ut probet entitativam realem distinctionem; Durandus, ut probet distinctionem realem modalem; Scotus verò, ut suam distinctionem ex naturâ rei suadeat. Et quidem replicâ vel convincit distinctionem entitativam assertam à Gilberto, vel nihil convincit. Unde cum Durandus, & Scotus Catholicè fateantur, argumentum factum, ineptum esse omninò ad probandam distinctionem entitativam; necesse est, ut illius inefficaciam ad suas distinctiones actuales suadendas, omninò recognoscant.

Viatores loquimur de essẽtiâ & Paternitate, prout diversis cõceptibus attinguntur.

255. Ante solutionem nota, nos loqui de essentiâ, & Paternitate, prout à nobis viatoribus in diversis conceptibus concipiuntur: Unde hæc nomina *Essentia*, & *Paternitas* significant rationem quidditativam essentiæ, & rationem quidditativam Paternitatis: Quæ rationes sunt duæ, & multiplicatæ saltem prout in nostris conceptibus; de quibus ut sic cognitis verificamus ea prædicata, prædicando de unâ, quod de aliâ non prædicamus; quia cum sint distinctæ rationes, oportet, de diversis diversa prædicari: Cum hoc tamen optimè componitur, quod ea, quæ sic prædicantur, conveniant uni, & eidem entitati secundùm rem: Nam ut aliquid affirmetur de uno, & negetur de alio, quatenùs per rationem distinctis, sufficit distinctio rationis cum identitate rei, ut docuit S. Thomas in hoc eodem puncto quæst. 8. de Potentiâ, artic. 2. ad 7. his verbis: *Sicut dicit Philosophus 3. Physicorum, non opus est, quod omnia ea prædicentur quomodolibet de eisdem; sed solùm de eisdem secundùm rationem; essentia autem divina, & Paternitas, etsi sint idem re, non sunt idem ratione; & ideò non oportet, quod quidquid prædicatur de uno, prædicetur de alio.*

Sic autem Paternitas, ut per huic conceptū significata, non est à parte rei.

256. Unde ad replicam nego antecedens. Ad probationem nego etiam minorem. Ad primam illius probationem dic, assumi falsum; scilicèt Paternitatem sub istâ ratione accipi secundùm rem, prout est à parte rei: Nam à parte rei non est nisi unica entitas, quæ est Paternitas, & simul essentia absque ullâ distinctione utriusque à parte rei, licèt secundùm rationem distinguantur; & sic de entitate, quæ est Paternitas, non negatur actualis identitas cum tribus Personis, nec illa aptitudo. Ad secundam dic, Paternitatem, prout est in re, distingui etiam à tribus Personis; ex hoc autem non sequi, quod entitati, quæ est Paternitas, prout est in re, repugnet identificari cum tribus Personis: Quia eadem indivisibilis entitas in re identificatur cum tribus Personis; & simul habet rationem, quâ realiter distinguatur; nimirùm quod sit Paternitas, aut relatio.

Cū perfectio divina propter sui infinitatem est absoluta, & relativa; ea dē Patris entitas est idem cum Filio, & realiter ab illo distinguitur

257. Instabis primò. Quod est in re, secundùm quod est idem, identificatur cum alio, & simul realiter ab illo distinguitur. Atqui hoc implicat. Ergo. Respondeo, quod si entitas sit omninò eadem tam secundùm rem, quàm secundùm rationem; non potest hoc contingere; secùs autem, si non sit eadem secundùm rem, & divisibilis secundùm rationem. Et distinguo minorem: Hoc est impossibile in formâ finitâ, concedo: In infinitâ, nego minorem. Ratio est. Quia sicut ab omnibus Catholicis est concedendum, quod divina perfectio propter sui infinitatem est simul indivisibiliter entitativè absoluta, & relativa; consequentur est concedendum, quod eadem entitas Patris sit idem cum Filio, & etiam realiter distinguatur à Filio; quia hæc entitas tota est Paternitas, & sic distinguitur à Filio; & eadem tota est essentia, & sic identificatur cum Filio. Et quia hoc ita contingit in re sine actuali distinctione inter Paternitatem, & essentiam, habemus fundamentum, ut distinguamus actu per intellectum rationem essentiæ, & rationem Paternitatis; verèque affirmemus, entitatem Patris secundùm rationem essentiæ esse in Filio, & secundùm rationem Paternitatis non esse in Filio. Unde non sequitur, quod in entitate Patris sit alia, & alia ratio à parte rei; sed quod intellectus utramque rationem, quam cum distinctione apprehendit, eidem entitati Patris absque distinctione actuali attribuatur, quod essentiam divinam Filio communicet, non communicatâ Paternitate. Unde solùm evincitur, quod eadem entitas, quâ Paternitas est, distinguitur à Filio; & quâ essentia est, identificatur cum Filio.

258. Instabis secundò. Paternitas, & essentia sunt idem secundùm rem. Ergo habent unum, & idem esse reale. Tunc sic. Sed idem esse reale est in Filio. Ergo & idem esse reale Paternitatis erit in Filio. Atqui ubi est esse reale Paternitatis, est realiter Paternitas. Ergo in Filio erit realiter Paternitas. Tunc sic. Quod habet esse reale Paternitatis, habet esse Pater. Ergo si in Filio realiter est esse Paternitatis, Filius habet esse realiter Paternitatis, consequenter Filius habebit esse Pater. Concedo primum enthymemma, minorem etiam subsumptam, & consequentiam; nego tamen, quod ubi est esse Paternitatis præcisè, sit Paternitas; quia solùm est Paternitas, ubi est esse Paternitatis secundùm rationem Paternitatis, & essentiæ: In Filio autem solùm est esse Paternitatis secundùm rationem essentiæ; non verò secundùm rationem Paternitatis; sic ergo non urget fallacia, quam contendit argumentum.

259. Dices. Ratio Paternitatis, & ratio essentiæ habent unum, & idem esse, ac proinde sunt unum, & idem esse. Sed esse Paternitatis est in Filio secundùm rationem essentiæ. Ergo esse Paternitatis erit in Filio secundùm rationem Paternitatis. Distinguo majorem. Ratio Paternitatis, & ratio essentiæ habent unum, & idem esse existentiæ, & secundùm rem, concedo; habent unum, & idem esse secundùm rationem, sive esse quidditativum, nego majorem. Unde licèt Paternitas, & essentia sint idem secundùm rem, & habeant unum, & idem esse; tamen ratio Paternitatis, & ratio essentiæ non sunt idem quidditativè, habentque diversum esse quoad *quid est*; ideſt, quantùm ad quidditatem, quæ per definitionem explicatur: Quæ diversitas sufficiens est, ut licèt idem esse reale sit in Filio; non tamen sit, secundùm quod est Paternitas, nec secundùm istam rationem. Stat enim optimè, ut dictum est, quod eadem entitas habeat, quo sit Filius, & simul quo distinguatur realiter à Filio, quando talis entitas propter sui infinitatem in eodem & indivisibili esse reali habet, quod absoluta simul, & relativa sit; quia tunc propter hanc eminentiam habet, quod simul identificetur realiter, & simul realiter distinguatur. Hoc autem nullatenùs contingeret, nisi duæ illæ rationes, quæ per intellectum actu sunt distinctæ, corresponderent eidem entitati indivisibili. Unde si entitas esset talis, quod non posset dividi secundùm illas rationes Paternitatis, & essentiæ, nullo etiam modo haberet, quo simul realiter identificaretur cum aliquo, & simul realiter ab illo distingueretur.

Licèt ergo Paternitas, & essentia habeant idem esse existētiæ, & 2. rem; nō autem 2. rationē

260. Ar-

Septē rationibus Adversarii contra nos insurgunt.

260. Arguitur septimò. Primò. Quia identitas realis unius cum alio, dicit negationem realis distinctionis ab illo. At Paternitas realiter à Filiatione distinguitur. Ergo non identificatur cum illâ realiter. Secundò. Quia benè valet; Paternitas prout in re est incommunicabilis realiter Filio; & Paternitas prout in re est essentia. Ergo non est communicabilis Filio. Patet consequentia. Quia argumentum valet ab affirmativo ad negativum, variato prædicato penès finitum, & infinitum. Tertiò. Non minùs opponuntur termini contradictorii, quàm extrema relativè opposita; cum oppositio contradictoria sit omnium maxima. At si de naturâ sub conceptu essentiæ verificaretur, quod est extremum relativè cum Paternitate oppositum, non posset prout sic cum Paternitate identificari. Ergo cum verè affirmetur de illâ, quod sit communicabilis; & de Paternitate, quod sit incommunicabilis, qui sunt termini contradictorii, non potest omninò realiter identificari cum illâ.

261. Quartò. Nam ex dictis sequitur, verè affirmari de essentiâ, quod sit ratio distinguendi Patrem à Filio; quod ab illâ realiter distinguatur; ac denique quod relativè cum Filio opponatur; cum hæc omnia de Paternitate verè affirmentur. Consequens autem videtur absurdum. Ergo. Quintò. Si essentia communicaretur intuitivè intellectui beati, & non communicaretur intuitivè Paternitas eidem intellectui; argueretur inter essentiam, & Paternitatem actualis, & realis distinctio, vel saltem actualis formalis ex naturâ rei; ut ex Tractatu de Visione colligunt plures Theologi. Ergo essentiam communicari Filio sub aliquâ ratione, & Paternitatem sub aliquâ ratione non communicari Filio, arguere debet distinctionem saltem formalem ex natura rei. Sextò. Id, quod facit distinctionem in divinis, non est idem cum eo, quod non distinguit, nec distinguitur. Sed relatio in divinis distinguit; essentia autem non distinguit, nec distinguitur. Ergo non sunt idem. Septimò. Idem per suam essentiam non potest esse principium contrariorum. Sed distinctio, cujus est principium relatio, in divinis opponitur unitati, cujus est principium essentia. Ergo relatio, & essentia non sunt idem. Hæc tamen omnia vel probant entitativam distinctionem, vel nihil convincunt.

Ad 1. dico, identitatē realē entis finiti excludere distinctionē realem.

262. Ad primum distinguo majorem: Si identitas sit alicujus formæ, sive entitatis finitæ, & limitatæ, concedo; si sit entitatis infinitæ, continentis perfectissimè rationem absoluti, & relativi, nego majorem. Unde cum eadem entitas divina sit simul absque ullâ compositione, aut distinctione actuali, essentia simul, & Paternitas; absoluta, & relativa; eadem communicatur, & eadem distinguitur; numquàm tamen est concedendum, quod realiter non communicetur, neque quod realiter non distinguatur independenter ab omni operatione intellectûs: Quia cum negationes sint malignantis naturæ, destruunt, quidquid de tali entitate verè potest affirmari, & affirmatur.

Ad 2. argumētationem nō esse bonā ab affirmativa de prædicato infinito ad negativam.

263. Ad secundum respondeo, argumentationem illam non valere; quia facit hunc sensum. *Res, quæ est Paternitas, sub aliquâ ratione non communicatur. Ergo sub nullâ ratione communicatur.* In quâ antecedens est verum, & consequens falsum; nec argumentatio est bona ab affirmativâ de prædicato infinito ad negativam; ut si dicas: *Res, quæ est Paternitas, est incommunicabilis, seu non communicabilis. Ergo res, quæ est Paternitas, non est communicabilis.* Ratio est. Quia tunc arguitur à termino non distributo ad distributum; in quo modo arguendi incidit fallacia, quæ potest hoc exemplo declarari: *In mari sunt non pisces: Ergo in mari non sunt pisces*: Non valet consequentia. Quia negatio infinitanter sumpta in antecedenti, non distribuitur pro omnibus, quæ sunt in mari; benè verò in consequenti; quarè in antecedenti habet hunc sensum: *Est aliquid in mari, quod non sit piscis*: Et in consequenti significat, nihil esse in mari, quod sit piscis. Eadem omninò fallacia in præsenti deprehenditur; nam cum dicitur: *Res, quæ est Paternitas, est incommunicabilis, vel non communicabilis à parte rei*; negatio infinitanter sumpta, non distribuit entitatem divinam quoad omnia, quæ eminenter dicit, vel declarat, vel quibus æquivalet; aliàs propositio esset falsa. Cum verò dicitur, quod entitas, quæ est Paternitas, non est communicabilis; negatio sumpta neganter distribuit entitatem divinam quoad omnia, quæ eminenter dicit; facitque hunc sensum: Quod scilicèt res, aut entitas, quæ est Paternitas secundùm nullam rationem est communicabilis; qui sensus, ut dictum est, est falsus omninò.

Ad 3. dico, de terminis, qui cū cōtradictorii appareāt, verè cōponūtur, veram nō esse.

264. Ad tertium respondeo, datâ majori de terminis verè contradictoriis, & qui nullo modo salvantur cum veritate; secùs autem de illis, qui cum veritate componuntur; ut contingit in proposito propter eminentiam infinitæ perfectionis. Ratio autem, quarè possit eidem entitati divinæ convenire, quod identificetur cum Filio, & simul distinguatur ab illo; non autem possit convenire eidem entitati duplex ratio, quarum quælibet alteri relativè

opponatur; videtur esse. Tum quia relationis oppositio in divinis salvari nequit absque processione reali unius ab alio. Hoc autem absque distinctione reali salvari non potest; cum non possit idem à se ipso procedere. Ergo. Addiderim, quod vel ipsi Adversarii fateri tenentur; nam ipsi de eâdem entitate Paternitatis, & essentiæ verificant illas propositiones contradictorias; & nihilominùs salvare non possent, quod essentia opponeretur relativè Paternitati, & ècontrà, absque distinctione reali entitativâ.

Ad 4. nego sequelam.

265. Ad quartum nego sequelam. Quia de essentia, ut significatur hoc nomine, nunquàm prædicatur, quod prædicatur de Paternitate hoc nomine significatâ: Quia hæc nomina significant diversas rationes actu distinctas; ac proinde quod prædicatur de unâ, non prædicatur de aliâ; quia de distinctis distincta prædicantur. De entitate verò, cui utraque ratio absque distinctione tribuitur, jam est dictum, qualiter loquendum sit. Ad quintum, concesso antecedenti, nego consequentiam. De quo duplex ratio potest assignari. Prima est; quod entitas divina communicetur sub unâ ratione, & non communicetur sub aliâ; sed distinguatur; provenit ex oppositione, quam secundùm unam rationem dicit entitas Patris cum Filio; at verò cum intellectu beati sub nullâ ratione entitas divina dicit oppositionem; & sic ex communicatione sub unâ ratione, & non communicatione sub aliâ, sequeretur distinctio rei à re, eò quòd visio intuitiva attingat rem, secundùm quod actu in se est. Secunda est. Quia natura & Paternitas terminant visionem, & intuitionem divinam sub eâdem ratione objecti intelligibilis; & sic non est, unde videatur una, & non alia; sicut non est, unde terminus ad intra productus, realiter proveniat ab essentiâ, & non à Paternitate; eò quòd sub nullâ ratione dicat oppositionem entitas divina cum productione termini creati.

Ad 5. nego paritatem.

Ad 6. & 7. respondeo.

266. Ad sextum respondeo, quod illud, quod facit distinctionem in divinis, potest componi cum eo, quod nec distinguit, nec distinguitur, dummodò non sit idem ratione, licèt sit idem secundùm rem. Ad septimum respondeo, quod unitas essentiæ non opponitur distinctioni relationum: Unde non sequitur, quod relatio, & essentia sint causæ oppositorum. Ratio est. Quia absque ullâ oppositione inter essentiam, & relationes, Deus est unus, & trinus.

LECTIO III.

An sit alius modus, quo possint contradictoria in divinis salvari?

Qui sit difficultatis Scopus:

267. DUbium hoc incidens est post impugnationem Durandi, & Scoti; in quo non alium Scopum præfigimus, nisi quod discutiamus, an stando doctrinæ Divi Thomæ absque eo, quod confugiamus ad ullam distinctionem virtualem; nec ad distinctionem penes nostros conceptus, à parte rei possint salvari propositiones istæ: *Paternitas realiter non communicatur Filio: Paternitas realiter distinguitur à Filio: Essentia divina realiter non distinguitur à Filio*; & alia id generis: Cum tamen ut Fide certum statuamus, Paternitatem, & essentiam divinam secundùm rem esse omninò idem actu. Pro cujus solutione.

In eâdem indivisibili Patris entitate datur formaliter Paternitas, & essentia divina.

268. Nota primò in eâdem indivisibili entitate Patris dari formaliter Paternitatem, & etiam formaliter essentiam divinam; & hoc omninò à parte rei. *Ratio* videtur indubitabilis. Quia prima Persona Trinitatis est formaliter Pater, & est formaliter Deus independenter ab omni operatione intellectûs nostri. Sed prima Persona Paternitate est formaliter Pater, & essentiâ divinâ, seu Deitate est formaliter Deus. Ergo in eâdem simplicissimâ entitate divini Patris est formaliter Paternitas, & est formaliter essentia divina.

Quæ dicatur esse unum, & idem actu 2. rem?

269. Nota secundò ea dici esse unum actu, & idem secundùm rem, quæ à parte rei indivisibiliter habent unum; & idem esse actualitatis, & existentiæ; sicut ea dicuntur distingui secundùm rem, quæ diversum esse, diversamque existentiam accipiunt. Ratio est. Quia quæ eâdem actualitate gaudent, non possunt dici actu distincta, nec distinctæ res actu. Similiter quæ distinctis actualitatibus existunt, non possunt dici, quod actu sint idem secundùm rem; cum igitur licèt Paternitas, & essentia divina sint formaliter in entitate Patris, ac unâ, & indivisibili actualitate divinæ existentiæ gaudeant; ideò Catholicè dicimus, essentiam, & Paternitatem esse unum, & idem actu secundùm rem.

Juxta Aristotelicum tripliciter usurpatum *esse*.

270. Nota tertiò ex Divi Thomæ doctrinâ, tribus modis accipi hoc, quod vocamus *esse*. Primò sumitur *esse* pro ipsâ quidditate, & naturâ rei; quod esse dicitur quidditativum, & significatur per definitionem; ut cum quærimus, quid est homo?

homo? Et respondetur: *Animal rationale.* Secundò sumitur *esse* pro actu essentiæ, quem actum communiter nomine existentiæ significamus, eò quòd dicimus, rem actu esse, & existere à parte rei; à cujus unitate, & multiplicitate dicitur, quod res sit una actu, vel multiplex actu. Tertiò modo accipitur *esse* pro eo, quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundùm quod *est* dicitur copula; & hoc *esse* quantum ad affirmationem, vel negationem datur in intellectu componente unum prædicatum cum alio, aut dividente unum ab alio. Ita expresè S. Thomas quæst. 1. distinct. 33. artic. 1. ad primam. Nec per hoc negamus, res habere esse intentionale, sive in intellectu, nisi per affirmationem, & negationem; cum constet ex dictis, quod quando rem in aliquo conceptu apprehendimus, ea existat intentionaliter in tali conceptu, & habeat esse intentionale.

Quod importatur in definitione rei, est in ipsâ formaliter.

271. Nota quartò quod licèt sit verum, nos pro hoc statu non posse res definire, nisi eas accipiamus in diversis conceptibus, quando præsertim per diversas definitiones declaramus ea, quæ secundùm rem sunt unum, & idem actu à parte rei; per hoc tamen non tollitur, quin illud, quod importatur per definitionem, sit verè, propriè, & formaliter in re ipsâ; licèt in ipsa neque sit definitio, nec quiditas importata sit secundùm modum, qui est in conceptu, qui dicitur definitio. Do exemplum, cum quærimus, quid est Petrus secundùm suam essentiam? Et respondemus per definitionem hominis, quod est animal rationale; non possumus negare, quod verè, propriè, & formaliter in Petro, prout existit à parte rei, sit animal rationale; licèt nunquàm sit concedendum, quod in Petro sit definitio à parte rei, vel quod Petrus sit definitio.

Dupliciter potest accipi *ratio.*

272. Nota quintò quod *ratio* accipi potest in duplici sensu. Primò prout *ratio* significat id, quod est in intellectu, in quo sensu tantùm valet *ratio*, ac ipse actus rationis, vel conceptûs, sive hic sit definitio, sive argumentatio, &c. Secundò sumitur *ratio*, prout est nomen intentionis, secundùm quod significat definitionem rei, prout *ratio* est definitio. Dicitur enim nomen intentionis; quia cum definitio ut talis sit conceptus, & juxtà dicta in cursu Philosophico, conceptus dicatur intentio; ex quo ortum habuit, ut res, quas in conceptibus apprehendimus, dicamus, habere esse intentionale: Inde est, quod nomen impositum ad significandam immediatè rem, quæ immediatè solùm cognoscitur à nobis in aliquo conceptu; dicatur ratio, & dicatur intentio; quia utrumque habet conceptus. Vel quod verius est, dicitur nomen intentionis; quia impositum est ex intentione significandi id, quod apprehendimus in conceptu definiente, juxtà illud, quod communiter dicitur; voces scilicèt esse impositas ex intentione liberâ aliquid significandi.

Illa ratio nis usurpatio expresè traditur à S. Thoma ubi nuper ad 3.

273. Hæc est expressa Divi Thomæ doctrina loco citato ad 3. ubi ait: *Sciendum est autem, quod ratio sumitur dupliciter; quandoq; enim ratio dicitur, quod est in ratiocinante; scilicèt ipse actus rationis, vel potentiæ, quæ est ratio; quandoq; enim ratio est nomen intentionis, sive secundùm quod significat definitionem rei, prout ratio est definitio. Dico igitur, quod cum dicitur, quod est alia ratio Paternitatis, & essentiæ in divinis; non accipitur ratio, prout est in ratiocinante tantùm; sed secundùm quod est nomen intentionis, & significat definitionem rei; quamvis enim in divinis non ponat esse definitio, nec genus, nec differentia, nec compositio: Tamen si intelligatur ibi, aliquid definiri, alia erit definitio Paternitatis, & alia erit definitio essentiæ. In omnibus autem intentionibus hoc communiter verum est, quod intentiones ipsæ non sunt in re; sed in animâ tantùm; sed habent aliquid in re respondens, scilicèt naturam.* Et Paulò infrà: *Et ita ipsa ratio, quam dicimus aliam, & aliam in divinis, non est in re; sed in re aliquid respondens ei, in quo fundatur; scilicèt veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur: Unde possunt rationes diversæ illi convenire; & ideò non sequitur, quod Deus sit rationes illæ; sed quod sit tantùm habens eas; sicut non possumus dicere, quod Deus sit nomen, quamvis nomen habeat; sed quod Deus est bonitas; quia bonitatem habet; similiter etiam Paternitas, quia Paternitatem habet; sed non sequitur, quod sit ratio, quia rationem habeat.* Hinc.

Essētia, & Paternitas, sumitur primò prout eas seorsim actu distinctis conceptibus apprehendimus.

274. Nota sextò independenter ab omni operatione intellectûs, ut dictum est, in eâdem entitate simplicissimâ Patris esse Paternitatem, & esse essentiam ita, ut verissimum sit, quod Pater sit Paternitas; & sic etiam essentia divina sit: Sed quia in modo explicandi hoc Mysterium, potest esse maxima æquivocatio; explanandum est, quotupliciter sumantur essentia, & Paternitas. Primò igitur accipiuntur essentia, & Paternitas, prout eas actu seorsim in distinctis conceptibus apprehendimus: Qui modus accipiendi est nobis omninò necessarius pro hoc statu, in quo non attingimus intuitivè Paternitatem, & essentiam, ut sunt in se, nec secundùm modum, quo sunt in Deo; sed solùm prout existunt in nostris conceptibus. Unde in hoc sensu verum est dicere, Paternitatem distingui actu per intellectum ab essentiâ; vel, ut alii dicunt, quod Paternitas ratione distinguitur actu ab essentiâ. Ratio est. Quia cum Paternitas cognoscatur in alio

concep-

conceptu ab eo, inquo attingitur essentia, diversũ esse intentionale habet in hoc suo cõceptu, ac in proprio suo habet essentia: quare sicut ea, quæ à parte rei, & secundùm rem habent diversum esse, dicuntur actu distincta secundùm rem: sic ea, quæ habent diversum esse secundùm intellectum, dicuntur actu distincta per intellectum, sive per hunc ratione actu distincta.

2. sumuntur quidditativè.

275. Secundò. Si de Paternitate, quam in suo peculiari conceptu cognoscis, quæras, quid sit Paternitas? Respondebis mentaliter: Paternitas est respectus realis ad Filium, & in hoc conceptu, qui dicitur definitio, attingit clarè esse quidditativum Paternitatis. Pari modo si quæras, quid est essentia divina? Respondebis, quod est essentia infinita communis tribus Personis. Adverte tamen, quod cuilibet ex his definitionibus respondet aliquid in re, sive in entitate actu simplicissimâ & indivisibili Patris: nam uni correspondet natura Paternitatis, sive esse quidditativum illius: alteri verò natura essentiæ, sive esse quidditativum illius.

3. prout significantur nominibus magis vel minùs expressivis

276. Tertiò. Ex intentione significandi Paternitatem cognitam in conceptu definiti, assignamus hoc nomen; scilicet *Paternitas*: & ex intentione significandi Paternitatem clarè cognitam in conceptu definitionis, assignamus hæc nomina magis explicativa; scilicet *relatio*, aut *respectus realis ad Filium*, & idem de nominibus significantibus divinam essentiam. Hinc est quod nomen *Paternitas* (& sic de aliis) juxta Divum Thomam dicatur etiam *ratio*, & significet primariò & immediatè quidditatem, seu esse quidditativum Paternitatis, quod est à parte rei in ipsâ Patris entitate: ac proinde huic nomini *Essentia* correspondet à parte rei quidditas divinæ essentiæ: & huic nomini *Paternitas* correspondet à parte rei quidditas relationis.

4. sumuntur 2. esse essentiæ, & 2. actualitatem existentiæ

277. Quartò. Infertur ex dictis, Paternitatem, & essentiam, quæ re ipsâ formaliter reperiuntur in entitate divinâ, posse dupliciter accipi: primò secundùm esse quidditativum: secundò, secundùm esse essentiæ, sive secundùm actualitatem existentiæ. Si hoc secundo modo accipiantur, dicuntur esse idem actu secundùm rem: quia in hoc sensu Paternitas, & essentia non sunt nisi una indivisibilis actualitas divina: non enim est alia actualitas Paternitatis, & alia actualitas essentiæ divinæ. Si verò primo modo accipiantur, tunc huic nomini *Paternitas* correspondet à parte rei in ipsâ entitate Patris esse quidditativum formaliter, quod nullo modo ex parte entitatis divinæ correspondet huic nomini *Essentia*. Ratio est. Quia quod significatur hoc nomine *Paternitas*, est respectus realis ad Filium: talis autem respectus, nõpotestnegari, quod sit realiter formaliter in entitate Patris. Similiter huic nomini *Essentia* respondet à parte rei esse quidditativum essentiæ, quod nullo modo correspondet ex parte entitatis divinæ huic nomini *Paternitas*, Ratio etiam est. Quia quod significatur hoc nomine *Essentia*, est essentia divina, & communis: talis autem perfectio, negari non potest, quin à parte rei formaliter sit in ipsâ Patris entitate.

Quid velit S. Thom. dicens Paternitatẽ & essentiã esse idem secundùm rem; differre tamẽ ratione;

278. Hinc colliges, quid velit Sanctus Thomas, cùm passim dicat: *Paternitas* scilicet *& essentia sunt idem secundùm rem: differunt tamen ratione*, Mens igitur Sancti Doctoris non est quod Paternitas prout est in suo conceptu, distinguatur ab essentiâ, prout est in alio conceptu: Tum quia per hoc solùm non sufficienter salvantur veritates, quæ dicuntur de Augustissimo Trinitatis Mysterio: Tum quia id clarè colligitur ex verbis Sancti Doctoris ubi supra. Nec mens Sancti Doctoris est, quod Paternitas, & essentia sint à parte rei formaliter alia, & alia ratio, prout se habet ex parte entitatis divinæ. Tum quia ex mente Sancti Doctoris *Ratio* vel sumitur pro conceptu, vel pro ipso nomine vocali: certum autem est, quod Pater neque est conceptus, neque nomen, quamvis Pater sit Paternitas, & sit essentia. Mens igitur Doctoris Angelici est, vel esse videtur; Paternitatem, quæ est formaliter in Patre, distingui ab essentiâ, quæ etiam est formaliter in Patre; non quidem secundùm rem; cum eâdem indivisibili entitate gaudeant; sed solùm ratione; quia Paternitas, quæ est formaliter in Patre, significatur, vel est significabilis per rationem, aut nomen, quo non significatur, aut est significabilis essentia: & ècontra: Unde ea, quæ secundùm rem diversis actibus, & seorsim existunt, dicuntur secundùm rem distincta: sic ea, quæ diversis definitionibus definiuntur, vel possunt definiri; quæ diversis rationibus, aut nominibus significantur, aut seorsim possunt significari, dicuntur ratione distingui.

Unde quòd vis Paternitas sit realiter formaliter ad Filium sitq; eadẽ essentiã; hæc non est realiter formaliter ad Filium.

279. Unde si objicias sic. Paternitas realiter formaliter est ad Filium. Sed essentia realiter formaliter est Paternitas. Ergo essentia realiter formaliter est ad Filium. Juxta Divi Thomæ doctrinam sic tibi respondeo: concedo præmissas, & nego consequentiam. Quia licet essentia, & Paternitas sint idem actu secundùm rem; distinguuntur tamen ratione: verùm quidem est, quod Paternitas quæ est relatio realis ex parte Patris, est ad Filium; verùm est etiam, quod essentia divina, quæ est ex parte Patris non est ad Filium: ex hoc autem non probatur, quod sint actu distincta à parte rei, quia à parte rei eâdem actualitate divinâ gaudent: Unde sufficit quod distinguantur ratione: quia Paternitas, quæ est ex parte Patris ad Filium, habet distinctã rationem, seu significatur distincto

nomine

nomine, seu ratione, quæ ex parte Patris non est aliud: ideò essentia & Paternitas dicuntur actu distingui extrinsecè ab iis rationibus, quæ cum actu distinctæ sint, denominant extrinsecè actu distincta ea, quæ significant; scilicet Paternitatem, & essentiam, non quod ex istis rationibus una sit ad aliud, & altera non sit ad aliud: nam quod propriè est ad aliud, est ipsa Paternitas, quæ est in re, Unde aliud est, quod Paternitas, quæ denominatur actu extrinsecè distincta per suam rationem ab essentiâ, sit respectus ad aliud: & longè diversum, & aliud est, quod Paternitas sit ad aliud prout distincta: quasi indigeat tali nomine, seu ratione, ut sit ad aliud. Primum est verum, secundum verò falsum. Quia in entitate Patris, omni sive nominis, sive conceptûs ratione seclusâ, datur respectus realis ad Filium: quamvis verum sit, non posse verificari talem respectum, quin necessariò sequatur, quod illa entitas significetur, aut sit significabilis per duas rationes distinctas, aut quod talis entitas habeat illas duas rationes. Hic autem est modus, quem tenuit Divus Thomas, ad loquendum de his quæ de hoc Altissimo Mysterio verificantur. Unde quod entitas Patris habeat duas rationes actu distinctas: idem est, ac ipsam habere duo nomina, quibus correspondent, quidditas Paternitatis, & quidditas essentiæ.

An Paternitas à parte rei distinguatur formaliter ab essentiâ 2. esse quidditativum

280. At cum nulla entitas possit habere distinctas rationes sine fundamento ex parte rei, & entitatis, ita ut ex parte illius sit aliquid quod respondeat uni rationi; & aliud, quod respondeat alteri; investigandum est, an possit dici, quod Paternitas à parte rei, & independenter ab omni ratione sive conceptûs, sive nominis, distinguatur formaliter; cum hoc tamen addito, nimirùm secundùm esse quidditativum?

Respondeo affirmativè.

281. Sit ergo conclusio. Satis probabile videtur secundùm principia Divi Thomæ, essentiam, & Paternitatem à parte rei, & independenter ab omni operatione intellectûs distingui formaliter inter se secundùm esse quidditativum. Quâ distinctione positâ, faciliori modo videntur salvari ea, quæ de arcanissimo Trinitatis Mysterio verificantur. Hic verò modus in eo distinguitur à sententiis Durandi, & Scoti (si hic distinctionem actualem ex naturâ rei admiserit, de quo valde dubito) quod per eum non admittitur distinctio ulla actualis; sed solùm formalis quidditativa. Secunda pars conclusionis constabit ex solutione argumentorum.

Quoad 1. suadetur ex S. Th.

282. Nunc verò probatur primò conclusio quoad primam partem ex Divo Thomâ. *Et sic dico, quod non oportet, quod esse divinæ essentiæ sit ad aliud se habere: quia illud esse, in quo Paternitas, & essentia uniuntur; significatur ut est esse, quod est actus essentiæ; non autem uniuntur in esse, quod significat definitiò rei.* Ex quibus sic arguitur. Ea, quæ non uniuntur in aliquo esse, eâ ratione, quâ non uniuntur, distinguuntur formaliter secundùm illud esse. Sed Paternitas, & essentia non uniuntur secundùm illud esse, quod significat definitio rei formaliter. Ergo secundùm illud esse distinguuntur. Tunc sic. Sed quod significatur per definitionem Patris, est esse quidditativum paternitatis; sicut quod significatur per definitionem essentiæ, est esse quidditativum essentiæ. Ergo à parte rei Paternitas distinguitur formaliter secundùm esse quidditativum ab essentiâ. Minor subsumpta patet. Tum quia quod significat definitio, ut constat dictis, solùm est esse quidditativum, sive quidditatem rei. Tum quia id, quod significatur per definitionem veram, debet in ipsâ re formaliter reperiri.

Deinde quia quod ex parte divinæ entitatis correspondet huic nomini *paternitas* nō correspondet huic *essentia*.

283. Probatur secundò. Quod significatur per hanc vocem *Paternitas*, est respectus realis ad Filium. Sed ex parte entitatis divinæ à parte rei, & seclusâ omni ratione sive conceptûs, sivè nominis, est respectus realis ad Filium. Ergo quod significatur per vocem *Paternitas*, est verè, & formaliter à parte rei. Major & minor constant. Alias rationes non essent realiter in Deo; sed solùm secundùm dici. Tunc sic. Sed ex parte entitatis divinæ, quod correspondet huic nomini *Paternitas*, non correspondet huic nomini *Essentia*, & è contra. Ergo ex parte entitatis divinæ Paternitas, & essentia quidditativè non sunt idem, ac proindè secundùm esse quidditativum formaliter distinguuntur. Ergo, &c.

Firmatur præjacta ratio.

284. Firmatur hæc ratio. Nisi daretur quidditas rei, non daretur definitio rei. Ergo quia formaliter datur quidditas rei, ideò datur definitio explicans rei quidditatem. Ergo nisi daretur duplex quidditas formaliter distincta, non daretur duplex definitio distincta formaliter. Patet consequentia. Quia una quidditas formalis non valet definiri per duas definitiones oppositas. Tunc sit. Sed diversa est definitio Paternitatis à definitione essentiæ; cùm una significet quidditatem rei ad aliud; & altera quidditatem rei non ad aliud. Ergo quidditas Paternitatis, quæ significatur per unam definitionem, distinguitur formaliter à quidditate, quæ significatur per aliam.

Dices per hoc solū convinci distinctionem virtualem quidditativam

285. Respondebis, per hæc non convinci distinctionem formaliter quidditativam à parte rei inter essentiam, & Paternitatem; sed solùm distinctionem virtualem quidditativam: licèt enim esse quidditativum essentiæ sit formaliter idem cum esse quidditativo Paternitatis; nihilominùs à parte rei virtualiter distinguuntur: hoc est se habent, ac si verè, & formaliter distinguerentur in ordine ad præstanda

omnia illa, quæ fide credimus de arcano Trinitatis Mysterio.

Verumtamen non plenè satisfacit.

286. Verùm hoc non videtur plenè satisfacere. Primò, Quia huic voci *Paternitas* vel correspondet aliquid ex parte rei in entitate Patris, vel non? Si hoc ultimum: ergo in Patre non est Paternitas, neque respectus realis ad Filium. Ergo nec est relatio: quod est hæreticum: nam Pater realiter, distinguitur realiter à Filio. Si ergo primum? Rogo, an huic voci *Paternitas* correspondeat essentia divina, necne? Si secundum: habetur intentum: ergo in illâ entitate est aliquid, quod formaliter quidditativè correspondeat; & aliquid, quod secundùm esse quidditativum non correspondeat. At quod correspondet quidditativè, est Paternitas; quod verò non correspondet, est essentia. Ergo à parte rei Paternitas & essentia distinguuntur secundùm esse quidditativum. Si verò primum: Ergo essentia divina est ad aliud. Probatur consequentia. Totum, quod significatur per hanc vocem *Paternitas*, est ad aliud, cùm per illam solùm significetur quidam respectus. Sed per talem vocem significatur essentia. Ergo. Secundò. Vel quod significatur per talem vocem, est aliquid virtualiter distinctum à Paternitate, vel formaliter distinctum? Si secundum: habetur intentum; Paternitatem scilicet formaliter quidditativè distingui ex parte rei ab essentiâ. Si primum: Ergo per talem vocem significatur formaliter essentia. Patet consequntia. Quia significatur, quod est formaliter Paternitas, licet non significetur, quod non est virtualiter Paternitas. Sed essentia est formaliter Paternitas; siquidem formaliter quidditativè non distinguuntur. Ergo essentia est formaliter ad aliud, & formaliter distinguitur; solùmque virtualiter non distinguitur, neque est ad aliud. Patet consequentia. Quia quod significatur formaliter per talem vocem, est formaliter ad aliud. Hoc eodem argumento probatur, Paternitatem formaliter communicari: nam quod significatur formaliter quidditativè per hanc vocem *Essentia*, communicatur realiter formaliter. Sed per talem vocem significatur Paternitas, si Paternitas, & divina Essentia sint una quidditas formaliter. Ergo communicatur formaliter Paternitas. Unde terminorum mutatione alia possunt argumenta formari, quæ communiter fiunt, scilicet essentiam produci, sicut Filiationem, & ècontrà, &c.

LECTIO IV.

Solvuntur Oppositæ.

Paternitas nō distinguitur à Filio 2. esse entitativum, & actuale

287. Oppones primò, Essentia & Paternitas realiter entitativè sunt idem. Sed Paternitas realiter entitativè distinguitur à Filio. Ergo essentia realiter entitativè distinguitur à Filio, & est ad aliud. Et idem est de communicatione entitativa Paterniratis, eò quòd communicetur realiter entitativè essentia: & de productione essentiæ, eò quòd realiter entitativè producatur Filiatio: nam quæ sunt entitativè eadem, quidquid uni competit, debet etiam alteri competere. Concesâ majori, distinguo minorem: distinguitur à Filio, & est ad Filium: ideſt, secundum esse entitativum, & actuale, nego: ideſt, realiter formaliter secundùm esse proprium, & quidditativum, concedo minorem. Explicatur. In entitate divinà licet sit una, & indivisibilis actualitas secundùm rem; est tamen duplex quidditas: quia potest terminare duplicem definitionem distinctam: aliam, quâ definiatur secundùm esse quidditativum Paterternitatis; & alteram, quâ definiatur secundùm esse quidditativum essentiæ: quod duplex *esse* verè est in illâ entitate; ita ut quod verè & realiter in illâ entitate est ad aliud, solùm sit quidditativum esse paternitatis: hoc autem esse aliud non est, quàm respectus realis ad Filium: quod quidem esse non communicatur realiter formaliter: similiter quod verè & realiter communicatur Filio in eâ entitate, est esse quidditativum essentiæ: quod nullo modo est ad aliud. Ex quibus salvantur contradictoria; quia sunt secundùm aliud, & aliud esse quidditativum: nam esse quidditativum essentiæ, nec producitur, nec est ad aliud: est tamen verè, & realiter communicatum, & nunquam distinctum. Similiter esse quidditativum Paternitatis est, quod verè, & realiter est ad aliud; & hoc nunquam communicatur. Jam verò cùm ea, quæ affirmantur & negantur realiter, nonsint secundùm illud esse indivisibile, & actuale; sed solùm secundùm aliud, & aliud esse quidditativum; nunquam sequitur vera, formalis contradictio.

Actualitas respectu Patris ad Filium nō est ad aliud.

288. Opponitur secundò. Respectus, qui est in Patre & ad Filium, est realis & actu existens. Ergo actualitas illius respectûs est ad aliud. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Ratio est. Quia licet secundùm rem sint idem respectus, & divina actualitas, quâ existit; tamen respectus Paternitatis secundùm esse quidditativum nō est illa actualitas, quin potiùs distinguitur formaliter quidditativè ab illâ actualitate: ex quo fit quod solùm quidditas respectûs sit ad aliud; non verò actualitas, quâ existit talis respectus.

289. Op-

Igitur 2. illa actualitate Paternitatis, & essentiæ nō possūt de illis prædicata contradictoria verificari.

289. Opponitur tertiò. Ergo secundùm illud esse, & actualitatem, quâ uniuntur à parte rei Paternitas, & essentia, non poterunt de illis prædicata contradictoria verificari. Concedo planè consequentiam. Quia in eo; in quo conveniunt aliqua, non distinguuntur, nec in eo possunt opposita, de illis verificari, ut sunt hæc: *Essentia realiter est divina: Paternitas realiter non est divina; essentia existit secundùm rem: Paternitas secundùm rem non existit; essentia est infinita realiter; non verò Paternitas.* Et ratio est. Quia cum hæc habeant ex illâ actualitate entitativâ, in quâ non differunt, non est, unde opposita prædicentur; at verò cum esse ad aliud, & non esse ad aliud; communicari, & non communicari, &c. habeant Paternitas, & essentia secundùm esse quidditativum, in quo realiter formaliter differunt, salvantur ea omnia absque ullâ verâ contradictione.

Ex quidditativa distinctione nō sequitur cōpositio ex Paternitate, & essentia; quippe illarū unio est simplicitatis.

290. Opponitur quartò. Paternitas, & essentia differunt à parte rei formaliter quidditativè. Ergo datur compositio ex Paternitate, & essentiâ formaliter quidditativè. Consequentia probatur. Quia compositio est distinctorum unio. Sed à parte rei Paternitas, & essentia uniuntur. Ergo ex illis compositio resultabit. Nego primam consequentiam. Ad probationem distinguo minorem: uniuntur secundùm esse quidditativum, nego; secundum esse actuale rei, subdistinguo: Uniuntur unione simplicitatis, concedo; unione compositionis, sive distinctorum, nego minorem. Divina igitur entitas dupliciter consideratur: Primò secundùm esse rei; idest secundùm actualitatem existentiæ; ratione cujus convenit entitati divinæ, quod sit actus purissimus, quod sit infinita, intelligens, &c. quæ omnia realiter entitativè æquè competunt Paternitati, ac essentiæ; & ideo secundùm hoc esse uniuntur unione simplicitatis; & sic nullo pacto differunt.

Divina entitas dupliciter consideratur.

291. Secundò consideratur entitas divina secundùm esse quidditativum; quod *esse* consideratur ex ordine, quem dicit ad definitionem: Cum igitur entitas divina duplicem definitionem sustineat; aliam, quâ definitur secundùm quidditatem essentiæ, quæ quidditates verissimè sunt in tali entitate; dicitur, in eâ esse duplex esse quidditativum formaliter per ordinem ad diversas definitiones: Jam verò cum secundùm hoc esse non uniantur, nulla compositio resultat adhuc quidditativa; sicut enim ex diversis definitionibus non resultat compositio alicujus definitionis; sic non resultat aliqua quidditativa compositio ex illâ duplici quidditate; quia secundùm esse quidditativum, cum sint in ordine ad diversas definitiones, potiùs dividuntur quidditativè. Hæc tamen disputandi tantùm gratiâ dixerim, ne hunc modum discurrendi prætermitterem.

Nostra igitur sit modo explicato est tenenda sententia.

292. Quidquid tamen de illo sit, semper judico, nostram esse tenendam sententiam eo modo, quo manet explicata, & explicuit Almus Thomas fulgentissimus Scholarum sol. Tum quia Sanctus Doctor nullam unquàm admisit à parte rei distinctionem formalem etiam quidditativam inter essentiam, & Paternitatem; vel saltem eam non declaravit. Tum quia potest dici, eandem entitatem simplicissimam modò definiri per unam definitionem; & sic dici esse quidditativum Paternitatis; modò per aliam; & sic dici esse quidditativum essentiæ divinæ.

293. Hoc autem non est, in entitate divinâ dari à parte rei aliam, & aliam quidditatem; sed solùm indivisibilem, & simplicissimam Dei entitatem; quæ ob sui infinitatem, eminentiam, & dignitatem non potest significari unâ ratione, vel uno nomine, aut definitione; ac proinde petit duas rationes, aut definitiones, quibus definiatur, aut explicetur. Unde eadem entitas Patris est ad aliud, & non est ad aliud: Quia eadem entitas est simul relativa, & absoluta; & sic quatenùs significatur, aut potest significari per hanc vocem *Paternitas*, est ad aliud; & quatenùs significatur, aut potest significari per hanc vocem *essentia*, non est ad aliud: Unde eadem entitas quâ Paternitas, est ad aliud, & non communicatur; & eadem, quâ essentia, communicatur, & non est ad aliud: Ita tamen, ut ly *quâ essentia*, & ly *quâ Paternitas* solùm arguant distinctionem nominis, seu rationis; non verò distinctionem ullam rei, sive à parte rei etiam quidditativam, & formalem.

294. Est tamen necessaria illa duplex ratio, seu definitio ad explicandam eminentiam entitatis divinæ: Quâ propter eadem entitas divina ut significabilis per duo nomina, vel duas definitiones, dicitur solùm ratione actu distincta, non in se, nec à parte rei; sed solùm extrinsecè ab illo duplici nomine, seu definitione; quemadmodùm punctum absque ullâ distinctione, & divisione in se; quia est principium, & finis lineæ; & instans principium futuri, & finis præteriti temporis; dicuntur ratione distincta: Quia alio modo definiuntur, quatenùs principium; & alio modo, quatenùs finis; licèt in re eadem indivisibilis entitas sit principium, & finis. Hæc ergo est sententia Divi Thomæ, cui nos corde, & affectu insistimus.

QUÆSTIO V.

An in Deo sit admittenda Subsistentia absoluta, & relativa?

HÆc controversia in hoc tractatu ab Scholasticis utrinque acriter agitatur; quamvis si Doctorum dicta, & diversum loquendi modum expendamus, vix in eâ appareat, quod Quæstionem de nomine transiliat. Quapropter ne de solâ voce contendamus, cura nobis erit, discussis priùs vocibus, rem posteâ disputare.

LECTIO I.

Relatis Doctorum placitis, duplici Conclusione dirimitur difficultas.

Duplex Doctorũ placitum refero.

295. OCcurrit circa dubium duplex sententia omninò oppositа. Prima negat, dari in Deo subsistentiam aliquam absolutam tribus Personis communem, & propriam divinæ naturæ; consequenterque docet, divinam naturam subsistere in divinis Personis per proprias solùm earum subsistentias relativas. Ita Acutissimus Pater Vasquez, Arrubal, Meratius, & alii Recentiores tum ex nostris, tum ex Thomistis. Secunda sententia admittit, hujusmodi subsistentiam absolutam in Deo secundùm se considerato, & ut præintelligitur Personis. Huic sententiæ subscribunt eximius Doctor Suarez, Molina, Granados, & alii; ex Thomistis verò cum Cajetano eidem placito suffragantur omninò plures. Ut ergo litem, quæ multum habet de nomine, expediam,

Dupliciter accipi potest nomen *subsistẽtia*

296. Nota primò Quæstionem posse procedere de ipso nomine propter diversam acceptionem, & intelligentiam hujus nominis *subsistentia*. Aliqui ita strictè sumunt hoc nomen, ut in naturâ rationali confundant cum personalitate; in quo sensu videntur accipere subsistentiam Authores primæ sententiæ, ut colligitur ab inconvenientibus, quæ inferant, si admittatur hujusmodi subsistentia in Deo. Unde si huic acceptioni esset standum, non dubito, non esse in Deo eam subsistentiam. Alii verò nomen subsistentiæ in utroque sensu accipiunt, scilicèt & proincommunicabilitate alteri ut supposito; & sic admittunt subsistentias relativas; & pro perfeitate, excludendo dependentiam ab alio in existendo: Cum autem tâlis perfeitas necessariò competat divinæ naturæ, admittunt subsistentiam absolutam in Deo præter subsistentias relativas. Quâ etiam acceptione suppositâ, nulla videtur occurrere difficultas. Quarè ex diverso modo accipiendi nomen *subsistentia*, tota ferè Quæstio devoluitur ad disputationem de nomine. Ut autem in hoc puncto aperiam, quo pacto sit loquendum, & aliquid de re excutiamus;

Ratio essendi, & existendi cõmunis est substantiæ, & accidẽti; hæc tamẽ differunt in modo existendi.

297. Nota secundò ex dictis in Metaphysicâ, rationem essendi, sive existendi communem esse tam substantiæ, quàm accidenti; differre tamen in modo existendi; quia accidens existere petit per inhærentiam, seu in alio; substantia verò petit existere per subsistentiam, sive per se; unde sicut *inhærere* ultrà hoc, quod est existere, addit esse in alio; sic hoc, quod est *subsistere* ultrà existere addit modum essendi; nimirùm subsistere; quod idem est, ac existere per se, seu non in alio. Constat hæc doctrina ex Divo Thomâ hic quæst. 29. artic. 2. ubi ait: *Ex eo, quod res aliqua per se existit, & non in alio, vocari subsistentiam; illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio; sed in se existunt.* His notatis.

Dico 1. datur in Deo subsistentia absoluta. Et probatur ex S. Augustino.

298. Sit prima Conclusio. Subsistentia sumitur in Deo absolutè, ac proindè datur in Deo subsistentia absoluta. Ita Doctores secundæ sententiæ, videturque expressa Sanctorum Augustini, & Thomæ. Probatur primò ex Magno Augustino 7. de Trinitate, cap. 4. sic loquente: *Omnis res* (scilicèt substantia) *ad se ipsam subsistit; quantò magis Deus?* Idem sentiunt alii Sancti Patres. Sed quod est ad se, absolutum dicitur; relativum enim est ad aliud. Ergo si ex Divo Augustino Deus ad se subsistit, subsistentia in Deo absoluta dicitur.

Deindeex S. Thoma in 1. dist. 21. q. 2. art. 1.

299. Probatur secundò ex Doctore Angelico in primò distinctione 21. quæst. 2. artic. 1. ubi sic ait: *Natura divina est in se, habens esse subsistens, nullâ intellectâ personarum distinctione.* Ex quibus sic arguo. Quidquid intelligitur in Deo, nullâ intellectâ *personarum distinctione*, est in Deo absolutum, & commune; ac proinde non habetur in Deo per personalitates, aut relationes. Sed nullâ intellectâ distinctione personarum, intelligitur in Deo, quod natura habeat esse in se subsistens. Ergo subsistentia in Deo est quid absolutum, & commune; ac proindè hoc, quod est subsistere, non habetur propriè in Deo per relationes; sed solùm per aliquid absolutum.

300. Dein-

Itē ex lib. 4. contra gentes, cap. 14.

300. Deinde lib. 4. contra gentes, cap. 14. hæc habet Doctor Angelicus: *In Deo sunt plures res subsistentes, si relationes consideremus; & una res subsistens, si consideretur essentia.* Ita ibi: At non potest esse una res subsistens nisi per subsistentiam absolutam: Cum unitas subsistendi à pluralitate relationum provenire non possit. Ergo. Clariùs id ipsum expressit quæst. 9. de Potentiâ, artic. 5. ad 13. ubi inquit: *In divinis proprietates personales hoc solùm habent, quod supposita naturæ divinæ ad invicem distinguant; non autem sunt principium subsistendi divinæ essentiæ; ipsa enim divina essentia est secundùm se subsistens.* Quid ergo clariùs pro nobis?

Rursùs quia cum divinæ essentiæ competat existere, & existere sit subsistere; illi competit subsistentia.

301. A ratione autem licèt variis modis soleat nostra probari Conclusio; illis tamen omissis, probatur tertiò sic. Esse, seu existere est actus proprius essentiæ, Ergo subsistere erit actus proprius essentiæ. Sed divinæ essentiæ ut virtualiter, aut ratione, distinctæ à relationibus, competit existere, ut nemo negat. Ergo & subsistere. Antecedens, & subsumpta minor latè constant ex Quæstione de relationibus, Lectione 5. & 7. Consequentiæ verò probantur. Sicut ad esse, seu existentiam accidentis requiritur ut proprius modus inhærentia; sic ad esse, seu existentiam substantiæ requiritur ut proprius modus subsistentia. Inhærere autem, & subsistere explicant duos modos existendi immediatè oppositos. Ergo ei, cui competit existere, necesse est, conveniat modus existendi. Atqui divinæ naturæ ratione sui, & ut distinctæ à relationibus, convenit existentia absoluta propria substantiæ. Ergo divinæ naturæ debet necessariò convenire ratione sui subsistentia, quæ est proprius modus existendi substantiæ.

Prætereà cū subsistentia maximā dicat perfectionem, nequit divinę essentiæ negari

302. Probatur quartò. Subsistere dicit maximam perfectionem; involuit enim modum in ratione essendi perfectissimum: Cum certum sit apud omnes, accidens in hoc superari à substantia. Ergo non debet, nec potest essentiæ divinæ denegari talis modus independenter à relationibus. Consequentia patet. Tum quia quidquid est excogitabile in ratione perfectionis, divinæ essentiæ debet tribui. Tum quia relationes nec dicunt, nec addunt perfectionem aliquam divinæ essentiæ. Tum denique quia divina essentia intra suam lineam est infinita. Ergo subsistens. Consequentia probatur. Nam ex eo natura creata sumpta pro ratione formali intrà propriam lineam non subsistit; sed ratione sui suppositi, in quo est; quia finita est, & sic dependet ab illo ut à sustentante. Sed essentia divina est infinita, ac infinitè perfecta, nec ei aliquid perfectionis acquiritur ex multiplicatione suppositorum. Ergo intrà propriam suam lineam erit subsistens.

Dico 2. propriè, loquēdo, verius est in Deo non dari tres subsistentias relativas.

303. Sit secunda Conclusio. Propriè, & Scholasticè loquendo, verius est, non dari in Deo tres subsistentias relativas; sumptâ subsistentiâ pro principio formali, quo aliquid subsistit. Ita S. Thomas quæst. 9. de Potentiâ, & quæst. 8. Sequuntur Angelicum Doctorem Durandus, & alii contra plures Recentiores cum ex Thomistis, tum ex nostratibus.

Ita S. Thomas q. 9. de Potentiâ art. 3. ad 13.

304. Probatur primò Conclusio authoritate Divi Thomæ dictâ quæst. 9. artic. 3. ad 13. ubi hæc habet: *In rebus creatis principia individuantia duo habent, quorum unum est, quod sint principia subsistendi; natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus: Aliud est, quod per principia individuantia supposita naturæ communis ad invicem distinguantur. In divinis autem proprietates personales hoc solùm habent, quod supposita divinæ naturæ ad invicem distinguant; non autem sunt principium subsistendi divinæ naturæ: Ipsa enim natura divina est secundùm se subsistens; sed è contrà proprietates personales habent, quod subsistant ab essentiâ.* Ita ibi. Unde sic argumentor. Subsistentia in sensu, quo hîc omnes eam accipimus; aliud non est, quàm principium formale subsistendi, seu quo aliquid subsistit. Sed ut docet Magister Angelicus, proprietates personales non sunt principium subsistendi divinæ naturæ, quin potiùs illæ subsistunt ratione divinæ naturæ. Ergo per subsistentiam absolutam, si propriè, & Scholasticè loquamur, ac Divi Thomæ vestigiis insistamus; & non dantur aliæ relativæ. Mirum est, quàm implicet Theologos locus ille adductus Divi Thomæ pro nostrâ Conclusione.

Iterū ratione probatur quia in Deo nō dātur tres existētiæ relativæ.

305. Probatur secundò à ratione. Quia existentia relativa sive virtualiter, sive ratione distincta ab essentiâ, non datur in Deo; nec tres existentiæ relativæ realiter inter se distinctæ. Ergo à paritate rationis idem, quod priùs de subsistentiâ relativâ. Consequentia probatur. Quia subsistentia dicit existentiam cum modo perfectissimo, existendi; vel saltem ab ipsâ est inseparabilis existentia. Ergo solùm relationes non dicunt existentiam, nec ullam perfectionem, consequenter nec subsistentiam dicent.

Prætereà quia naturā divina non dicitur relativè subsistens ratione Paternitatis.

306. Probatur tertiò efficaciter. Si Paternitas, vel quælibet divina relatio ratione sui esset subsistentia relativa, natura divina subsisteret relativè per Paternitatem, & alias relationes. Sed natura divina non accipit hunc effectum, nec dicitur relativè subsistens ratione Paternitatis, &c. Ergo Paternitas adhuc relativè non est subsistentia. Major constat.

Quia subsistentia est principium personale, ut natura subsistat. Minorem probo. Quia Paternitas non minùs est subsistentia, ac est relatio, & est personalitas, sive principium reddendi aliquid incommunicabile. Sed Paternitas non tribuit naturæ divinæ, quod sit relata, nec quod sit incommunicabilis: Sunt enim falsæ istæ propositiones: *Natura divina refertur per relationem ad aliud: Natura divina redditur incommunicabilis ratione personalitatis Patris.* Ergo Paternitas non tribuit naturæ divinæ, quod sit subsistens relativè. Tunc sic. Atqui licèt illæ duæ propositiones sint fallæ, hæc est verissima: *Natura divina subsistit, aut est subsistens.* Ergo ideo est, quia natura divina ratione sui subsistit, & nullatenùs per relationes. Quæ probatio, si attentè expendatur, valdè urget.

Rursùs probatur ad hominē contra Thomistas.

307. Probatur quartò ad hominem, præcipuè contra Thomistas. Implicat in Deo duplex existentia; absoluta videlicèt, & relativa, ex eo capite, quia implicat duplex ultima actualitas in ratione existendi, ut conceditur à pluribus ex Adversariis. Atqui duplex subsistentia divina, absoluta, & relativa est duplex ultima actualitas in ratione subsistendi. Ergo eâdem ratione implicat duplex subsistentia absoluta, & relativa; aut si hæc consequentia negetur, duplex existentia; absoluta videlicèt, & relativa erit etiam concedenda.

Tandē ex alia D. Thomæ ratione in 1.dist.26. q.1.ad 4.

308. Deinde hæc omnia urgéntur aliâ Divi Thomæ ratione in primò distinct.26. quæst. 1. artic. 1. ad 4. his verbis: *Ad quartum, dicendum, quod persona, ut dictum est, non distinguitur in divinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse; sed solùm ex parte proprietatum. Unde illa nomina, quæ dicuntur secundùm respectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, sicut hypostasis, & persona: Quæ autem dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, ut subsistentia, & essentia; quamvis nomen* subsistentia *apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi.* Ita ibi: Ex quibus iterùm patet, subsistentiam acceptam pro principio formali, ut eam hîc accipimus, singulariter prædicari non minùs, ac essentias; ac proinde ea non relativè; sed absolutè dici de Deo.

LECTIO II.

Solvuntur objectiones contrà utramque Conclusionem.

309. OBjicitur primò contra primam Conclusionem. Si Deus pro priori ad relationes, & his non intellectis, subsisteret, esset pro eo priori Persona. Sed hoc non est dicendum; aliàs daretur quaternitas personarum; quam damnat Concilium Lateranense. Ergo Deus pro priori ad relationes non subsistit. Sequela probatur. Persona nihil est aliud, quàm subsistens in naturâ intellectuali. Ergo si Deus pro priori ad relationes subsisteret, cum hoc esset in naturâ intellectuali, esset Persona. Respondeo negando majorem. Ad probationem distinguo antecedens: Persona nihil est aliud, quàm subsistens distinctum, aut incommunicabile in naturâ intellectuali, concedo: Seclusâ distinctione, aut incommunicabilitate, nego antecedens. Subsistere igitur nihil aliud est, quàm existere modo perfectissimo excludente omnem dependentiam à quocumque alio *in ratione* essendi: Cum igitur hoc habeat natura divina independenter à relationibus; inde est, quod Deus pro priori ad relationes sit subsistens, & consequenter absolutè subsistat; esse autem Personam in Deo, addit principium quasi individuationis, vi cujus suppositum redditur incommunicabile alteri ejusdem naturæ supposito.

Ex nostra sitctia nō sequitur, Deū pro priori ad relationes esse personam.

310. Instabis. Ergo saltem Deus erit semipersona pro priori ad relationes. Consequentia probatur. Quia licèt ei desit incommunicabilitas, quæ ad integram rationem Personæ requiritur; habebit tamen pro priori ad relationes subsistentiam, sive perfectatem in existendo, quæ est unum de requisitis ad rationem personæ. Ergo. Aliqui cum Eminentissimo Cajetano concedunt sequelam: Alii verò negant. Difficultas est de puro nomine; Sed non est concedenda loquutio Semipersonæ propter imperfectionem, quam præfefert: Licèt enim equus habeat rationem animalis, quæ est unum de requisitis ad rationem hominis; non ideò dicimus, equum esse semihominem; sic similiter in Deo, cum forma significata ratione Personæ principaliter solùm sit proprietas relativa, quæ in Deo pro illo priori non intelligitur; sed solùm subsistentia.

Nec inde sequitur, dici posse Deum semipersonam pro priori ad relationes

311. Objcitur secundò ex Patre Vasquez. Deitas præintellecta tribus Personis, non potest esse principium generandi *ut quod* ad intra. Ergo nequit intelligi ut sic subsistens. Concesso antecedenti, nego conse-

Principiū generādi *ut quod* nō solùm debet esse subsistens

sed etiam incōmunicabile.

consequentiam. Ratio est. Quia principium generationis non solùm debet esse subsistens; sed incommunicabile, & distinctum: Cùm ergo incommunicabilitas, & distinctio in divinis debeant provenire ex proprietatibus relativis; patet, quod nihil in Deo præintellectum ad proprietates relativas, possit esse principium generationis: subsistens verò nihil est aliud, quàm existens perfectissimo modo excludenti omnem unionem cum alio digniori: cùm ergo in naturâ divinâ sit hoc, quod est perfectissimo modo existere independenter à relationibus; cùm ex illis nihil perfectionis advenire essentiæ divinæ concipiamus: inde est, quod natura divina ut præintellecta relationibus, subsistens intelligatur.

Magna est disparitas inter personalitatē divinam & creatā & inter naturam rationalē creatam, & divinā

312. Objicies tertiò. Natura creata rationalis non solum redditur incommunicabilis mediâ personalitate; sed etiam eâ mediante, subsistit. Ergo mediâ personalitate divinâ, non solùm præstatur in Deo incommunicabilitas, sed etiam subsistentiâ. Consequentia probatur. Quia proprietas personalis se habet veluti principium individuationis in divinis. Sed personalitas creata, quæ est principium individuationis, præstat formaliter utrumque effectum; subsistendi scilicet, & incōmunicabilitatis. Ergo & Personalitas divina. Concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem, concessis majori, & minori, nego etiam consequentiam. Disparitas est. Quia in creatis natura communis nec existit, nec subsistit per se; sed solùm in singularibus; quod quidem provenit ex limitatâ ejus perfectione, & sic principium individuans in creatis utrumque præstat, & rationem scilicet distinctionis, seu incommunicabilitatis, & rationem subsistendi: cùm certum sit, naturam creatam existere, & subsistere ratione suppositi. At vero cùm natura divina ratione sui sit infinita & illimitata; sicut ratione sui habet, quod per se existat, habet etiam quod per se subsistat. Unde proprietas personalis, quæ est veluti principium individuationis, solùm habet, quod distinguat suppositum à supposito: non verò dat supposito existere, nec subsistere: nam cùm existere, & subsistere sit maxima perfectio; & in Deo quidquid perfectionis est: soli naturæ divinæ competat, ab hâc solâ competit existentia, & subsistentia. Unde tria divina supposita utrumque habent ratione solius essentiæ, ut expresè tenet Divus Thomas quæst. 4. de Potentiâ, artic. 5. ubi inquit: *Ipsa enim divina essentia est secundùm se subsistens, sed èconversò proprietates personales habent, quod subsistant ab essentiâ: Ex eo enim Paternitas habet, quod sit res subsistens, quia essentia divina, cui est idem secundùm rem, est res subsistens: ut inde sequatur, quod sicut essentia divina est Deus, ita paternitas est Pater. Et ex hoc est etiam, quod essentia divina non multiplicatur secundùm numerum ex pluralitate suorum suppositorum, sicut accidit in illis inferioribus: nam ex eo aliquid secundùm numerum multiplicatur, ex quo subsistentiam habet: licet enim ipsa divina essentia secundùm se ipsum (ut ita dicam) individuetur quantùm ad hoc, quod est per se subsistere: tamen ipsâ unâ existente secundùm numerum sunt in divinis plura suppositа ad invicem distincta per relationes subsistentes.* Ita D. Thomas.

Natura divina petit in personis existere non ex indigētiâ personalitatum; sed ex illius fœcunditatum.

213. Objicitur quartò. *Subsistere* est per se existere; ideſt, non in alio. Sed natura divina pro priori ad relationes hâc perfectate non gaudet; cùm potiùs petat in personis existere. Ergo pro priori illo non subsistit. Concessâ majori, nego minorem quoad primam partem, & illam distinguo quoad secundam: cùm potiùs petat in Personis existere ex indigentiâ personalitatum, sive relationum ad existendum, nego: ex fœcunditate illius, & ordine originis, concedo minorem: Natura quippe divina petit esse in Patre, non ut existat ratione Paternitatis; sed ut simul cum Paternitate in ratione suppositi producat; & sic petit esse in Filio ut in termino perfectissimè producto: unde potiùs dicendum est, quod divinæ Personæ existant, & subsistant ratione essentiæ, quàm è contrà.

Concreta & abstracta non distinguūtur realiter in divinis.

314. Objicitur quintò. Si natura divina ratione sui esset subsistens, non posset concipi in abstracto: quod autem dicit subsistentiam, nequit concipi nisi in concreto. Ergo. Nego antecedens. Quia concreta, & abstracta non distinguuntur realiter in divinis; ac proinde cùm divina concipiamus ad modum creaturarum, nullum est ibi conveniens, quod per speciem creatam concipiamus Deitatem quasi formam perfectissimam divini suppositi; omni tamen imperfectione seclusâ, quæ reperitur in naturâ creatâ, quæ se habet ut forma respectu suppositi creati.

Contra 3. conclusiō oppōnunt Adversarii Concilia, & SS.PP.

315. Objicitur sextò. contrà secundam conclusionem. Juxta Concilia & Patres dantur plures subsistentiæ in divinis. Sed non plures absolutæ; cùm nullum absolutum multiplicetur in Deo. Ergo dantur plures relatiuæ. Major probatur primò ex Synodo Generali, ubi sic dicitur: *Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis.* Idem pronunciatur in Concilio Nysseno II. & in Lateranensi. Probatur secundò ex Sancto Ambrosio in Symbolo Apostolico cap. 2. ubi ait: *Ut & unum Deum secundùm unitatem substantiæ fateamur, & Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in suâ quemque subsistentiâ sentiamus.* Et Sanctus Cyrillus in Dialogo Trinitatis ait: *Omnis nostræ Fidei sermo huc tendit, ut unam videamus Deitatis naturam, quæ in tribus subsistentijs propriè subsidit.* Et Magnus Athanasius sermone de Deiparâ

Deiparâ, ait: *Unum Deum in tribus subsistentijs prædicamus, in quibus una sit substantia.* Damascenus lib. 1. Fidei cap. 9. ait: *Filius propriam habet subsistentiam præter eam, quæ Patris est.*

Resp. intelligẽdos esse de subsistentiâ sumptâ prohypostasi.

316. Omissis aliorum solutionibus, quæ authoritatibus adeò claris certè non satisfaciunt. Respondeo Concilia, & Sanctos Patres admittere, sive accipere subsistentiam pro hypostasi: in quo sensu, sicut concedimus tres Hypostases, erunt etiam concedendæ tres subsistentiæ, ut usum Sanctorum Patrum amplectamur. Nos verò hîc non loquimur de subsistentiâ, ut confunditur cum hypostasi; sed solùm quæstio est inter Theologos de principio formali subsistendi: dicimus autem, hoc solùm se habere ex parte divinæ essentiæ, non verò ex parte relationum. Nec solutio est arbitraria, cùm sit expresa Divi Thomæ interpretatio ubi supra, juxta ejus ea verba; scilicet *Quamvis nomen* substantia *apud usum Sanctorum sumatur pro hypostasi.*

2. Opponunt, quia cùm in divinis multiplicetur principiũ *quod*, debet multiplicari ratio subsistentiæ.

317. Objicitur septimò. Multiplicato principio *Quod* actionis notionalis, debet multiplicari ratio subsistentiæ, & non solùm incommunicabilitas. At in divinis Personis multiplicatur principium *Quod* actionis notionalis. Ergo non solùm incommunicabilitas; sed etiam subsistentiæ ratio debet multiplicari. Minor est certa. Nam aliud est principium *Quod* generationis, & aliud principium *Quod* spirationis. Major patet ex eo quod communi principio, quo asseritur, actiones esse subsistentium: etenim sicut ex hoc principio in Deo secundùm se considerato, infertur, admittendam esse subsistentiam absolutam, ratione cujus sit principium *Quod* creationis, conservationis, & operationum ad extra, quæ indivisæ sunt, & toti Trinitati communes. Ita ex eodem sequitur, in Patre præter incommunicabilitatem admittendam esse aliquam subsistentiam relativam, quâ constituatur in ratione principii *Quod* actionis notionalis, scilicet generationis; & aliam, quâ Filius unà cum Patre constituatur principium *Quod* spirationis activæ.

Sed argumentum multùm probat.

318. Verum hoc argumentum multùm probat: nam sicut ad operationes ad extra requiritur subsistentia communis, & absoluta ut arguit Gonetus; sic requiruntur existentia, potentia, intellectio, & volitio, absolutæ quidem, & communes. At ex eo quod multiplicentur principia ut *Quod* operationum ad intra, infert dictus Magister præter subsistentiam absolutam, esse multiplicandam subsistentiam relativam, & consequenter admittendas esse tres subsistentias relativas inter se realiter distinctas. Ergo propter eandem rationem admittentur tres existentiæ relativæ, tres intellectiones, volitiones, omnipotentiæ, addito solùm termino *relativè*: quod quidem sicut est falsum etiam in Thomistarum sententiâ; sic erit falsum, dari tria principia subsistendi relativè. Sicut enim non est alia divina perfectio circa operationes ad extra, & alia circa operationes ad intra; sed omninò eadem; licet circa operationes ad intra cùm sint in eâdem naturâ, requiratur aliqua distinctio personalis, & relativa; sic non requiritur alia ratio subsistendi; sed solùm petitur quod superaddatur ratio distinctionis, & incommunicabilitatis, quæ ex solis relationibus provenit. Unde ratio subsistendi una, & eadem est in omnibus divinis Personis: quia sicut omnes existunt unicâ divinâ existentiâ, sic eâdem subsistunt subsistentiâ.

3. Quia positivum in quo divinarũ personarum fundatur incommunicabilitas substantiæ.

319. Objicitur octavo ex eodem Gonetо. Incommunicabilitas, quam dicunt Personæ divinæ, non est pura negatio; sed fundatur in aliquo positivo. At illud nihil est aliud, quàm subsistentia. Ergo in Personis divinis, præter tres incommunicabilitates, tres sunt admittendæ subsistentiæ. Minorem probat. Tum quia si tale positivum non esset subsistentia, se haberet per modum formæ adjacentis: & cùm sit constitutivum Personæ in esse personali, Persona divina ex suâ formalissimâ ratione se haberet per modum formæ adjacentis rei existenti; quod est absurdum, & accedit ad errorem Gilberti Porretani. Tum etiam quia si positivum illud non esset subsistens, sequeretur, quod essentia divina præintellecta hujusmodi positiva, esset suppositum, & persona: atque adeò aut una tantùm, aut quatuor essent Personæ. Hoc autem est absurdum. Ergo. Sequelam probat. Suppositum, vel Persona est subsistantia alii ut supposito incommunicabilis. Sed essentia divina ut præintellecta hujusmodi positivo, esset incommunicabilis alteri ut supposito. Ergo. Minorem probat. Quia non esset communicabilis nisi illi positivo, quod non esset subsistens; sed potiùs per eam subsisteret, & se haberet ad illam, ut forma ad subsistens: nam ex eo, quod aliquid sit communicabile alteri ut formæ ad sustentandam illam, non tollitur ab eo, ut sit suppositum: ut patet in Verbo Divino, quod communicatur hoc modo Humanitati ad illam sustentandam. Ergo,

Respond. negativè.

320. Ad argumentum, concessâ majori, nego minorem. Ad probationem nego illam. Quia licet illud positivum sit ratione; virtualiter distinctum ab essentiâ, secundùm rem tamen est idem cum illâ: quod autem secundùm rem est idem cum alio non potest se habere respectu illius per modum formæ adjacentis, præsertim si prout ratione distinctum, perfectionem non addat: quod quidem vel ipse Gonet fateri debet: nam licet relatio ut ratione, aut virtualiter distincta ab essentiâ, nec sit verbum, nec

nec existentia; sed solùm existat ratione essentiæ; non sequitur quod positivum relationis se habeat per modum formæ adjacentis. Unde si quidquam valeret argumentum Goneti, id ipsum contra eum sequeretur, mutato dumtaxat nomine substantiæ in existentiam. Ad secundam probationem distinguo majorem: esset suppositum, aut Persona determinatè distincta, nego: indeterminatè, & communis secundùm rationem, concedo majorem. Unde antequam determinatè præintelligantur Personæ Patris, Filii, & Spiritûs Sancti, non est inconveniens, quod possit præintelligi Persona, non quidem ut distincta; sed solùm præcisivè communis tribus Personis. *Persona* autem sic considerata, duo dicit; divinam scilicet essentiam, quæ re ipsâ est tribus Personis communis; & positivum incommunicabilitatis, non quidem indeterminatum; sed solùm abstrahens à positivâ personalitate Patris Filii, & Spiritûs S.: quod solùm dicitur commune secundùm rationem, ut patet de quolibet alio communi conceptu. Ex quo non sequitur quaternitas Personarum, sed solùm dari rationem communem Personæ communitate rationis: quæ communis ratio à nullo negatur: sicut ex eo, quod à quatuor hominibus abstraheretur ratio communis hominis, non inde inferretur, dari re ipsâ quinque homines; sed solùm posse de illis prædicari rationem communem hominis. Unde ex falsâ suppositione nihil convincit argumentum.

QUÆSTIO VI.

An Verbum procedat ex cognitione omnium Divinarum Personarum.

OCCURRIT in præsenti difficultas innumeris implexa tricis; pro quâ expedienda Scholasticorum ingenia non vulgari plausu hactenùs desudarunt. Quia tamen in præsenti controversiâ propter varios opinandi modos, ex quarum rerum cognitione Verbum procedat, diversæ hinc inde difficultates insurgunt, ne omnes confundantur, sigillatim, & per partes totius quæstionis punctum discutiemus.

LECTIO I.

Relatis sententiis, quod verius est, eligitur, & probatur.

321. PRo pleniori cùm quæstionis, tum terminorum intelligentiâ nota primò *Id per se in quarto modo*, per se ad alicujus productionem concurrere, quod per se requiritur ut principium illius, vel ut actio: Id autem non per se in quarto modo perfectitis, se habere, quod licet sit idem cum principio, aut actione; termino tamen non petitur nec ut principium, nec ut actio. Do exemplum. Trinitas Personarum in Deo, etsi cum divinâ essentiâ, & omnipotentiâ realiter identificetur; non tamen est necessaria quarto modo perfectitis ad productionem creaturarum, nec ut principium, nec ut actio; quia cùm creaturæ per se non petant pro sui principio Deum ut trinum; sed solùm ut unum, & omnipotentem: quia ex effectu perfectissimè, & evidenter demonstratur causa per se requisita ad effectum. At ex creaturis demonstratur evidenter Deus ut unus, & ut prima earum causa, quin ex eis possit demonstrari Trinitas Personarum, ut communiter tenent Theologi. Ergo licet Trinitas identificetur cum Deo uno, per se non est requisita ut principium, &c.

Id per se in 4. modo ad alicujus productione concurrit, quod per se requiritur ut principium, vel ut actio.

322. Nota secundò cognitionem, ex quâ Verbum procedit, esse non solùm quidditativam; sed etiam intuitivam imò & comprehensivam divinæ essentiæ. Quia Verbum divinum procedit per cognitionem perfectissimam. Sed cognitio intuitiva perfectior est abstractivâ; & illa, quæ comprehendit objectum perfectior est eâ, quæ solùm quidditativè, & intuitivè cognoscit, Ergo.

Cognitio ex quâ Verbum procedit, est nō solùm quidditativa; sed intuitiva, & cōprehensiva.

323. Circa difficultatem verè propositam prima sententia negat Verbum divinum procedere per se ex cognitione alicujus divinæ Personæ. Ita Scotus cum suâ Scholâ in 1. distinct. 22. quæst. 1. & alibi. Secunda sententia ait, Verbum divinum procedere ex cognitione primæ Personæ, non tamen ex cognitione sui, & Spiritûs Sancti. Ita Puteanus dubio 2. conclus. ult. & alii, quos suppresso nomine, referunt Arrubal, & Gonetus. Tertia sententia edocet Verbum procedere in quarto modo perfectitis ex cognitione Patris, & sui; non verò ex cognitione Spiritûs Sancti. Hanc sequutus fuit, & illustravit Acutissimus Vasquez disput. 142. cap. 3. & 4. & post ipsum ejus Discipuli Alarcon disput. 8. cap. 8. Turrianus, & alii. Quarta sententia in Scholis communiter ait verbum per se procedere ex cognitione Patris, Filii, & Spiritûs Sancti.

Quatuor sententias refero.

Huic subscribunt cõmuniter nostri Doctores: Eximius Suarez, Valentia 2. part. quæst. 7. puncto 2. Zuniga quæst. 34. dubio 3. & alii, quos refert P. Borrull. disput. 17. sect. 2. Huic etiam sententiæ suffragantur Thomistæ. His ita.

1. Conclusio. Verbum divinum procedit ex cognitione omnis attributi absoluti.

324. Sit nostra prima conclusio. Verbum divinum procedit ex cognitione omnis attributi absoluti. Est communis, & probatur. Nam Verbum procedit à fortiori ex cognitione omnis illius perfectionis, quæ ei communicatur. At Pater communicat Filio non solùm essentiam; sed etiam attributa. Ergo Verbum divinum procedit ex cognitione omnis divini Attributi. Major constat. Tum quia Pater non alio modo communicat, nisi intelligendo id, quod communicat. Tum quia aliàs cœco modo communicaret. Minor autem, & consequentia per se constant.

2. Etiam in 4. modo procedit ex cognitione Patris; sic autem ex cognitione essentiæ & Paternitatis.

325. Sit secunda conclusio. Verbum per se in quarto modo procedit ex cognitione Patris, ac proinde non solùm ex cognitione essentiæ, & perfectionum absolutarum; sed etiam ex cognitione Paternitatis. Ita Doctores quartæ sententiæ contra Scotum. Probatur primò efficaciter. Verbum in quarto modo per se procedit ex cognitione eorum, quæ per se repræsentat, sed per se repræsentat non solùm essentiam; sed etiã Paternitatẽ. Ergo per se petit ex utriusq; cognitione procedere. Major patet ex dictis. Quia omne quod repręsentatur à verbo creato, debet per se in specie impressâ, quâ intellectus possibilis ut formâ intelligibili fœcundatur ad sui Verbi productionem, repræsentativè contineri. Ergo similiter omne repræsentatum per se à Verbo increato, debet repræsentativè contineri in cognitione, quâ mediante procedit; sicut enim intellectus creatus redditur fœcundus per speciem impressam ad productionem Verbi. Ita Intellectus divinus constituitur in actu secundo fœcundus cognitione actuali. Minorem probo. Verbum divinum est per se imago hujus Dei prout omnibus Personis communis; cùm ab illis prout sic realiter non distinguatur: qualiter imago debet à principio distingui; sed est per se imago Patris, à quo realiter distinguitur, & procedit realiter. Sed imago per se repræsentat id, cujus est imago. Ergo Verbum per se repræsentat non solùm Patris naturam; sed etiam ejus Paternitatem. Consequentia patet ex illo Christi Domini: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*: & ex Apostolo ad Hæbreos 1. ubi Filius dicitur *Figura substantiæ Patris* (ut habet Græca versio) *Character hypostasis eius*.

2. Quia Verbum procedit per se ex comprehensiva divinæ essẽtiæ cognitione.

326. Probatur secundò, Verbum Divinum procedit per se ex cognitione comprehensivâ divinæ essentiæ, ut fatentur Scotistæ. At essentia divina comprehendi non potest, nisi cognoscatur Paternitas. Ergo. Probatur minor primò. Essentia divina comprehendi non potest, non cognito in illâ, & ex illâ, quidquid ex vi illius cognoscibile est. Sed in divinâ essentiâ, & ex illâ cognoscibilis est Paternitas. Ergo. Suadetur secundò eadem minor. Nihil comprehenditur cognitione, nisi objectum cognoscatur, quantum est, & secundùm quod est. Sed essentia secundùm rem est Paternitas. Ergo non cognitâ Paternitate non comprehenditur essentia. Ergo, &c.

3. Verbum divinum per se in 4. modo procedit ex cognitione sui.

327. Sit tertia conclusio. Verbum divinum per se quarto modo procedit ex cognitione sui. Probatur primò. Verbum per se procedit ex cognitione Paternitatis. Sed Paternitas non potest cognosci, quin cognoscatur Filiatio; cùm relativa sint simul naturâ & cognitione. Ergo. Secundò. Quia Verbum procedit ex cognitione comprehensivâ divinæ essentiæ. Sed hæc nequit comprehendi, nisi ex vi ejus cognoscatur Filiatio. Ergo. Minor patet ex dictis circa Paternitatem.

4. Etiam per se in 4. modo procedit ex cognitione Spiritûs S.

328. Sit quarta conclusio. Verbum divinum per se in quarto modo procedit ex cognitione Spiritûs Sancti. Probatur primò ex Divo Thomâ hîc artic. 3. sic loquente: *Sic ergo uni soli Personæ competit dici eo modo, quo dicitur Verbum, eo verò modo, quo dicitur res in Verbo intellecta, cuilibet Personæ convenit dici. Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur.* Ita D. Thomas. Clarè ostendens hanc & supra positas conclusiones. Ex quibus verbis unum vel alium discursum efformo. Sit primus. Impossibile est, quod aliquid dicatur Verbo nisi Verbum procedat ex cognitione illius, quod dicitur; aliàs producens verbum, produceret nesciens quid loquatur: quod quidem vel à nobis externè, & fatuè loquentibus, alienum est: quantò magis à Deo, qui ex fœcunditate suæ cognitionis, & non ex intelligendi necessitate Verbum efformat? At juxta D. Thomam tota Trinitas, Verbo dicitur. Ergo Verbum procedit ex cognitione totius Trinitatis; ac proinde non solùm ex cognitione Patris, & sui; sed etiam Spiritûs Sancti. Sit secundus. Hæc D. Thomæ propositio; nimirùm *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, concipit Verbum*: facit sensum per se formalem, & non solùm identicũ; aliàs non aliter esset vera, ac ista: *Pater diligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, concipit Verbum*: quod est absurdum. At ut ea propositio sit in sensu formali verò, necessariò requiritur, Verbum concipi, & per se procedere ex cognitione Spiritûs Sancti. Ergo.

Item suadetur. Quia nisi ad 3. divinas pers.

329. Probatur Secundò conclusio. Cognitio Essentiæ divinæ, ex quâ procedit Verbum, non solùm est infinita, sed etiam intuitiva, beatificans, & comprehensiva. Sed has tres

nas termi netur cognitio, ex quâ verbū procedit, hæc non esset intuitiva, beatificans & comprehensiva.

tres conditiones habere nequit, nisi ad tres Personas divinas terminetur. Ergo Verbum per se ex trium divinarum Personarum cognitione procedit. Minor probatur; & in primis, quod non cognitis Personis, divina intellectio, ut est in Patre, non possit esse intuitiva essentiæ, sic suadetur. Quia cognitio intuitiva differt ab abstractivâ in eo, quod hæc abstrahat, nec tangat rem, secundùm quod res est in se: nec in se: Illa verò tangat objectum secundùm rem, & ut est in se. Sed essentia divina ut est in se, est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo cognitio tangens essentiam, non cognitis Personis, non est intuitiva essentiæ. Deindè quod talis cognitio non possit esse beatificans, patet. Quia cognitio divina non intelligitur beatificare Deum, nisi ut terminata ad totam Trinitatem; quod quidem vel ipse Pater Vasquez fatetur. Probatur denique, quod comprehensiva non esset. Quia ut aliquid comprehendatur, debet cognosci, quidquid in illo, vel ex illo cognoscibile est. At essentia divina est medium cognoscendi omnes perfectiones absolutas, & proprietates personales. Ergo illis non cognitis, nequit comprehendi. Tum quia essentia divina nequit conprehendi, nisi ut tribus Personis communicabilis cognoscatur. At sic nequit cognosci, non cognitis tribus Personis. Ergo. Minor patet. Quia essentia divina ut communicabilis tribus Personis, cum illis connectitur. Sed omninò implicat, comprehensivè cognosci id, quod connectitur cum alio, isto non cognito. Ergo.

Rejicitur evasio P. Alarcon.

340. Respondet Alarcon disputat. 8. cap. 8. essentiam divinam esse communicabilem tribus Personis; sed ordine quodam, priùs Patri, deinde Filio, & tandem Spiritui Sancto; unde comprehensio terminata ad eam, priùs debet eam attingere ut communicatam Patri, & Filio; & ab eâ ut sic debet Verbum procedere pro priori terminationis ad tertiam Personam. Sed contra primò. Quia communicabilitas essentiæ petit necessariò pro termino quasi adæquato tres Personas. Ergo implicat comprehendi ut communicabilem, nisi tres Personæ cognoscantur. Secundò. Quia licèt detur ea prioritas originis in processionibus, ut Pater communicet Filio naturam, & Pater, & Filius Spiritui Sancto; nullus tamen ordo, nec prioritas datur ex parte cognitionis divinæ in ratione cognoscendi: Quia non cognoscit priùs naturam identificatam cum Paternitate, & posteriùs identificatam cum aliis Personis; sed simul simultate actûs cognoscit naturam divinam identificatam, & communicatam tribus Personis; sicut cognoscit simul existentiam à se trium Personarum. Ergo Verbum divinum non potest procedere ex cognitione nisi simul terminatâ ad naturam in tribus Personis, sic enim, & non alio modo est comprehensiva. Tertiò. In sententiâ Vasquii, Alarcon, & aliorum licèt natura divina utpotè radix attributorum, sit prior virtualiter, aut ratione ipsis attributis; ex hâc tamen prioritate non licèt inferre, cognitionem prout solùm terminatam, concurrere per se ad productionem Verbi; cum adhuc in eorum sententiâ Verbum per se procedat ex cognitione omnium attributorum. Ergo ex eâ prioritate originis, & ordine communicandi naturam divinam, non licèt colligere, ex cognitione essentiæ duabus tantùm Personis communicatæ, Verbum per se procedere.

Prætereà. Quia Pater cognoscens Filium, & cōmunicat naturā & virtutē spirativā; & ipsum generans, relationē spiratoris cognoscit.

341. Probatur tertiò Conclusio ratione efficaci. Pater cognoscendo Filium, per se ei communicat non solùm naturam; sed etiam vitutem spirativam, & relationem spirationis, ac per consequens generando Filium, cognoscit talem relationem: Aliàs communicaret per intellectionem, quod ea non cognoscit. Sed implicat, quod Verbum divinum procedat per se ex cognitione attingente relationem *principii spirativi*, quin procedat ex cognitione attingente terminum talis spirationis; & hic est Spiritus Sanctus. Ergo Verbum per se procedit ex cognitione Spiritûs Sancti hic igitur argumento

Dicūt, ut his rationibus probari, de probari, Verbū ut spiratorem procedere ex cognitione Spiritûs Sancti; non autem Verbum sub ratione Filii formaliter: Distinguunt enim in processione Filii duos conceptus inadæquatos; unum, quo processio illa attingit Filium sub ratione Filii formaliter; & ad hanc terminationem inadæquatam, dicunt, per se non requiri cognitionem virtutis spirativæ, aut relationis spiratoris, ac proinde nec Spiritûs Sancti: Alium verò, quo procedit ut spirator; ad hunc autem fatentur, per se requiri cognitionem virtutis spirativæ, relationis spirandi, & ipsius Spiritûs Sancti.

342. Respondent Vasquez, & Alarcon, ut spiratorem procedere ex cognitione Spiritûs S. nō autē ut Verbū.

Sed cōtra illos multipliciter insurgo.

343. Sed contrà est. Tum quia Concilium Florentinum in litteris unionis ait: *Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre personaliter habet, à quo personaliter etiam genitus est.* Quibus verbis declaratur, Patrem gignendo Filium, ei dare hoc, quod est, Spiritum Sanctum procedere ab eo. Cum ergo ad perfectam rationem Filii ea omnia

pertineant, quæ Pater ei gignendo communicat; patet, quod virtus spirandi, quam Pater ei æternaliter communicat, ad perfectam rationem Filii pertineat. Tum etiam quia Verbum sub ratione Verbi refert similitudinem eorum omnium; hoc est, manifestat, exprimitque ea omnia, quæ Pater gignendo cognoscit, & cognoscendo communicat. At Pater cognoscit virtutem spirativam, quam Filio communicat; hæc autem cognosci non potest, non cognito Spiritu Sancto. Ergo. Tum quia præcipua Quæstio est, utrum Verbum sub ratione Verbi procedat ex cognitione Spiritûs Sancti? Quare ea distinctio de Verbo ut Filio, & de Verbo ut spiratore non videtur admittenda. Tum quia, ut supra ostendi, cum Filius in divinis eò sit talis, quò est Verbum Patris se ipsum intelligentis, à quo tamquàm à principio procedit; & concepto Verbo, sequatur processio Amoris; ad perfectissimam rationem Verbi pertinere videtur, ut ex eo procedat Amor, ac proinde Spiritus Sanctus: Hoc autem non potest esse, nisi Verbum divinum ex cognitione Spiritûs Sancti procedat.

LECTIO II.

Solvuntur argumenta.

2. Est. Cognitio per se nõ pendet ab objecto secũdario sed solùm à 1. divina autẽ essẽtia est 1. intellectionis objectum.

344. ARguitur primò ex Scoto contra secundam Conclusionem. Cognitio non pendet per se ab objecto secundario; sed solùm à primario, & specificativo. Sed sola divina essentia est objectum primarium divinæ intellectionis, ex quâ Verbum procedit. Ergo Verbum per se procedit ex solâ cognitione divinæ essentiæ; non verò Paternitatis, & aliarum relationum. Confirmatur. Objectum primarium priùs cognoscitur, quàm secundarium: Unde divina cognitio priùs terminatur ad essentiam, quàm ad Paternitatem. Sed in illo priori sufficiens est ad productionem Verbi. Ergo ex eâ ut præcisè terminatâ ad essentiam, procedit Verbum.

Respondeo, cognitionem intuitivã, & cõprehensivam depẽdere ab objecto 2. quãdo sine illo nequit cognosci primariũ.

345. Æquè militat argumentum contra plures Scoti discipulorum docentium, Verbum per se procedere ex cognitione attributorum; & tamen attributa, sicut & relationes pertinent ad objectum secundarium. Quarè ad argumentum distinguo majorem: Non pendet per se ab objecto secundario, quando sine illo objectum primarium potest intuitivè, & comprehensivè cognosci, transeat major; si sine illo non potest haberi cognitio intuitiva, & comprehensiva, nego majorem. Licèt enim Paternitas, & aliæ relationes ad objectum tantùm secundarium divinæ intellectionis spectent; quia tamen cognitio essentiæ, quæ est primarium ejus objectum, non potest esse intuitiva, nec comprehensiva, nisi ad divinas relationes terminetur. Ideo Verbum divinum petit per se procedere non solùm ex cognitione essentiæ; sed etiam relationum. Addiderim, cognitionem divinam non sequi modum nostrum cognoscendi, quo nos distinguimus vel ratione, vel virtualiter inter essentiam, attributa, & relationes: Cognitio autem divina non distinguit; sed tangit essentiam, & relationes absque ullâ propriâ distinctione: Ac proinde ea distinctio inter objectum primarium, & secundarium magis pertinere videtur ad nostrum modum concipiendi, vel cognoscendi; habito tamen fundamendo ex infinitâ perfectione Dei, & limitatione nostri intellectûs non adæquantis suâ intellectione infinitam illam, & inaccessibilem perfectionem.

Objectum 1. nõ cognoscitur prius prioritati se habẽte ex parte divinæ cognitionis.

346. Ad confirmationem distinguo majorem: Objectum primarium priùs cognoscitur prioritate se habente ex parte divinæ cognitionis, nego: Se tenente prioritate ex parte objecti primarii comparativè ad secundarium, transeat major. Sicut licèt unum relativum sit prius ex parte fundamenti alio, ut Pater creatus respectu sui filii; tamen qui cognoscit Patrem ut Patrem, non priùs illum cognoscit ex parte actûs, ac Filium; sed simul simultate cognitionis utrumque cognoscit. Vel dic consequenter ad dicta, quod sicut cognitio divina non distinguit inter essentiam, & relationes, sic non distinguit inter objectum primarium divinum, & secundarium. Verbum autem divinum non procedit secundùm modum, quo nos Deum cognoscimus, distinguendo inter objectum primarium, & secundarium; sed secundùm modum, quo Deus se ipsum cognoscit: In quo modo non datur ordo objecti primarii, nec secundarii, sicut nec distinctio.

Igitur in Deo dantur essentia, attributa, & relationes distincta 2 ratione.

347. Instabis. Ergo in Deo non dantur essentia, attributa, & relationes. Hoc autem est absurdum: Nam Deo verè tribuimus essentiam ut radicem attributorum, misericordiam, justitiam, & alia. Ergo. Distinguo consequens: Non dantur distincta secundùm rem, seu propriâ aliquâ distinctione, concedo: Non dantur distincta secundùm rationem, aut nomen, nego consequentiam. Constat solutio ex dictis: Ex quibus hîc rem breviter explico. Cum Deus sit infinitè perfectus tam in esse reali, quàm in esse intelligibili, non valet à nobis uno conceptu, nec uno nomine cognosci, seu explicari, saltem pro hoc statu; sic autem ob suammet perfectionem

ctionem sustinet omnia hæc, & alia nomina; scilicèt essentia, omnipotentia, misericordia, justitia, &c. quibus verè, & propriè correspondet aliquid in Deo: Nam misericordia significat perfectionem; & talis perfectio verè, & propriè est formaliter in Deo; & sic de aliis perfectionibus, quas alia nomina significant. Unde malè dicitur, quod istæ propositiones; scilicèt: *In Deo datur misericordia formaliter, & in Deo datur formaliter justitia:* Non importent ex parte objecti, seu ex parte Dei perfectionem formalem misericordiæ, & perfectionem formalem justitiæ; sed solùm diversos actus intellectûs; ita, ut uno actu dicatur formaliter misericors, & alio dicatur Deus formaliter justus: Quemadmodùm suâ peculiari ratione aliqui Recentiores circà alia objecta malè utuntur præcisionibus formalibus; hoc autem videtur esse contra sanam, & receptissimam Theologiam. Aliter enim per illas propositiones non significaretur, esse in Deo misericordiam, & justitiam formaliter; ac proinde solùm esse formaliter extrinsecè misericordem per unum conceptum, & formaliter extrinsecè justum per alium; quod, non video, quo pacto dici possit.

Duplici modo cõsideratur in Deo misericordia justitia, &c.

348. Dicendum igitur est, quod huic nomini *misericordia* correspondet aliqua perfectio ex parte Dei; & huic nomini *justitia*, correspondet etiam aliquid ex parte Dei, & sic de aliis nominibus, quæ verè Deo tribuimus. Duplici tamen modo debemus considerare hujusmodi perfectiones: Primò secundùm rem, & secundùm esse divinæ essentiæ; in hoc autem sensu idem est misericordia, justitia, essentia, & alia: Quia omnia, quæ diversis conceptibus cognoscimus, & diversis significamus nominibus, sunt una, & indivisibilis perfectio infinita in ipso Deo: Imò propriè loquendo, etiam formaliter à solâ divinitate dicuntur omnia attributa, quod sint perfectio Dei. Secundo modo consideramus ea, prout significantur diversis conceptibus, & nominibus: In hoc autem sensu misericordia, quæ est in Deo, est alia à justitiâ, quæ est etiam in ipso Deo: Non quidem diversitate rei; sed aliâ diversitate rationis; hoc est, diversitate conceptûs, aut nominis; sic ergo dicuntur in Deo esse essentia, attributa, omnipotentia, &c. quem modum semper observat Divus Thomas, ut alibi dixi.

Verbum divinum nõ solam essentiam repræsentat.

349. Arguitur secundò. Verbum solùm procedit ex cognitione illius, quod repræsentat. At solam essentiam repræsentat. Ergo. Minor probatur. Verbum repræsentat Patrem ut imago illius ratione essentiæ; non verò Paternitatis; cum solùm assimiletur Patri in essentiâ; non autem in Paternitate. Ergo per se repræsentat tantùm essentiam Patris. Concessâ majori, nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: Verbum est imago Patris ratione essentiæ inadæquatè, concedo: Adæquatè nego antecedens. Unde de ratione imaginis non solùm est, quod assimiletur in naturâ, quæ similitudo solùm est identitatis; sed insuper requiritur, quod repræsentet principium adæquatum, à quo procedit: Cum autem Verbum procedat à Patre, non solùm secundùm quod dicit naturam divinam; sed etiam secundùm quod notionale importat; necesse est, quod evadat ut imago expressa totius Patris, secundùm quod dicit Pater. Adde etiam, quod similitudo naturæ, quæ ponitur ex parte geniti in definitione generationis, cum sit similitudo originis, utrumque petit repræsentare.

Intellectio essentiæ prout in Patre, est fœcunda ad Verbi productionem; ly *prout* denotante generàdi principiũ.

350. Arguitur tertiò contra tertiam Conclusionem. Solâ intellectio essentiæ prout in Patre, est fœcunda ad Verbi productionem. Ergo Verbum ex solius essentiæ, & Paternitatis cognitione procedit. Antecedens probatur ex communi doctrinâ asserente, intellectionem ad productionem Verbi fœcundam, non esse communem; sed notionalem, & Patri propriam. Ergo sola intellectio essentiæ, prout in Patre, est fœcunda ad generationem. Distinguo antecedens: Sola intellectio prout in Patre, ly *prout* denotante subjectum, seu principium generandi, concedo; ly *prout* denotante objectum, seu terminum generationis, nego antecedens. Aliud enim est, quod essentiæ, & trium Personarum cognitio sit solùm fœcunda ad Verbi productionem, prout in Patre, & prout eadem cum Patre, vel Paternitate; & non prout in Filio, & Spiritu Sancto; hoc ergo verissimum est: Aliud autem, quod solius essentiæ, & Paternitatis cognitio fœcunda sit, & per se tantùm concurrat ad generationem; & hoc est falsum: Quia etiam cognitio tangens Filium, & Spiritum Sanctum, est fœcunda, prout appropriata Patri.

Objicitur. Cũ notitia intuitiva suum objectum supponat existens, filiatio nõ est cognoscibilis in illo priori, quo divina intellectio ad

351. Arguitur quartò. Filiatio pro illo priori, quo divina intellectio terminatur ad essentiam, non est cognoscibilis. Ergo Verbum ex cognitione illius nequit procedere. Antecedens probatur. Notitia intuitiva supponit suum objectum existens. Sed Filius in eo signo, in quo divina intellectio terminatur ad essentiam, non supponitur existens. Ergo in illo priori notitiam intuitivam terminate non potest. Jam verò cum abstractivè cognosci non possit, sequitur, quod in tali signo cognos-

essentiam terminatur.

cognoscibilis non sit. Hoc argumento Aversa, & alii convicti, dixerunt, Verbum non procedere ex cognitione sui intuitivâ; sed abstractivâ. Verùm displicent primò. Quia Verbum procedit ex cognitione beatificâ Patris, quæ intuitiva esse non potest absque cognitione clarâ totius Trinitatis. Secundò. Quia Verbum procedit ex cognitione intuitivâ, & comprehensivâ essentiæ divinæ. Sed essentia divina non potest intuitivè in se videri, non visis Personis; aliàs non videretur, ut est in se; cum sit in se tres Personæ. Ergo. Tertiò. Quia Verbum procedit ex eâ cognitione, quam Pater generando ei communicat. Ast notitia sui, quam Pater illi communicat, abstractiva non est; aliàs Verbum tantùm abstractivè, & non intuitivè se ipsum cognosceret. Ergo.

Respondeo, notitiâ intuitivâ practicam nõ supponere suum objectum existens.

352. Respondeo igitur, negando antecedens. Ad probationem distinguo majorem. Notitia intuitiva purè speculativa, & quæ causatur ab objecto, supponit objectum, concedo; notitia intuitiva, quæ habet idem esse cum objecto, supponit objectum, nego majorem. Et distinguo minorem: Sed Filius in eo signo, in quo cognitio terminatur ad essentiam, non supponitur existens, nec est existens existentiâ suppositi producti, sicut Pater est existens, concedo: Existentiâ suppositi producti à Paternitate, nego minorem. Igitur aliud est ordo, quem in divinis processionibus docet verissima Theologia; & aliud est, quod una Persona priùs habeat essentiam, existentiam, & alias perfectiones, quàm alia Persona: Primum est verum; secundum autem falsum. Ratio est. Quia simultas, & coæternitas in omnibus perfectionibus divinis æquè simul convenientibus tribus Personis, non tollit ordinem processionum divinarum: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus simul existunt, simul habent essentiam, &c. simul quidem: Sed Filius à Patre, & non ècontrà. Ecce ordinem inter Patrem, & Filium, quin inter eos tollat simultatem existendi; simul quidem; sed Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & non ècontra: En alium ordinem, quin etiam tollat simultatem essentiæ, existentiæ, & aliarum perfectionum in divinis Personis. Quare divina intellectio simul est in tribus Personis, simul omnibus illis coexistit; simul quidem; sed in Patre non accepta ab alio; in Filio verò accepta ab alio; in Spiritu Sancto accepta à Patre, & Filio; simul quidem cognoscit, & comprehendit omnia: Sed in Patre simul cognoscit, & comprehendit non accepta ab alio supposito; simul cognoscit, & comprehendit omnia in Filio; sed accepta à Patre; & idem in Spiritu Sancto; sed illi communicata à Patre, & Filio. Qui modus dicendi non solùm est conformis Divo Thomæ; sed Symbolo Almi Athanasii dicentis: *Sed in hâc Trinitate nihil prius, & posterius*, &c.

Idem ferè argumentũ à Valquio proponitur, contra 4. Conclusionem.

353. Arguitur quintò ex Vasquio contra quartam Conclusionem eodem ferè medio. Cognitio intuitiva terminatur ab objectum existens. Sed in eo priori, in quo Verbum procedit à Patre, non existit Spiritus Sanctus, cum nondum productus intelligatur, ejusque productio Verbi generationem supponat. Ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus Sancti. Concessâ majori, nego minorem. Quia nec Pater est prior in existendo ipso Filio, nec Spiritus Sanctus est posterior in existendo Patre, & Filio: Alia enim est prioritas originis, & alia existentiæ; prioritas quippe existendi dicit, quod unum existat taliter, ut quando, & eo modo, quo illud existit, alterum non existat; aliter prioritas existendi non erit; hoc autem in divinis minimè concedendum est. Prioritas autem originis, & prout talis dicitur, dumtaxat dicit ordinem; ita, ut licèt simul existant; cum ordine tamen existant; quod scilicèt unum existat, & producatur ab alio, & non ècontra. Pater igitur non aliâ ratione dicitur prior Filio prioritate originis, nisi quia non procedit à Filio; Filius verò procedit à Patre; non autem, quia priùs existat Pater, quàm Filius.

Aliã vĩã aliqui Recentiores procedit imaginãres quãdã signorum quasi distantiam.

354. Scio tamen, esse Recentiores, qui huic, & similibus argumentis in præsenti occurrunt hâc distinctione: Sed in illo signo, aut priori, in quo intellectio divina est in Patre, cognoscit essentiam divinam, & non existit Verbum; similiter in eo signo priori, in quo Verbum procedit à Patre, non existit Spiritus Sanctus; distinguunt: In illo, & pro illo, concedunt: In illo, & pro suo, negant. Fatentur ergo, cognitionem divinam in signo, & pro signo Patris non cognoscere Verbum existens, nec Spiritum Sanctum: At verò dicunt, cognitionem divinam in signo Patris cognoscere, Verbum existere pro suo signo, & similiter existentem pro suo signo posteriori Spiritum Sanctum: Imaginantes quandam quasi distantiam inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Quæ solutio, etsi aptè defendat, quo pacto divina cognitio sit intuitiva, & comprehensiva; cum intuitione, & comprehensione non videatur ea signorum prioritas, & posterioritas derogari; nihilominùs videtur confundere eam prioritatem, vel potiùs ordinem originis cum prioritate existendi, quæ non datur in divinis.

355. Ad

Id probo 1. ex magno Athanasio in Symbolo

355. Ad quod moveor primò ex Magno Athanasio in Symbolo Fidei sic dicente. *Et in hâc Trinitate nihil priùs aut posteriùs, nihil majus, aut minùs: sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt & coæquales.* Tunc sic. Sed si Pater aliquâ prioritate esset in existendo prior, vel in aliâ perfectione, jam esset in Trinitate prius & posterius. Ergo. Secundò. Quia prioritas originis solùm est quidam realis ordo, in hoc præcisè stans, quod Pater à nullo sit, & Filius à Patre; Spiritus verò Sanctus à Patre & Filio. Sed ex hoc ordine originis non sequitur, quod Pater priùs in aliquo signo existat, cognoscat, &c. quàm Filius. Ergo pro nullo signo existit priùs, nec cognoscit. Probatur minor. Stante eo ordine reali originis, eâdem ratione, quâ docetur in Symbolo, quod in Trinitate nihil sit majus aut minus; docetur, nihil esse prius, aut posterius. At licet detur talis ordo, aut prioritas originis, nusquam dicitur, nec dici potest, quod pro aliquo signo Pater sit major Filio. Ergo neque prior præsertim in existendo.

Aliis rationibus assumptis suadeo.

356. Tertiò. Quia stando verbis, & datæ solutioni, verùm est dicere, quod Pater est realiter prior Filio prioritate reali originis. Sed non est verum dicere, quod Pater existat realiter Filio prior prioritate reali existentiæ; nec judico, fore concedendum ab aliquo ex Theologis. Quartò. Quia Divus Thomas in 1. ad Annibaldum distinct. 12. quæst. unicâ, artic 1. in corpore. Sic ait: *In divinis secundùm Augustinum est solus ordo naturæ; scilicet secundùm originem, quâ unus ex alio: non ordo secundùm prius, & posterius, quo unus est prior alio: Unde Pater Filio, aut Spiritu Sancto nullo modo prior est, nec è converso; quia secundùm naturam unum sunt, secundùm proprietates personales correlativè se habent: relativa autem sunt simul naturâ duratione, & intellectu: & sic una Persona nullo modo est prior alterâ. Unde quando dicitur, quod Pater est prior origine Filio (quia sic usus apud Recentiores obtinuit) ly* prior *non denotat primam prioritatem, sed solùm ordinem, scilicet Patrem non esse à Filio, benè verò Filium à Patre. Unde licet nullum sit signum, in quo non coexistant simul Pater, & Filius, semper servatur & intelligitur ordo ille realis originis, medio quo sic simul coexistunt, ut Filius coexistat Patri, ab eo procedendo; & Pater coexistat Filio, sed à nullo procedendo.*

Verbum ex Spiritûs S. cognitione procedēs non est ejus imago.

357. Arguitur sextò. Si Verbum ex cognitione Spiritûs Sancti procederet, esset ejus imago. Hoc nō. Ergo. Major probatur. Quia Verbum universaliter est imago illius objecti, ex cujus cognitione procedit. Nego majorem. Quia licet in Verbo cognoscantur omnia objecta, ex quorum cognitione procedit: non tamen dicitur imago respectivè ad objecta, & terminos cognitionis, sed solùm per objectum ad principium, quod se intelligendo produxit Verbum: cùm autem Spiritus Sanctus solùm se habet ut terminus, & objectum cognitionis, ex quâ Verbum procedit, inde est quod Verbum non sit imago Spiritûs Sancti, sed solùm Patris à quo in similitudinem ejus procedit: nam imago & similitudo, quæ specialiter relucent in Verbo solùm sunt per originem, quæ origo respectu Verbi solùm attenditur per ordinem ad Patrem.

QUÆSTIO VII.

An Verbum Divinum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium.

NEMO ita in Theologiâ hospes, & Peregrinus, ut planè ignoret, quantùm circa possibilitatem creaturarum intercedat dissidium cùm inter Theologos, tum inter Philosophos; in quonam scilicet ea consistat? An creaturæ possibiles sint actu distinctæ à Deo necne? An detur relatio transcendentalis Dei ad possibilia? & alia, quæ passim in Scholis agitantur. Circa quæ ante resolutionem principalis quæstionis, oportet per summum saltem verticem delibare nonnulla.

LECTIO I.

Prænotantur aliqua circa possibitatem creaturarum.

Displicet Recentiores dicentes, creaturas possibiles esse actu realiter distinctas à Deo.

358. CElebris aliquorum Recentiorum opinio est, creaturas possibiles esse actu realiter distinctas ab ipso Deo. Juxta quorum sententiam divina cognitio tangens primariò essentiam, quasi ex eâ movetur & fertur ad videndum extra se creaturas possibiles distinctas actu realiter ab ipso Deo: cùm certum sit, in ipso Deo actu distinctas non esse: Ubinam autem, aut in quibus imaginariis spatiis illas attingat, non est facilè percipere; sed nec explicare actualem earum distinctionem à Deo. Idcircò hunc discurrendi modum ab ipsâ Philosophiâ impugnavimus, nec dignè cogitamus de Deo, nec verè si ipsum imaginemur, quasi extra se ab æterno suâ cognitione ire ad videndum ea quæ nullum esse proprium habent, nec in se nec in aliquo medio distincto à Deo: quidquid autem verè & propriè cognoscitur, vel debet existere in se, vel debet existere in aliquo medio

ut

ut cognoscatur: extra Deum autem creaturæ nec habuerunt esse in se ipsis actu distinctum ab ipso Deo; nec fuit aliquod medium, in quo possent cognosci, cùm de tali sit eadem difficultas. Ergo talis discurrendi modus. &c.

Quid alibi de possibilibus à Deo distinctis, & cognitis senserim breviter attingo.

359. Quo autem pacto creaturæ possibiles distinguantur à Deo, & cognoscantur. In Philosophiâ docui, & in materiâ de Gratiâ, & libero arbitrio, tract. 3. Ne tamen hîc omnia desiderentur, aliqua, prout spectant ad notitiam præsentis disputationis, breviter attingam. Dicimus ergo primò Angelum, hominem, & cœtera contineri in Deo ratione suæ essentiæ, scientiæ, & omnipotentiæ longè meliori modo, & perfectiori modo, ac continentur, & sunt in se ipsis. Dicimus secundò naturas Angeli, & hominis, &c. prout contentas in Deo esse ipsum Deum. Dicimus tertiò Deum suam essentiam cognoscentem, cognoscere etiam naturas Angeli, & hominis, &c. ratione suæ continentiæ, ad modum, quo videndo aliquis sui imaginem in speculo, cognoscit & videt se, sicuti est, mediante tali imagine. Ratio est. Quia duplici modo cognoscitur & videtur res, vel in se ipsâ, vel in aliquo medio expressivo sui, in quo continetur modo proportionato, ut cognoscatur. Cùm ergo nullus possit se ipsum videre, ut experientiâ constat; sequitur quod solùm se videat, eâ mediante specie, aut imagine, quæ sui ipsius in speculo apparet. Dicere autem, quod in speculo non est imago propria Petri, v. g. est negare oculis, quod ipsis videmus. Jam verò cum in esse cognoscibili longè perfectiori, & clariori modo contineantur in Deo naturæ Angeli, hominis, aliarumque rerum; inde est, quod se ipsum videndo Deus, tales, & omnium rerum naturas cognoscat. Hæc igitur ita conspicua sunt, ut vix de illis possit esse dissidium inter Doctores, quod non sit plerumque de modo loquendi.

Unde Deus ab æterno in solâ suâ essentiâ rerum naturas cognoscit.

360. Ex his ergò juxta dicta locis citatis, infero primò Deum ab æterno in nullo alio medio rerum naturas vidisse, nisi in solâ suâ essentiâ, aut in aliis perfectionibus, seu prædicatis divinis ratione continentiæ. Ratio est. Quia omne, quod verè cognoscitur, vel cognoscitur in suo esse proprio, vel in aliquo medio, in quo existat cum proportione, ut cognoscatur. Sed ab æterno natura Angeli, hominis, &c. non habuerunt esse proprium, seu existentiam propriam distinctum à Deo, nec fuit aliud medium præter ipsam divinam essentiam. Ergo.

Aliud est quidditas Angeli v. g. & aliud ejus existentia.

361. Infero secundò. Aliud esse quidditatem, vel essentiam Angeli, vel hominis; & aliud existentiam, seu esse Angeli, vel hominis. Ratio etiam est. Tum quia ex dictis in Metaphysicâ, in rebus creatis esse, & existentia distinguuntur realiter: solus enim Deus existit per suam essentiam; cœtera verò alia non per essentiam, sed solùm accidentaliter, & contingenter existunt. Tum quia de naturâ Angeli ab æterno verificatur, quid esset, aut quid sit, quod spectat ad quidditatem, & essentiam Angeli; non tamen verificatur, nec potuit verificari, quod esset: quia hoc pertinet ad existentiam, quam non habuit Angelus ab æterno; sed solùm in tempore.

Alia est quidditas naturæ angelicæ & quidditas humanæ, adhuc in esse possibili.

362. Infero tertiò. Quod licet naturæ Angeli & hominis secundùm esse, quod habent in Deo secundùm quod in illo continentur; non distinguantur actu; quia ut sic sunt ipse Deus; nihilominùs alia est quidditas naturæ Angelicæ, & alia naturæ humanæ. Ratio est. Quia quidditates rerum colliguntur ex diversis rationibus, vel definitionibus, quibus definiuntur. Sed si ex nunc pro tunc Angeli naturam definire velimus, aliam ei definitionem tribuimus, quam si velimus naturam hominis definire. Ergo.

Propriè loquendo naturæ angeli & hominis non distinguuntur actu inter se, nec à Deo.

364. Infero quartò. Propriè loquendo, naturas hominis & Angeli non distingui actu inter se, nec à Deo. Ratio est. Quia quod non est, nec fuit, actu non distinguitur; sicut quod actu non est, actu nec amat, nec amatur; etenim de quo non verificatur significatum verbi substantivi *sum, es, fui*: certum est, non verificari significatum alterius verbi adjectivi, v. g. *amo, lego*, aut *distinguo*. At de naturis Angeli, hominis, quidditativè sumptis non verificatur ab æterno actus significatus verbo substantivo *sum, es, fui*. Ergo nec actus significatus per quodlibet aliud verbum, quod necessariò supponit verbum *sum*, vel ejus significatum. Discursus tenet, & facilè per partes ostendi potest. Majorem ejus probo. Verbum *sum* non fuit impositum ad significandū ea, quæ à solo Deo possunt habere esse; sed ad significandum solùm ea, quæ actu sunt, & habent esse à Deo; ac proinde verbum *sum* significat actum essendi extra causas. Sed quilibet alius actus cujuscumque verbi adjectivè significatus, ut *amor, lectio, &c.* à fortiori supponunt actum primum essendi. Ergo. &c. Etenim per hæc verba: *Ego amo*, significo explicitè, & formaliter actum amandi, seu amoris, & suppono actum essendi. Ratio est. Quia ly *ego amo*, resolvitur sic: *ego sum amans*: per quæ verba importantur duo actus in meo supposito: alius primus, qui est actus essendi significatus in verbo *sum*, & alius, qui est secundus, significatus in verbo *amans*, nimirùm *amor*: Unde sicut est impossibile, aliquod suppositum amare, & distingui ab alio, quin sit & sit, & habeat esse; sic est impossibile, quod de aliquo supposito verificetur actus verbi adjectivi, quin priùs verificetur actus verbi substantivi, qui est actus primus, & essendi.

364. Probatur minor primi discursûs. Quia

Præjacti assumpti ratio ultra promovetur.

Quia natura Angeli ab æterno ut significata suâ definitione, nullum dicit esse actuale; definitio enim non significat, Angelum esse; sed quid sit Angelus; quæ sunt diversa ex dictis cum Divo Thomâ in superiori Quæstione de Relationibus, de differentiâ inter esse quidditativum, & esse actuale. Sed esse actuale, aut exercitium essendi significatur Verbo substantivo *sum*. Ergo significatum hujus Verbi non verificatur de essentiâ Angeli ab æterno. Patet consequentia. Quia omne esse vel est alicujus increati, vel alicujus creati. Sed natura Angeli significata suâ definitione, ab æterno non habuit secundùm se esse quidditativum increatum; aliàs quidditas Angeli esset Deus; nec habuit esse creatum; aliàs Angelus ab æterno extitisset. Ergo. Nec obstat, si dicas, naturam Angeli habuisse esse possibile ab æterno; hoc autem nihil est: Quia solùm ex hoc deducitur, ab æterno fuisse in Deo potentiam ad dandum esse naturæ Angeli; non verò probatur, habuisse esse, nec illud à Deo ab æterno accepisse, vel naturam Angeli illud habuisse per suam quidditatem.

Naturæ Angeli, & hominis solùm possunt dici quidditativè distinctæ ab æterno.

365. Infero quintò. Naturas Angeli, & hominis solùm posse dici fuisse ab æterno quidditativè distinctas; idest, ratione, & definitione, cum à Deo, tum inter se. Ratio est. Quia licèt prout continentur in Deo, & secundùm esse, quod in illo habent, nullatenùs distinguantur; tamen cum hoc non tollat, quod habeant rationes distinctas, vel diversas, & possint diversis definitionibus definiri, juxtà modum, quo est dictum suprà de relatione, & essentiâ; planè deducitur, tales naturas quidditativè, & per diversas definitiones distingui.

Tales naturę quidditativè sumptæ, sunt objecta simplicis intelligętię.

366. Infero sextò. Tales naturas, sive essentias quidditativè sumptas, esse objecta simplicis intelligentiæ. Etenim Deus suam videns essentiam, quasi ex illâ movetur ad cognoscendas rerum quidditates, & essentias simplici quâdam intelligentiâ; quemadmodùm cùm in speculo videmus imaginem Petri intrantis per ostium, cognoscimus tali imagine mediante, Petrum intrare: Dicimusque verè, non imaginem Petri, nec Petrum prout in imagine intrare per ostium; sed ipsum proprium Petrum; quia licèt ipsum proprium non videamus, videmus tamen illum mediante suâ imagine intentionali. Unde si Deus infunderet, vel objiceret nobis in aliquo speculo speciem claram, & propriam Antichristi; certè sciremus, & videremus verè ipsum Antichristum, non quidem in se ipso; sed eâ mediante specie, & imagine: Quantò ergo magis Deus in suâ essentiâ, quæ est veluti quoddam infinitum exemplar, causa, & omnium rerum repræsentatio?

Unde tota Quæstio de creaturis possibilibus magnâ ex parte devolvitur ad voces.

367. Ex omnibus hucusque dictis, suspicor, dissidium totum circà creaturas possibiles magnâ ex parte esse de voce: Primò. Quia omnes fatemur, Deum scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscere quidditates Angeli, hominis, & aliarum rerum: Differentia tamen solùm est; quia Recentiores illi dicunt, esse actu distinctas à Deo, & inter se; nos verò dicimus; esse solùm distinctas quidditativè, & per diversas definitiones; non autem actu: Quia nullum actum essendi habent; quæ enim actu non sunt, actu non distinguuntur; hæc igitur differentia multum habet de nomine.

Assũptũ probo in sententia ponente creaturas possibiles inter se, & à Deo actu distinctas.

368. Secundò. Quia illi Recentiores dicunt, tales rerum quidditates esse ab æterno possibiles intrinsecè; nos verò ex opposito dicimus, non esse possibiles intrinsecè; sed solùm extrinsecè, & à solâ Dei omnipotentiâ; ita, ut naturas Angeli, & hominis possibiles esse ab æterno; nihil aliud sit, quàm dari in Deo ab æterno veram, realem, & actualem potentiam, ad dandum esse actuale illis naturis Angeli, & hominis, quas quidditativè cognoscit: Ac proindè tales quidditates, & essentiæ denominantur esse possibiles, verè à verâ omnipotentiâ Dei potentis illis dare esse. Ratio hujus doctrinæ est. Tum quia natura Angeli actu denominatur realiter possibilis. Sed denominatio realis actualis necessariò dicit formam realem, & actualem, seu existentem. Ergo cum ex parte naturæ Angeli quidditativè nihil fuerit actuale ab æterno; & solùm ab æterno fuerit actu omnipotentia Dei, ab hâc ut à formâ actuali denominantur realiter actu possibiles naturæ rerum ab æterno. Tum quia denominatio realis actualis possibilis provenit à potentiâ reali actuali, sicut denominatio albi ab albedine. Potentia autem actualis est duplex, vel activa, vel passiva. Sed quidditates rerum ab æterno ex parte sui nec fuerunt potentia activa realis actualis, nec passiva. Ergo. Major patet.

369. Minor autem probatur quoad primam partem. Quia potentia activa, quâ aliquid denominatur esse possibile, est virtus dandi, vel producendi esse. Hanc autem potentiam, certum est, non habuisse ab æterno naturam Angeli, hominis, &c. aliàs ab æterno tales naturæ habuissent potentiam activam ad dandum sibi esse. Ergo. Quoad secundam partem etiam probatur. Quia potentia realis passiva ut oppositа potentiæ reali activæ, vel est prima; sic autem est materia prima prin-

principium receptivum formarum substantialium: Hæc verò non fuit ab æterno, nec tales naturæ fuerunt materia prima, nec Deus eâ indiguit; cum ex nihilo omnia condiderit: Vel est potentia, aut materia secunda materialis, quæ solet dici compositum materiale existens, quod etiam non fuit ab æterno: Vel alia potentia passiva aliorum accidentium; quæ etiam non fuit propter easdem rationes. Ergo nulla fuit potentia realis passiva, quâ quidditates rerum denominarentur actu possibiles, & quæ corresponderet potentiæ activæ Dei ab æterno; cum omnis potentia realis passiva, si detur, correspondere debeat activæ.

370. Ulteriùs de naturâ Angeli, & hominis ab æterno solùm prædicatur quidditativè id, quod explicatur per suam definitionem. Sed nullius rei essentia definitur per hoc, quod sit possibilis esse formaliter, ut patebit per cujusvis rei definitionem. Ergo res non dicuntur actu possibiles per sua prædicata essentialia; sed solùm extrinsecè per actualem, & realem potentiam Dei potentis dare illis esse in propriâ naturâ. Major patet. Minor probatur. Tum quia verior sententia docet, Angelum, & hominem potuisse esse ab æterno; in quo casu natura Angeli, & hominis eandem haberent essentiam; & tamen non essent possibiles esse, ut extitissent ab æterno; sed de facto habuissent esse. Ergo denominatio purè possibilis (de quâ loquimur) & prout excludit existentiam, non est formaliter de essentiâ naturæ Angeli, nec hominis.

Nõ ex eo, quod essentiæ rerũ ex se non repugnẽt ab æterno nõ denominantur intrinsecè actu possibiles.

371. Dices. Essentiæ rerum ab æterno ex se non repugnant esse. Sed idem est formaliter non repugnantia ad essendum, ac denominatio possibilis. Ergo creaturæ ex se intrinsecè actu denominantur possibiles. Concessâ majori, nego minorem. Ratio est. Quia non repugnantia ad essendum est quid negativum, quod quasi consequitur ad quidditatem, seu essentiam Angeli; sicut enim ad essentiam Angeli consequitur, quod quidditativè non sit essentia hominis, sic consequitur, quod non sit repugnans existere, vel quod non sit chymæra: Hoc autem negativum explicatur per hoc, quod sit non repugnans. Unde ad naturam Angeli negatio repugnantiæ chymæricæ. At verò denominatio possibilis non est quid negativum; sed solùm positivum proveniens formaliter à formâ positivâ; scilicèt à potentiâ reali actuali, per quam Deus denominatur actualiter intrinsecè potens, & res denominatur extrinsecè possibilis; sicut per eandem visionem dicitur potentia intrinsecè videns, & objectum extrinsecè visum. Quarè sicut non est idem: *Deus est potens intrinsecè producere, ac non repugnat Deo potentia ad producendum*: Quia primum est denominatio formalis positiva; secundum verò est denominatio negativa; sic non est idem: *Natura Angeli est possibilis esse, ac natura Angeli est non repugnans esse*: Quia per primum importatur formaliter omnipotentia Dei, à quâ est extrinsecè possibilis natura Angeli; & per secundum importatur negatio quædam impossibilis, aut chymæræ ad existendum; seu negatio repugnantiæ, ut denominetur possibilis; seu negatio duplicis contradictorii sequuta ad veram Angeli quidditatem.

His præjactis, quidquid sit de modo, & diversitate opinandi; cum omnes supponamus, quidditates rerum, quæ dicuntur possibiles independenter ab omni esse, & dependentiâ; videndum est, an Verbum divinum per se procedat ex cognitione rerum possibilium, quoquomodo istæ propugnentur?

LECTIO II.

Verior sententia proponitur, & probatur.

Utrinquè acriter decertatur.

ACriter Doctores ex utrâque parte in hoc puncto decertant. Scotus in secundo distinct. 1. quæst. 1. P. Vasquez disputat. 143. cap. 3. & 6. & alii relati à P. Borrull disputat. 17. sect. 3. & Magist. Gonet disputat. 9. artic. 2. absolutè negant, Verbum procedere ex cognitione creaturarum possibilium. Econtrà verò affirmant eximius Doctor P. Suarez, Molina, Valentia, quos citat, & sequitur Arriaga; præter alios cùm nostros, tum Thomistas, quibus omnibus subscribit Borrull.

Igitur Verbũ divinũ per se procedit ex cognitione possibiliũ.

372. Sit ergo Conclusio nostra. Verbum divinum per se procedit ex cognitione possibilium. Ita Angelicus Doctor 1. parte, quæst. 34. artic. 3. sic docens: *Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantùm; creaturarum autem cognoscitiva, & factiva: Ita Verbum Dei ejus, quod in Patre est, est expressivum tantùm, creaturarum verò expressivum, & operativum.* At quia nomine creaturarum simpliciter intelliguntur ea, quæ actu existunt; Verba Divi Thomæ sunt ita clara pro creaturis possibilibus, sicut & alia loca, quæ pro nobis adducuntur à Goneto, ut explicatione, vel interpretatione non egeant.

Clariùs in quæst. 2.

373. Clariùs igitur ex Divo Thomâ quæst. 2. de scientiâ Dei, artic. 8. in corpo-

de scientiâ Dei, art. 8. in corpore.

corpore; ibi: *Patet ergo, quod Deus potest cognitionem habere aliquorum non entium; & horum quidem quorundam habet quasi practicam cognitionem; scilicèt quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ ex ejus scientia secundùm ejus dispositionem prodeunt: Quorundam verò, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt; quæ scilicet nunquàm facere decrevit; habet quidem speculativam cognitionem.* Tunc sic. Ea, quæ nunquàm facere disposuit, sunt purè possibilia, quorum habet cognitionem speculativam. At Verbum procedit ex cognitione eorum omnium, quæ sunt in scientiâ. Ergo ex cognitione possibilium. Et ibidem ad primum ait: *Dicendum, quod illa, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt, sunt aliquomodò existentia in potentiâ Dei, sicut in principio activo; vel in bonitate ejus, sicut in causâ finali.* Cum ergo Deus cognoscat, & exprimat Verbo ea, quæ continentur in principio activo, aut essentiâ divinâ, sequitur idem, quod priùs.

Item quia Verbum procedit ex cognitione cõprehensivâ divinæ essentiæ, & omnipotentiæ.

374. Probatur secundò Conclusio à ratione. Verbum divinum per se procedit ex cognitione comprehensivâ divinæ essentiæ, & omnipotentiæ, ac per consequens ex cognitione illorum, sine quibus divina omnipotentia comprehendi non potest. Sed omnipotentia comprehendi non potest, incognitis possibilibus. Ergo. Major est certa, & patet ex Quæstione præcedenti. Minor probatur primò ex Divo Thomâ 3. parte, quæst. 10. artic. 2. ubi probat, animam Christi Domini in Verbo non cognoscere omnia, quæ continentur in illo; quia aliàs istud comprehenderet: Sentit ergo Divus Thomas, ex cognitione omnium effectuum in causâ, inferri comprehensionem causæ; ac proindè eam comprehendi non posse, non cognitis effectibus in illâ contentis. Probatur secundò illa minor. Tum quia non stat, causam comprehendi, nisi in eâ cognoscatur omne, quod in illâ, & ex illâ cognosci potest. Sed creaturæ sunt cognoscibiles in omnipotentiâ divinâ; cum in illâ contineantur perfectissimè. Ergo omnipotentia comprehendi non potest, non cognitis creaturis possibilibus. Tum quia virtus causæ non potest comprehendi, nisi cognoscantur, quæ in eâ continentur. Sed omnipotentia est virtus operativa Dei, in quâ continentur possibilia. Ergo.



LECTIO III.

Solvuntur argumenta contraria.

Ex scientiâ nostrâ nõ sequitur, Verbu divinũ esse imaginem possibilium.

375. ARguitur primò ex P. Vasquio. Si Verbum ex cognitione creaturarum possibilium procederet, sicut esset Verbum creaturarum, ita & illarum imago dici posset, præsertim cum in Persona Filii ratio Verbi, & imaginis nullatenùs distinguantur. Sed Verbum divinum neque est, nec dici potest imago creaturarum. Ergo non procedit ex illarum cognitione. Nego sequelam. Ratio est. Quia licèt Verbum in quantum est expressivum, & similitudo propria illius, à quo procedit; scilicèt Patris, sit ipsius imago; non tamen prout est expressivum, & solùm manifestativum eorum omnium, quæ cognoscit Pater. Unde ratio imaginis, & propria similitudo in Verbo solùm habetur per processionem, & originem respectu illius, à quo procedit: Cum autem non procedat à creaturis, nec istæ se habeant ut principium Verbi; sed solùm ut objectum cognitum; patet, quod licèt respectu illarum possit dici Verbum, quia hoc est etiam manifestativum ipsarum; nullo tamen modo potest dici imago, sicut nec Filius illarum; & ideo dixi, secundam Personam esse Filium; quia Verbum non utcumque; sed in quantum Verbum principii se intelligentis, à quo procedit.

Solùm in creatis est verum ab objecto, & potentiâ parit notitiam.

376. Instabis. Ab objecto, & potentiâ paritur notitia, ac proindè Verbum. Ergo Verbum divinum cum sit quædam quasi notitia, procedit non solùm à scientiâ, & potentiâ Patris; sed etiam ab objecto. At respectu illius, à quo procedit, est imago. Ergo respectu creaturarum possibilium, licèt istæ sint objectum, erit imago, si ex earum cognitione procedit. Respondeo distinguendo antecedens: In creatis, concedo: In divinis, nego antecedens. Ratio disparitatis est. Quia in creatis, ut producatur Verbum, fœcundatur potentia, seu intellectus possibilis per speciem missam ab objecto, ut constat ex Animasticâ; & propterea dicitur, quod Verbum, seu notitia creata paritur ab objecto, & potentiâ; & similiter quod scientia creata est acquisita, & quod sumitur à rebus. At verò scientia divina nec sumitur ab objecto creabili, nec creato, neque ex creaturis derivatur aliquid, quo intellectus divinus sit fœcundus ad productionem Verbi; sic autem nec

per se, nec per aliquam speciem sic possunt esse, aut dici principium Verbi divini, licèt per se requirantur ut objectum principii ad Verbi productionem; quod valde diversum est.

377. Arguitur secundò ex eodem. Id per se non concurrit ad Verbi productionem, quo deficiente, maneret Verbum. At licèt creaturæ possibiles deficerent in ratione objecti, Verbum adhuc existeret. Ergo. Minor probatur primò. Quia Deus non dicit relationem ad creaturas possibiles. Ergo seclusis possibilibus, maneret Deus cum suâ scientiâ, ac proindè cum suo Verbo. Secundò. Quia primum ens, & magis necessarium ad sui existentiam nequit dependere ab ente minùs necessario. Tale est Verbum divinum respectu possibilium. Ergo. Respondeo, concessâ majori, negando minorem. Ad primam probationem, concedo antecedens. Tum quia relatio, quæcumque excogitetur, si actualis est, debet esse unius actu distincti ad aliud actu distinctum: Creaturæ verò possibiles, sive rerum quidditates sicut actu non sunt, sic nec sunt actu distinctæ, ut constat ex dictis. Tum quia sicut nulla relatio potest excogitari, nisi fundamenti, & subjecti actu existentis, sic nequit excogitari nisi ad terminum actu existentem; sicut enim relativa ut talia petunt esse simul naturâ, & cognitione; sic à fortiori petunt esse simul existentiâ; nec est ratio, cur unum debeat esse actu existens; & aliud, quod se habet ut terminus, non debeat esse existens.

Si creaturæ possibiles deficerent in ratione objecti, Verbū divinum nō existeret.

378. Ex his tamen non probatur, Verbum non procedere per se ex cognitione earum quidditatum, quæ dicuntur possibiles esse; quia ad hoc non requiritur ulla vera, & propria relatio; sed solùm quædam connexio divinæ cognitionis cum possibilibus; quæ connexio non importat ullam imperfectionem, & dependentiam, sicut propria relatio; stat enim talis connexio in eo, quod cognitio divina ex eo, quod terminetur ad essentiam, quæ est medium perfectissimè, & absque ullâ dependentiâ continens omnem creaturam; non possit simplici quâdam intelligentiâ speculativè non tangere quidditates rerum longè perfectiori modo, ac nos mediante specie repræsentativâ Petri, in speculo videmus eum verum, & proprium, non in se ipso, cum visio nostra non tendat in Petrum nobis à tergo positum, & ut est in suo esse physico; sed solùm mediante tali imagine intentionali.

Inde non sequitur, Verbū nō procedere per se ex possibiliū cognitione.

379. Ad secundam respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Quia creaturæ possibiles cùm nullo modo habeant esse actu, nullo modo sunt ens: Ens enim propriè est, quod habet esse. Dicere autem, quod sunt ens possibile, est nihil dicere; cum per hoc solùm dicatur, quod possint esse ens; ideſt, quod possint habere esse ab omnipotentiâ Dei potentis illis dare esse. In hoc autem sensu possumus dicere, quod possunt distingui, amare, currere, & alios actus habere; supposito tamen actu primo essendi; cum igitur nullus dependeat in suo esse ab eo, quod non est; nec habet esse; hinc est, quod licèt Verbum procedat ex cognitione possibilium, nullo modo dependeat ab illis, nec ut ab ente minùs necessario, ut intendebat argumentum.

Creaturæ possibiles cū nullatenùs sint actu, nullatenùs sunt ens.

380. Arguitur tertiò. Divina cognitio priùs intelligitur terminata ad essentiam, quàm ad creaturas possibiles. Sed pro eo priori est fœcunda ad productionem Verbi. Ergo. Major patet. Quia essentia divina est objectum primarium; possibilia verò objectum secundarium. At cognitio priùs terminatur ad objectum primarium, quàm ad secundarium. Ergo. Distinguo majorem: Priùs prioritate dignitatis objecti, concedo: Prioritate *in quo*, seu ratione cognoscendi, nego majorem: Divina ergo cognitio simul cognoscit essentiam, & quidditates rerum; sed has ex motivo essentiæ, & non è contrà; quemadmodum simul cognoscit, Patrem, & Filium; hunc verò à Patre procedentem, & non è contrà.

Divina cognitio priùs prioritate dignitatis objecti terminatur ad divinam essentiam.

381. Arguitur quartò Spiritus Sanctus non procedit ex amore creaturarum. Ergo nec Verbum ex cognitione possibilium. Consequentia patet à paritate rationis. Quidquid sit de antecedenti, respondeo negando consequentiam. Ratio discriminis est. Quia omnipotentia divina ut comprehensa in ratione cognoscibilis, cum possibilibus necessariò connectitur, juxta dicta ad secundum argumentum; eo quod de conceptu comprehensionis in ratione cognoscibilis *sit* terminari ad objectum, cognoscendo, quidquid est in illo, & ex illo cognoscibile: Creaturæ autem sunt cognoscibiles, mediante divinâ essentiâ, aut omnipotentiâ, ut constat ex dictis. At verò essentia, aut omnipotentia ut amabilis, amore etiam comprehensivo, non connectitur cum possibilibus; quia in eo statu, in quo nullum habent esse, non sunt capaces terminandi amorem; bonum enim est, sicut perfectum; nec enim valet: *Est cognoscibile; ergo amabile*: Nam negationes, cœcitas, chymæra, imò malum ut tale sunt propriè cognoscibilia, quin terminare possint amorem.

Differentiæ, cur Spiritus S. non procedat ex amore creaturarum.

382. Ar-

Omnipotentia ut cognoscibilis à nobis, non connectitur cum possibilibus in particulari.

382. Arguitur quintò. Omnipotentia Dei ut cognoscibilis non connectitur essentialiter cum creaturis possibilibus in particulari; sed solùm cum ente creabili, & possibili ut sic. Ergo. Antecedens probatur. Nulla potentia ut cognoscibilis connectitur cum termino materiali; sed solùm cum formali. At ens creabile ut sic est terminus formalis omnipotentiæ, sicut verum, & intelligibile ut sic est formale objectum intellectûs. Ergo. Distinguo antecedens: Omnipotentia divina ut cognoscibilis abstractivè à nobis, concedo; ut cognoscibilis comprehensivè, sicuti à Deo cognoscitur, nego antecedens. Quia ut sic non potest cognosci, quin cognoscantur omnia, quæ in illa continentur: Cum autem creaturæ in illâ contineantur; inde est, &c.

383. Arguitur sextò. Si Verbum procederet ex cognitione contingentium, esset contingens. Ergo si procedit ex cognitione possibilium, erit possibile. Hoc argumentum passim auditur in disputationibus; est enim non vi; sed vulgaritate solùm celebre; nec video, quarè qui eo utuntur, ex eodem antecedenti non inferant: Ergo si Verbum procederet ex cognitione chymæræ, esset chymæra: Ergo si procederet ex cognitione peccati possibilis, esset peccatum possibile: Ergo si ex cognitione Patris, & Spiritûs Sancti, esset Pater, & Spiritus Sanctus. Argumentum autem multum probans, nihil probat. Quarè quidquid sit de antecedenti (de quo postea) nego consequentiam. Ratio disparitatis est. Quia si Verbum procederet per se ex cognitione contingentium, procederet ex principio libero; cum nullum contingenter existat, nisi per liberam voluntatem Dei: Jam verò cum omne, quod per se procedit ex principio libero, sit contingens, planè infertur, procedens Verbum per se ex principio libero, consequenter fore contingens: Quia omnis terminus petens per se liberè produci, contingens est. At verò ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione possibilium, non sequitur, quod in Deo detur aliquid, quod sit possibile, & non in actu; sed solùm dari in Deo aliquid necessariò existens, quod potest dare esse proprium possibilibus; communicando tamen suum esse proprium, & necessarium suo termino ad intra producto.

Do discrimen, cur Verbū ex cōtingētiū cognitione procedens, esset cōtinges; & non possibile, ex cognitione possibilium.

Implicatio est, aliquem terminū procedere ut possibilem ab aliquo principio.

384. Unde in ipsis terminis implicat argumentum. Quis enim capiat, quod aliquis terminus realiter procedat ab aliquo principio, vel causâ ut possibilis, quando omnis productio tendit ad dandum esse? Unde sicut licèt objectum divinæ cognitionis sit possibile, non inde infertur, quod ipsa cognitio, aut principium divinum sapiat conditionem objecti. Ita, ut ipsa cognitio, vel principium sit possibile; sic ex eo, quod Verbum procedat ex cognitione objecti possibilis; non sequitur, quod ipsum Verbum sapiat conditionem objecti ita, ut sit possibile, sicut est ipsum objectum: Sed solùm quod sicut cognitio divina est necessariò existens, & repræsentativa objecti possibilis. Ex quibus constat fallacia argumenti. Unde si Verbum procederet per se ex cognitione contingentium, peteret per se ad sui productionem principium liberum; cum contingens esse non possit nisi per liberam Dei voluntatem: Quod autem ad sui productionem per se petit principium liberum, contingens est, quia liberè producitur; & ideo Verbum esset contingens. At verò procedendo ex cognitione possibilium, non infertur, quod sit possibile; tum quia nihil procedit, nec producitur ab alio ut possibile, ut constat. Tum quia principium, ex quo procedit, est necessariò existens: Principium autem necessariò existens, & necessariò actu fœcundum petit terminum necessariò actu existentem.

QUÆSTIO VIII.

An Verbum procedat ex cognitione Contingentium?

POST accuratum Recentiorum aliquorum examen obtinuit jam non vulgarem locum præsens difficultas; in quâ debemus expendere, an sicut Verbum divinum procedit ex cognitione Patris ut expressivâ possibilium, procedat etiam ex cognitione Patris ut expressivâ contingentium?

LECTIO I.

Expenditur ex Philosophiâ, quid sit intelligere formaliter, & formaliter dicere.

385. NOta priùs ex sæpiùs dictis, verbum in nobis non esse formam, quâ formaliter intelligimus; sed solùm esse medium, & veluti instrumentum quoddam ad intelligendum rem ipsam, quam intellectus suâ intellectione intelligit, & verbo ipso dicere, ut constat ex alibi dictis, tum authoritate Divi Thomæ, tum rationibus. Nec est curandum de aliquorum Recentiorum scrupulo existimantium, quod si verbum mentis esset medium intelligendi, & nobis objiceretur quasi instrumentum quoddam intelligendi; in eo casu omnes propositiones essent falsæ: v.g. *homo est animal*; efficeret hunc sensum, *homo est verbum mentis*: vel *verbum mentis est animal*.

Verbum nostrum nõ est forma, quâ formaliter intelligimus.

386. Verùm hoc Recentiorum præjudicium ex non penetratâ fortè doctrinâ, ac mente Divi Thomæ procedere, nulliusque esse fundamenti, constat tum ex dictis Tractatu de animâ, & in aliis hujus materiæ locis. Tum quia ex eo, quod nostris oculis objiciatur species, seu imago clara Petri moventis manum, intrantis ostium, &c. non dicimus, quod illa imago speculi moveat manus, intret ostium, &c. sed solùm affirmamus sic: *Petrus verus, & proprius movet suas manus, Petrus ingreditur per ostium, &c.* Ast nostri oculi non vident Petrum verum & realem in se ipso. Tum quia Petrus ut est in esse suo proprio, supponitur à tergo positus: tum quia potentia visiva non percipit rem, nisi sibi præsentem, vel in aliquo medio sibi præsenti; nec quidquam aliud est id, quod communiter objectum dicimus, nisi quod aliquid objiciatur, & præsentetur potentiæ. Ergo ex eo verè affirmamus de Petro, quod ambulet, manus moveat, &c. quia nobis objicitur imago, vel similitudo clara veri Petri moventis manum, &c. de imagine autem non affirmamus, quod intret ostium, deambulet, aliàs esset vivens; quod falsum est, cùm aliud sit imago expressiva viventis, & aliud ipsum vivens. Ast non alio modo dicimus intellectu nostro, proportione servatâ verum hominem esse animal, nisi quia in verbo mentis necessitate intelligendi producto, objicitur intellectui expressa imago hominis animalis. Ergo sicut in eâ specie speculi non affirmamus, eam movere manus, aut per januam ingredi; sed in illâ, aut mediâ illâ affirmamus ea omnia de vero Petro: sic intellectus non affirmabit, verbum illud mentis esse animal, aut hominem esse verbum mentis; sed medio eo, intellectum dicere, hominem esse animal, aut (quod idem est) in illo, ut in medio proportionato intelligere, hominem esse animal.

Falsò existimant aliqui, omnes propositiones futuras falsas, si verbum mentis esset medium intelligẽdi.

387. Ratio paritatis suadetur primò. Quia sicut impossibile est quod potentia visiva percipiat colorem, vel Petrum à tergo sibi positum; sic est impossibile, quod potentia spiritualis, & immaterialis percipiat objectum materiale, & sensibile in se ipso, & ut tale. Sed propter illam rationem ex necessitate videndi Petrum, vel colorem à tergo positos, emittitur species Petri ad speculum, ut ibi tanquam in medio sibi præsenti, & proportionato percipiat Petrum, vel colorem, ut experientia ostendit. Ergo propter eandem rationem ex necessitate intelligendi & loquendi aliquid progreditur ab intellectu fœcundo per speciem intelligibilem quædam expressa repræsentatio rei, v.g. materialis, ut intellectus intelligat & dicat rem materialem, ut in medio aliquo spirituali, & immateriali sibi proportionato. Major, nisi Recentiores isti sui obliviscantur, negari non potest: fundatur enim in principiis animasticis ab omnibus receptis.

Sicut impossibile est, quod potentia visiva Petrum à tergo positũ, in se percipiat; sic repugnat, quod potentia spiritualis percipiat objectum materiale in se ipso.

388. Primò. Quia omnes dicunt, intellectum non posse percipere res materiales, nisi priùs spiritualizentur; nec est alius modus spiritualizandi res corporeas, & materiales, nisi quem hic, & semper cum Aristotele, & Divo Thomâ docuimus. Secundò. Quia inter potentiam & objectum debet dari proportio, qualis datur inter potentiam visivam materialem, & colorem etiam materialem: inter intellectum verò, qui est potentia spiritualis, & rem materialem in se ipsâ, & ut talem nulla est proportio, imò distantia, & improportio maxima. Tertiò. Quia objectum spirituale non est proportionatum respectu corporeæ, & materialis potentiæ. Ergo neq; materiale ut tale potest esse proportionatũ respectu potentiæ immaterialis, & spiritualis. Est tamen aliqua differentia inter utramque potentiam, immaterialem scilicet, & materialem: nam illa potest sibi proportionare objectum materiale, formando medium, in quo illud spiritualizetur, ut in eo attingatur modo immateriali; secùs autem potentia materialis, quæ nec potest spiritualizare, nec materializare res spirituales, ut omnes fatentur.

Quippè intellectus nequit percipere immaterialia nisi spiritualizentur.

390. Suadetur secundò. Quia potentia materialis inferior; scilicet imaginativa, format medium, in quo ipsas res materiales percipit. Ergo à fortiori intellectus. Antecedens probatur. Quia cùm quis media nocte inter somnia percipit ea, quæ per diem vidit, nimirùm agitationem taurorum in foro, homines sibi loquentes, vel alia plura, quæ nunquam ei occurrerunt; evidentissimũ est,

Idem suadetur à paritate potentiæ imaginativæ.

est potentiam imaginativam, vel phantasiam ea omnia percipere; cùm aliter se habeat, ea videndo, quàm non videndo. Ast ea omnia non potest percipere in se ipsis propriè & physicè existentibus. Ergo in aliquo medio eorum omnium expressivo. Major est certa ipsâ experientiâ. Minorem probo. Quia mediâ nocte nulla est agitatio physica taurorum in foro, nullus est loquens cum dormiente; imò nusquam fuerunt, aut contigerunt plura eorum, quæ dormiens percipit: cùm ergo id temporis ea in se ipsis physicè non sint, ea in se ipsis physicè non percipit. At dubitari non potest, quod ea percipiat, & videat. Ergo fatendum est necessariò, ea percipere, & videre in aliquo medio eorum expressivo. Idem potest aliis experientiis probari, ut ex cœco à nativitate fide aliorum credente, & imaginante colores, quos nusquam attigit in se ipsis; sed in verbo per alienam speciem formato. Idem patet in cognoscente hircocervum, seu illum apprehendente solùm in verbo de illo efformato; cùm solùm habeat esse objectivè in intellectu; ideò, nullum aliud esse habet, nec habere potest præter illud esse intentionale, & repræsentativum, quod habet in verbo expressivo illius.

Quo pacto intellectus noster licet rem intelligat in verbo 1. intentionaliter nec intelligat, nec loquatur verbum.

391. Suadetur tertiò & explicatur, quo pacto intellectus noster, licet rem intelligat in verbo, & isto illam ipsam & dicat, & loquatur; nihilominùs primò intentionaliter non intelligat, nec loquatur verbum. Nam id, quod loquimur verbo linguæ, id ipsum intelligimus verbo mentis: quod nullus negat. Sed verbo linguæ non loquimur, nec primò dicimus ipsum verbum vocale, seu vocem significativam ad placitum; sed solùm rem ipsam significatam per illam, licet verbum vocale sit medium, quo rem externè dicimus, & in quo res ab audientibus, externè dicta percipitur. Ergo licet verbum mentis sit medium, quo res internè dicimus, & in quo res internè dicta percipitur; non sequitur, quod intellectus ipsum verbum loquatur, & intelligat. Minor probatur. Quia si quis audiat à me, Deum esse Trinum: rogatus, quid ego dixerim; non respondebit, me dixisse hanc vocem: *Deus est Trinus*: aliàs posset dici, nullum primò, & ex intentione esse hæreticum, dum propositiones hæreticas externè dicit; cùm verissimum sit, voces hæresum significativas ab ipso pronunciari: undè rogatus ille solùm dicet, me dixisse, verum Deum esse trinum, mediis illis vocibus, ipsumque id in illis vocibus percepisse, non in ipso Deo: quibus vocibus maximè adjuvantur infideles ad credendum, cùm fides sit ex auditu; & propterea vel ipsi Dialectici cum Philosopho dicant, nos uti vocibus loco rerum: quia res ad Scholas adducere non possumus, ut res verbo mentis præsentes internè facimus, quando eas intelligimus, & verbo mentis dicimus, easdem aliis verbo linguæ externè manifestemus, ut audientes illas in eo verbo percipiant. Ergo sicuti verbo linguæ primò significamus rem significatam, & non ipsum verbum: & in illo primò percipitur res significata ex eo quod verbum linguæ ponitur loco ipsius rei; sic intellectus naturaliter utitur ex necessitate intelligendi verbo suo, ut dicat rem expressam per illud, & ut per illud rem ipsam intelligat.

Benè potest aliquid esse medium in quo tanquam puro signo formali, cognoscatur aliud, quin illud 1. dicatur

392. Dices. Implicat, quod aliquid sit medium, in quo aliquod cognoscitur, quin tale medium etiam intelligatur, & primò dicatur. Ergo si tale verbum est medium, in quo intellectus noster rem intelligit, à fortiori ipsum verbum primò debet intelligi. Confirmatur. Quia sicut Verbum divinum vel priùs, vel æquè primò cognoscitur & intelligitur, ac res dicta verbo. Ergo si verbum nostrum est etiam medium *in quo*, illud etiam primò debet intelligi. Respondeo distinguendo antecedens: Implicat, quod aliquid sit medium *in quo* tamquam objectum primarium, & ut motivum, & causa cogniti, quin illud cognoscatur, concedo: si solùm sit medium ut purum signum formale, nego antecedens. Verbum igitur internum nostri intellectûs non est medium primo modo, nec etiam ut instrumentum physicum; sed solùm secundo modo, & ut purum signum formale: signum autem formale, ut vel Adversarii nostri tenent in Summulis, est illud, quo non cognito, aliquid aliud repræsentat potentiæ cognoscitivæ: & tale est verbum, seu conceptus intellectûs. Ad confirmationem nego paritatem. Tum quia Verbum divinum procedit à Patre ex fœcunditate intelligendi; verbum autem nostrum non ex fœcunditate formaliter, sed ex necessitate intelligendi procedit.

Non tenet paritas à Verbo divino ad verbum nostrum.

393. Tum quia, ut producatur Verbum divinum, essentia divina se habet veluti species intelligibilis infinita, non solùm omnium rerum, quæ verbo dicuntur, sed etiam ipsummet Verbi, imò totius Trinitatis: ad productionem autem nostri verbi non procedit species ipsius verbi, quod procedit: sed solùm species intelligibilis rei, quæ dicitur ipso verbo. Hæc igitur est potissima ratio, quare licet verbum nostrum sit medium formale; non tamen sit hoc, quod intelligitur; sed res tantùm in illo expressa: quia scilicet ut aliquid cognoscatur, debet necessariò procedere species illius intelligibilis. quæ ut dictum est, non procedit respectu verbi, quo intellectus dicit; sed solùm rei, quæ dicitur per illud. Et hinc est, quod Doctores communiter tenent, verbum mentis secundò solùm intentionaliter cognosci; non verò primò. An autem verbum dicatur medium *quo* cognos-

cognoscendi, vel medium, in quo res cognoscitur? Quæstio est de nomine: de re autem est, quod res præsertim materiales, & etiam spirituales, saltem pro hoc statu, non attinguntur, nec intelliguuntur in se ipsis physicè existentibus, sed solùm in verbo, vel medio illo, vel per illud.

Res physicę intelliguntur in verbo, non in se ipso.

394. Nec ex eo inferas, res ipsas physicas non intelligi: intelliguntur quidem non in se ipsis, sed in verbo, mediante verbo. Nec item inferas, intellectum non cognoscere intuitivè albedinem, & alia. Etenim si cognitionis intuitivæ nomine intelligas cognitionem rei per proprias species; sic est falsum: quia intellectus plura cognoscit per proprias species à sensibus acceptas. Si autem intelligas, quod intellectus non attingat parietem album in se ipso, & sic non intelligat intuitivè; concedimus totum, quia hoc modo sola visio oculorum est intuitiva, quæ in se ipso externum & materiale objectum attingit: nec est ullus, qui intellectionem nostri intellectûs in hoc statu visionem appellaverit, cui dumtaxat propriè accommodatur esse intuitivam.

Quæstionis sensum enucleo.

395. Hinc præcognitâ differentiâ inter Verbum divinum increatum, & creatum, eò devolvitur difficultas (ut benè peracutus Borrull) an Verbum non solùm dicat possibilia, & ea exprimat; sed etiam futura, & existentia? seu (quod idem est) an Pater suo Verbo non solùm exprimat objecta necessaria; sed etiam contingentia? Si enim Pater necessariò suo Verbo exprimat contingentia, consequens est, ex eorundem scientiâ liberè procedere; sicut consequens est ex scientiâ necessariâ possibilium procedere necessariò, eo ipso quod ea necessariò exprimat. Ratio est. Quia omnis loquutio, ut verbum alicujus objecti dicti, debet ex ejus cognitione procedere, ut rationalis loquutio sit. Ergo ut Verbum Divinum sit ration alis loquutio futurorum contingentium debet ex eorum cognitione procedere.

LECTIO II.

Relatis Doctorum placitis, duplici assertione dirimitur controversia.

Sentẽtias refero.

396. PRima sententia tenet, Verbum divinum nullatenùs procedere ex cognitione contingentium. Ita Thomistæ communiter Recentiores sequuti à Goneto disput. 9. art. 3. Ex nostris verò illi subscribunt Patres, Eximius Suarez, Molina, Vasquez, Granado, Martinus Perez, quos citat, & sequitur Borrull disp. 17. quæst. 4. estque inter nostros hujus Academiæ Recentiores trita, & communis opinio. Secunda sententia edocet. Verbum procedere ex cognitione existentium. Ita ex nostris Valentia 1. part. quæst 8. de Trinitate. Ruiz disp. 63. sect. 4. Zuniga quæst. 34. dub. 7. membr. 1. Arriaga disp. 52. sect. 4, subsect. 3. Mens ergo hujus opinionis est, Verbum divinum procedere etiam ex cognitione divinâ, ut actu respiciente contingentia, seu existentia. Etenim procedere ex cognitione contingentium specificativè, etiam Doctores primæ sententiæ concedunt; cùm scientia contingentium, & possibilium eadem sit, ac indivisibilis perfectio Dei.

1. conclusio. Verbũ divinum nõ procedit primariò & per se ex cognitione actuali contingentium.

397. Sit ergo assertio prima. Verbum divinum non procedit primariò & per se ex cognitione actuali contingentium, & in eâ, ut judico, dexteras jungent utriusque sententiæ Doctores. Probatur. Illud procedit primariò, & per se ex aliquo principio, quo deficiente, non procederet. Sed deficiente conjuncto cognitionis divinæ, & creaturarum contingentium, Verbum divinum nullâ ratione deficeret. Ergo divinum Verbum non procedit primariò, & per se ex cognitione contingentium, seu actu habente contingentia.

Firmatur præjacta ratio ex s. Th. de verit. q. 4. de verbo a. 5.

398. Firmatur ulterius. Quia si creaturæ, quæ modò existunt, nunquam existissent; imo si nulla unquam creatura exitura fuisset, adhuc esset tota illa immutabilis Trinitas æquè perfecta, ac modò est. Ergo adhuc esset Verbum divinum, sed tunc non procederet ex cognitione liberâ actu habente pro termino creaturas existentes. Ergo Verbum divinum primariò, & per se procedit ex cognitione contingentium. Hoc autem clarè satis expressit Doctor Angelicus de Veritate quæst. 4. de Verbo, art. 5. sic: *Pater principaliter dicit se, generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas.* Et paulò infrà ait: *Accidit enim Verbo, ut per ipsum creaturæ dicantur.* Ita ibi. Jam verò cùm ex dictis constet, non accidere Verbo exprimere possibilia; sed hoc ei necessariò competere; patet hîc loqui de creaturis existentibus. Tum etiam quia absolutè & simpliciter, & absque addito loquendo, ut loquitur Sanctus Thomas, nisi aliquid existat, creatura non dicitur. Præcipuè tamen controversia est, an sicut Verbum per se procedit, & necessariò ex cognitione eorum, quæ dicuntur possibilia; procedat etiam contingenter ex cognitione contingentium liberè extrà causas existentium? Circa quod

Assertio 2. Verbum divinum in sensu explicato ex contingentium cognitione verè procedit.

399. Sit assertio secunda. Verbum divinum in sensu explicato verè & propriè procedit ex cognitione contingentium. Hanc conclusionem præter Doctores secundæ sententiæ, tenent expressè Almus Augustinus, & Thomas Angelicus. Probatur primò ex Augustino lib. 2. super Genes. ad litteram cap. 7.

cap. 7. quem Divus Thomas per hæc verba refert quæst. 4. artic. 4. ibi: *Augustinus sic exponit dictum*: Dixit, & factum est: *Idest, Verbum genuit, in quo erat, ut fieret. Ergo Verbo, quod est Filius, dicit omnem creaturam.* Ita Sanctus Doctor. Loqui autem Divum Augustinum de creaturâ existenti, patet tum ex Genesi; tum ex illis verbis *factum, & fieret.* Accedit idem Augustinus tomo 9. Joannem exponens, ad illa verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*: Circa quæ sic ait: *Dicendo enim Verbo, quod factum fuerat, Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Ita ille. Ex quibus infero. Verbum procedit ex cognitione illius, quod Pater dicit suo Verbo; quia sic ipsum genuit. Sed Pater dixit suo Verbo, seu Filio, quod facturus erat. Ergo processit Verbum ex cognitione eorum, quæ facturus erat. Hæc autem, quæ facturus erat, contingentia sunt. Ergo.

Deindeex S. Thoma ibidem cap. 7.

400. Probatur secundò ex Divo Thomâ de veritate quæst. 4. artic. 7. in corpore sic loquente: *Alio modo dicitur aliquid esse in Verbo, sicut id, quod per Verbum dicitur: Omne autem, quod aliquo Verbo dicitur, ordinatur quodammodò ad exequutionem; quia Verbo instigamus alios ad agendum, & ordinamus alios ad exequendum id, quod in mente concipimus: Unde etiam dicere Dei dispositio illius est, ut patet per Glossam apud illud Psalmi 61.* Semel loquutus est Deus, &c. *Unde sicut Deus non disponit, nisi quæ sunt, vel erunt, vel fuerunt; ita nec dicit: Unde Verbum est horum tantùm, sicut ipsorum dictorum.* Ita ibi. Ex quibus patet, juxtà mentem Divi Thomæ, propriè loquendo, solùm dici verbo existentia, & non purè possibilia, quæ ad exequutionem non ordinantur; ac proinde res existentes propriè dicere Pater suo Verbo, constat etiam ex illo Joannis: *In principio erat* VERBUM, &c. *Omnia per ipsum facta sunt*, &c. At fieri aliquid per Verbum, aliud non est, quàm Verbo dici id, quod fit; vel aliquid fieri, quia Verbo dicitur. Ergo cum divinum Verbum procedat ex cognitione ejus, quod per ipsum dicitur, sequitur, quod intendimus.

3. Quia per Verbũ divinum verè dicuntur existẽtia, & cõtingentia.

401. Probatur tertiò à ratione. Verbum procedit ex cognitione eorum omnium, quæ Verbo, vel per Verbum dicuntur. Sed Verbo, aut per Verbum propriè, & verè dicuntur existentia, & contingentia, ut constat ex Sacrâ Scripturâ, & Patribus. Ergo Verbum verè, & propriè procedit ex cognitione creaturarum contingentium. Major patet. Quia cum Deus non dicat, aut producat Verbum ex necessitate intelligendi, opus est, ut aliquomodò intelligatur cognitio eorum omnium, quæ Verbo suo dicit; aliàs Deus aut loqueretur, ut intelligeret suo Verbo, quæ dicit, aut loqueretur nesciens ea, quæ dicit, aut dicturus erat. Utrumque est falsum. Ergo.

4. Quia in Deo non solũ datur speculativa possibiliũ cognitio; sed etiã practica existentium.

402. Probatur quartò in Deo de facto non datur solùm cognitio speculativa possibilium; sed etiam practica existentium, ut dicunt Theologi. Ergo per relationem Paternitatis non solùm appropriatur Patri, fitque illius cognitio propria speculativa; sed etiam practica. Ast ex eo præcisè, quod speculativa cognitio sit appropriata Patri, fœcunda redditur ad producendum Verbum, quod sit quasi speculativum, vel quod speculativè solùm exprimat possibilia. Ergo ex eo, quod sit appropriata Patri cognitio practica rerum existentium, seu quæ fiunt, erit fœcunda ad producendum Verbum practicum, seu quod practicè, & in exequutione creaturas dicat existentes. Ergo, &c. Primum antecedens, & ejus consequentia constant. Quia quidquid est toti Trinitati commune, est appropriatum in Patre, & quasi modificatum relatione Paternitatis. Minor subsumpta est certa. Consequentia autem patet. Tum quia Verbum debet adæquari, & correspondere scientiæ infinitæ Patris eo modo, quo est in Patre. Tum quia si Patri concedimus practicam cognitionem, creaturas in actu ponentem; non est, unde ei denegemus Verbum, quo eas in actu practicè dicat, & manifestet: Pater enim quidquid intelligit, concipit, ac proinde formando Verbum, quo exprimat, & dicat, quæcumque cognoscit.

5. Suadetur ex Florentino.

403. Probatur quintò. Quia ut constat ex Florentino, dicitur ibi: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Sed Pater ex se, & non ab alio habuit non solùm intellectionem, & volitionem necessarias; sed etiam scientiam, & volitionem liberas; idest, habentes, seu ponentes creaturas ad extrà, licèt hoc non habuerit Pater primariò, & per se; sed consequenter: Quia Pater suâ scientiâ, & volitione, non de necessitate; sed liberè vult, & dirigit creaturarum exequutionem. Ergo Pater dedit Filio, & hic ab eo accepit non solùm scientiam, & volitionem necessarias; sed etiam scientiam practicam, & volitionem liberas. Tunc sic. Sed implicat, quod Filius accipiat ea omnia, quin, ut accipit scientiam, volitionem, & alia necessaria, evadat ut Verbum primariò, & per se dicens Patrem, & necessariò exprimens possibilia; & quatenùs accipit consequenter à Patre scientiam, & volitionem liberas, evadat ut Verbum manifestativum creaturarum existentium, &

quo Pater existentia dicat, & contingentia. Ergo. Et quidem discursus formatus undequâquè decurrit, si probemus, Filium accipere à Patre practicam rerum scientiam, & liberam volitionem: In quo solùm videtur esse difficultas. Id autem probo primò ex verbis Concilii Florentini dicentis, Patrem dedisse suo Filio, quæ habebat, exceptâ Paternitate. Atqui Pater habet scientiam practicam, & liberam rerum volitionem. Ergo eas dedit, & eas Filius accepit à Patre in sui generatione.

6. Quia optimè intelligitur, quod Filius practicè, & liberè sciat, & velit creaturas existentes, licèt à Patre accipiat scientiâ, & volitione liberas.

404. Probatur sextò. Optimè intelligitur, quod Pater necessariò intelligat, & amet per suam intellectionem, & volitionem; & quod Filius per eandem intellectionem, & volitionem necessariò intelligat, & amet, eas à Patre accipiendo; quin hoc, quod est accipere actus vitales à Patre, impediat in Filio intelligere, & amare necessariò; ut vel ipsi Adversarii fatentur. Ergo pari ratione, & æquè benè intelligitur, quod Filius practicè, & liberè sciat, & velit creaturas existentes, licèt à Patre accipiat scientiam, & volitionem liberas. Consequentia patet. Quia tota ratio, quâ salvatur antecedens, est; quia licèt detur prioritas, & posterioritas, seu ordo originis in divinis processionibus, tres Personæ æquè sunt unus Deus, unus omnipotens, intelligens, amans, &c. cum ea prioritas, & posterioritas, sive ordo habendi divinam naturam, omnipotentiam, &c. non tollit, quominùs sit in tribus Personis unica ratio Deitatis, intellectionis, volitionis, &c. At in tribus Personis unica est scientia practica, & libera, & similiter unica est volitio libera, & efficax rerum contingentium ad extrà. Ergo sicut in intellectione, & volitione necessariis non obstat originis ordo, quominùs omnes tres divinæ Personæ vitaliter intelligant, & velint necessariò; tametsi Filius accipiat, procedendo à Patre intellectionem, & volitionem; & similiter Spiritus Sanctus à Patre, & Filio; sic ordo originis non obstat, quin omnes tres divinæ Personæ eandem habeant scientiam practicam, & volitionem liberas creaturarum contingentium; licèt Filius eas habeat à Patre: Cum enim non possit non procedere Verbum ex cognitione, quam accipit; si accipit scientiam practicam creaturarum existentium, à fortiori ex earum cognitione procedet.

Firmatur 1. præjacta ratio.

405. Firmatur primò præjacta ratio. Pater divinus, quâ Pater est, liberè vult ab æterno creaturas existentes. Sed non potest liberè velle absque cognitione practicâ, seu actu dirigente ad exequutionem earum. Ergo Pater, quâ Pater, habet ab æterno simul & scientiam, quâ actu dirigitur; & volitionem, quâ liberè vult efficaciter ponere creaturas: Uterque enim actus requiritur in agente rationali perfectissimè operante: Secundus quidem, ut effectus non fiat necessitate naturæ; sed omninò liberè: Primus autem, ut rationabiliter procedat per actum dirigentem voluntatem, & actu ordinantem exequutionem effectûs ad finem intentum per tale opus. At Pater, quâ Pater, est prior ordine originis ipso Filio. Ergo quâ Pater, intelligit, & liberè vult id, quod vult; & est prior origine Filio. At Filius procedendo à Patre, à Patre accipit eâ ratione, quâ Pater origine dicitur, & est prior Filio: Imò Pater ad intrà nihil potest habere, nisi quatenùs est origine prior Filio. Ergo Filius accipit à Patre scientiam, & volitionem creaturarum contingentium.

Ulterius ratio eadē roboratur.

406. Firmatur secundò. Hæc propositio: *Deus habet scientiam liberam, seu practicam, & volitionem liberam existentium*; nostro modo concipiendi est prior subsistendi consequentia, quàm hæc: *Pater habet talem scientiam, & volitionem*: Tum quia prima propositio demonstratur lumine naturali, non demonstratâ Trinitate: Tum quia Pater non habet tales actus ratione Paternitatis; sed Deitatis. Ergo quando talis propositio determinatur, & quasi descendit ad Trinitatem secundùm modum, quo & Trinitas est, & est nobis revelata. Sed Trinitas revelata juxtà Fidem habet hunc modum; scilicèt ut Pater sit Deus, non ab alio; idest, non mediante aliâ Personâ; Filius verò non sit Deus nisi à Deo Patre. Ergo illa propositio secundùm hunc modum quasi descendit, & determinatur ita, ut Pater liberè velit, & intelligat creaturas contingentes, non ab alio supposito; è contrà verò Filius sit Deus liberè volens, & intelligens creaturas existentes, mediante Personâ Patris, à quâ accipiat non solùm esse Deum, nec solùm esse necessariò volentem, & intelligentem; sed etiam esse Deum liberè intelligentem, & volentem creaturas existentes; quod quidem prioritate originis prius est in Patre.

LECTIO III.

Solvuntur opposita.

1. Est. Quia aliter Verbū divinum essēt contingens.

407. OPpones primò. Si Verbum divinum procederet ex cognitione contingentium, Verbum esset contingens, ac proinde potuisset non esse, sicut ipsa contingentia. Sed Verbum divinum est omninò necessarium, & nullatenùs contingens. Ergo nullatenùs procedit ex cognitione contingentium. Respondet Arriaga, Verbum quatenùs expressivum necessariorum, procedere ex cognitione necessariâ, & sic esse omninò necessarium; at quatenùs expressivum contingentium, procedere ex cognitione liberâ, & sic non esse necessarium: Est enim, & non minùs contingens, ac ipsa scientia libera; quia processiones divinæ ex actibus necessariis, ait, esse quidem necessarias; ex contingentibus autem actibus processiones esse contingentes. Sed contrà Arriagam occurrit Borrull. Quia si hæc essent vera, admittenda foret Trinitas libera, & contingens virtualiter à necessariâ distincta: Admittendæ etiam essent quatuor relationes liberæ virtualiter à necessariis distinctæ; duæ procedentes, & duæ, à quibus procederent; quod negat Arriaga.

Displicet tamē ille, & Pater Borrull.

408. Verùm uterque Author consequenter; sed non verè discurrit: Consequenter Arriaga; quia semel concesso, quod in Deo sint actus scientiæ, & voluntatis formaliter contingentes quoad denominationem identificatam realiter cum Deo, ut aliqui Recentiores defendunt; consequenter ait hic Author, etiam non implicare Verbum contingens saltem quoad denominationem, &c. Etenim quia si semel salvatur contingentia ex parte actûs divini, qui est perfectio intrinseca Deo; eâdem ratione potest salvari ex parte termini ad intrà producti. Consequenter etiam Pater Borrull; quia ex solutione Patris Arriaga sequuntur omnia, quæ contendit inferri. Neuter autem verè: Quia Verbum procedit ex cognitione contingentium; quod negat Borrull, quin sequatur ex eo, quod in Deo detur Verbum contingens, quod concedit Arriaga inhærens principio non vero de contingentiâ actuum scientiæ, & voluntatis in Deo; quod principium alibi latè refutavimus.

Aliud igitur est, Verbū ex cōr̄gētiū cognitione procedere; & aliud, ex cognitione cōtingenti.

409. Unde ex ibi dictis respondeo negando sequelam. Quia aliud est, Verbum procedere ex cognitione contingentium, & similiter Spiritum Sanctum procedere ex amore libero contingentium; & aliud, quod Verbum procedat ex cognitione contingenti, & quod Spiritus Sanctus procedat etiam ex amore contingenti. Primum est verum in sensu suprà dicto; secundum verò falsum. Ratio est. Quia licèt Deus sciat, & velit contingentia; non tamen scit, & vult ea secundùm modum imperfectum, quem habent contingentia ipsa; taliter, quod si volitum, & cognitum sint contingentia, ipsa quoque volitio, & cognitio in Deo sint quoad denominationem intrinsecam contingentes: Hoc enim est intelligere divina non solùm per speciem creaturarum; sed etiam tribuere ipsarum imperfectionem; qui modus à verâ Theologiâ debet relegari. Tum quia sicut Deus intelligit, & vult creata modo increato, & sicut intelligit practicè, & vult liberè mutabilia absque ullâ mutatione ex parte sui, juxtà illud: *Ego Deus, & non mutor*: Sic Deus practicè scit, & liberè vult contingentia absque eo, quod reperiatur ulla contingentiâ ex parte sui, vel sui actûs. Tum quia Deus non est liber ad habendum in se actum liberum, vel non habendum; sed necessariò habet libertatem in actu, ut perfectionem Deo necessariam: Differentia autem per libertatem creatam, seu inter libertatem creatam, & divinam, in eo potissimùm stat; quod libertas voluntatis creatæ est potentiæ realis ad amorem, vel non amorem: In Deo autem dari repugnat libertas potentiæ realis; quia est perfectissimè liber in actu ad ponendum, vel non ponendum creaturam extrà: Unde respectu libertatis creaturarum, cum sit potentialis, datur contingentia ex parte sui actûs, quia voluntas creata est libera ad ponendum in esse actum, vel non actum: At respectu voluntatis divinæ, quæ est ipse actus liber, nulla est contingentia ex parte actûs; sed solùm ex parte objecti; quia solùm datur in Deo libertas actualis ad faciendum, vel non faciendum objectum; sic autem contingentia tota se habet ex parte objecti; sicut tota rerum mutabilitas, licèt pendeat à Deo, se habet ex parte ipsarum, quin ex parte Dei ulla possit esse, aut excogitari mutabilitas juxta illud: *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

Verbū nō deficeret casu, quo Pater practicè creaturas nesciret.

410. Instabis primò. Casu, quo Pater nec practicè sciret, nec liberè vellet creaturas, non diceret suo Verbo creaturas. Ergo deficeret Verbum, quo dicit creaturas. Retorqueo jaculum: Casu, quo Pater nec practicè sciret, nec liberè vellet creaturas, per te non deficeret actualis perfectio entitativa Dei scientiæ crea-

creaturarum, nec volitionis liberæ; sed solùm quoad denominationem; licèt in tali casu non solùm quoad denominationem; sed quoad entitatem creaturæ ipsæ deficerent. Si ergo nullum reputas inconveniens in hoc respectu actûs scientiæ, & voluntatis in Patre; quarè respectu Verbi ipsius Patris hoc idem reputabis absurdum? Respondeo tamen negando consequentiam. Quia ex deficientiâ objecti solùm arguitur defectus in actu, & Verbo, quando hæc causantur, aut pendent ab objecto. Scientia autem, volitio, & Verbum Dei nullo modo causantur, aut pendent ab objecto creato; sed potiùs è contra; sic autem licèt deficiat objectum, non sequitur deficere actum scientiæ, nec ipsum divinum Verbum.

Dices, te latere, quo pacto creatura, quæ non erat, ponatur in actu, quin Deus saltem virtualiter aliter se habeat, & formaliter sit contingens saltem quoad denominationem.

411. Instabis secundò. Te non capere, quo pacto creatura, quæ non erat, ponatur in actu, quin Deus saltem virtualiter aliter se habeat, & formaliter sit contingens saltem quoad denominationem. Respondeo primò difficiliùs capi à nobis tuum assertum; ais enim, denominationem volentis, & scientis esse intrinsecam Deo, ac proinde realiter formaliter identificari cum entitate Dei; & deindè dicis, formaliter potuisse deficere talem denominationem, quin realiter formaliter deficiat entitas Dei: Quod est difficillimum. Respondeo secundò. Te sine dubio, & omnes capere, voluntatem humanam esse liberam libertate potentiæ ad ponendum amorem, vel non ponendum; ita, ut sivè ponatur amor, sive non; sive deficiat, sive non, eadem, & eodem modo manet libertas potentiæ, quin in suis intrinsecis potentia libera ullo modo mutetur; & hoc non aliâ ratione, nisi quia voluntas humana in suo esse potentiæ liberæ nullatenùs pendet, aut causatur à suo amore, vel non amore, ut teneris concedere. Dum autem hoc cum omnibus capias, miror, te non capere, quod Deus cum sit perfectissimè liber in actu cum potestate ponendi, vel non ponendi rem extrà causas; ità eam practicè, & liberè efficiat, ut ratione suæ immutabilitatis eodem modo se habeat, sive efficiendo, sive non; cum tota mutatio, & contingentia ex parte objecti se habeat.

Insuper Deus in tempore fecit liberè, quæcũq; fecit, quin in tempore liberam volitionẽ habuisset.

412. Adde, Deum fecisse liberè in tempore, quæcumque fecit; & tamen in tempore non habuit volitionem liberam, nec illam contingentiam virtualem, seu non defectum virtualem sui amoris. Sicut ergo concipis volitionem liberam, & efficacem Dei ab æterno circa mundum, infinitè quidem durantem absque existentiâ voliti per totam illam æternitatem, eò quòd talis volitio non pendeat ab existentiâ objecti; cum tale quid non sit excogitabile in volitione efficaci creatâ; sic poteris, & quidem dignè sentire de Deo, volitionem scilicèt, & scientias liberas Dei ad intrà, eodem modo se habere absque ullâ contingentiâ, sive ponatur, sive non ponatur res ad extrà: Est enim Deus causa libera, & actualissima rerum contingentium absque contingentiâ: Quemadmodùm, proportione servatâ, voluntas creata ex suppositione suæ existentiæ est causâ libera suorum actuum absque ullâ contingentiâ ex parte sui, & cum solâ contingentiâ ex parte suorum actuum: Quarè autem hoc in Deo non erit absque ullâ contingentiâ ex parte actûs divini perfectissimè liberi, cujus liberas actualis est perfectio tam necessaria ipsi Deo, sicut & omnipotentia, & quælibet alia.

413. Instabis tertiò. Casu, quo Verbum non procederet ex cognitione contingentium, Verbum non denominaretur dicens contingentia, vel Pater Verbo dicens ea. Ergo non esset idem Verbum. Sed contrà est. Casu, quo nunquàm fuissent contingentia, ut certè accidere potuit, Deus non denominaretur sciens, nec cognoscens contingentia. Ergo non esset eadem cognitio divina. Vide, qualiter te expedias antecedenti, & tuo consequenti applica solutionem. Respondeo negando consequentiam. Quia quando cognitio, & Verbum sunt absoluta, nec dependent ab objecto, ut contingit in Deo respectu objecti creati; cognitio, & Verbum eodem modo intrinsecè manent, sive illud ponatur, sive non. Nec ex eo, quod in eo casu non denominaretur dicens contingentia, deficeret aliquod intrinsecum Verbo, quod antèà haberet: Quia (ut sæpè dixi cum Divo Thomâ) omnis denominatio relativa Dei ad creaturas existentes, neque est intrinseca, neque realis Deo; sed solius rationis, seu nominis, quod quidem Deo tribuimus, suppositis creaturis; & illis non suppositis, non tribuimus; sicut nec ei tribuimus nomen Creatoris alterius mundi. Et miror, connotatores vim in hoc facere; cum ex duobus albis, uno solùm deficiente, hæc duo componant, & deficere denominationem similis in albo existente; & nihilominùs eandem similitudinem relativam intrinsecè manere; & quod mirabilius est, denominationem illam non distingui intrinsecè, & realiter ab ipsâ similitudine, quæ non deficit.

Verbum idẽ esset, quamvis cõtingẽtia deficerẽt: quia est absoluti, & ab illis indepen-dens.

414. Oppones secundò. Quod procedit ex principio libero, liberum est. Sed si Verbum procederet ex cognitione contingentium, procederet ex principio libero. Ergo Verbum divinum liberum esset, & necessarium. Respondeo, utrumque componi in Verbo divino, & esse liberum, & esse necessarium; non quidem liberum, prout importat contingentiam effectûs liberè producti

Ad 2. dico, in Verbo divino utrũq; cõponi; esse scilicèt liberum, & necessarium.

ad

ad esse, & non esse; sed liberum, in quantum accipit libertatem actualissimam, & potestatem à Patre circa existentiam, vel non existentiam creaturarum: Hoc autem est tam necessarium Verbo, ac est necessarium Patri; quod scilicèt sit summè liber ad producendum, vel non producendum creaturas. Casu autem, quod non procederet ex cognitione practicâ Patris circà contingentia, idem omninò Verbum produceretur. Nec obstat, quod tunc creaturas extrà non manifestaret: Quia sicut est liberum Patri, quod producantur, vel non producantur creaturæ; sic est ei liberum, quod manifestentur, vel non manifestentur extrà suo Verbo creaturæ. Unde sicut Pater non producendo ea, quæ produxit, idem in omnibus maneret; sic Verbum non manifestando, quæ nunc manifestat, idem prorsùs persisteret: Cum neuter sit pendens ab existentiâ creaturarum; causa autem libera ad aliquid faciendum, eadem permanet, sive operetur, sive non operetur.

415. Oppones tertiò. Pater quæcumque dicit suo Verbo, verè dicit; cum in Verbo sit summa veritas. Ergo verè dicit contingentia. At si contingentia non fuissent, hæc veritas deficeret: Non enim datur veritas circà objectum existens, hoc non existente; cum ab eo, quod res sit, vel non sit, propositio dicatur aut vera, aut falsa. Ergo cum hoc sequatur ex eo, quod ex cognitione contingentium procedat, dicendum est, minimè procedere. Hoc argumentum æquè militat in Adversarios; etenim cognitio practica, seu libera contingentium, quæ nunc datur in Deo, est summè vera, & tamen contingentia non esse potuerunt. Ergo summa veritas divinæ cognitionis circà existentiam, potuit deficere. Videant, quid scientiæ liberæ respondeant. Respondeo igitur, Divum Thomam quæst. 4. de Verbo, artic. 4. ad 2. difficultati his verbis occurrisse: *Nec tamen sequitur, quod in Deo non sit summa veritas; quâ est immutabile creaturis existentibus mutabilibus; quia non exigitur ad veritatem Verbi similitudo ad rem, quæ per Verbum dicitur secundùm conformitatem naturæ; sed secundùm repræsentationem.* Ita ibi. Ex quibus, concesso primo enthymemmate, nego minorem subsumptam: Est enim magnum discrimen inter veritatem Verbi creati, & divini. Veritas enim Verbi creati stat in eo, quod sicut res est, sic sit intentionaliter, & per similitudinem in Verbo: Unde quia Verbum est, & accidentalis similitudo rei cognitæ, ideo veritas formalis stat in Verbo; quemadmodùm dicimus, quod imago Petri est propria repræsentatio Petri. Jam verò cum Verbum nostrum sit causatum, & dependens à re, quæ communiter eo dicitur; consequenter, objecto deficiente, deficit Verbum, ac proindè veritas, & hæc variatur, objecto variato. At verò cum summa veritas Verbi divini nullatenùs pendeat à contingentibus, nec sit relativa; sed absoluta, quin potiùs sit causa libera contingentium; ideò his deficientibus, vel si hæc nunquàm fuissent, eadem maneret æterna, & immutabilis juxtà dicta.

Ad 3. respondeo ex S. Thomâ quæst. 4. de Verbo artic. 4. ad 2.

416. Oppones quartò ex subtilissimo Doctore Scoto. Quia pari ratione deberet Spiritus Sanctus procedere ex amore contingentium. Sed hoc est falsum. Ergo. Minor probatur. Quia amor creaturarum est liber in Deo. Sed Spiritus Sanctus non procedit per amorem liberum; sed per naturalem, & necessarium. Ergo. Respondeo cum Patre Valentiâ, concessâ majori, negando minorem. Ratio est. Quia amor divinus creaturarum non ideo dicitur liber, quia secundùm suam perfectionem possit esse, & non esse; sed quia licèt in se totus quoad suam entitatem sit simpliciter necessarius; habet tamen tantam perfectionem, ut creaturæ possint esse ejus terminus, & non esse, ipso immutato. Nec inde sequitur, Spiritum Sanctum evadere contingentem in suo esse, sicut creatura. Tum quia creatura petit per se procedere ex amore libero cum potestate actus ad eam faciendam, vel non faciendam. Spiritus verò Sanctus non petit per se procedere ex amore libero habente pro termino creaturam; sed solùm consequenter, & quasi per accidens, ut supra loquitur Divus Thomas de Verbo. Tum etiam quia sicut ex eo, quod ponatur contingenter creatura per actum liberum, non sequitur aliqua propria contingentia in actu libero Dei, eò quòd idem actus liber maneret omninò invariatus, etiam non positâ tali creaturâ; sic ergo non sequitur contingentia aliqua in Spiritu Sancto.

Ad 4. dico, quod pari ratione. Spiritûs Sanctus ex cõtingentiũ amore procedit.

417. Oppones quintò ex Borrull, & aliis. Omnes Personæ divinæ quoad necessaria habent naturam divinam prioritate naturæ, antequàm ista se determinet ad amorem, vel scientiam liberam; cum omnia necessaria sint priora liberis. Ergo pro eo signo, quo natura divina se determinat ad amorem, & scientiam liberam, omnes Personæ necessariæ se unà determinant ad tales actus; atquè adeò æquè primò Amor, & scientia libera habentur ab omnibus Personis necessariis: Unde nec Filius accipiet à Patre scientiam liberam, nec Spiritus Sanctus Amorem liberum à Patre, & Filio. Consequentiam probat P. Borrull. Quia Pater non aliâ ratione se determinat ad amorem, & scientiam liberam, nisi quia natura divina prioritate naturæ præsupponitur existens in Patre ante amorem, & scientiam liberam. Unde naturâ divinâ se ad amorem, & scientiam liberam determinante, etiam suppositum Patris se determinat. At natura divina præsupponitur existens

5. Argumẽtũ inde petitur qnod omnes divinæ Personæ prioritate naturæ, antequàm hęc se determinet ad amorẽ vel scięti liberam, &c.

in omnibus Personis necessariis. Ergo determinante se naturâ Divinâ ad amorem, & scientiam liberam, omnia suppositа necessaria se pro eo signo determinant.

Sed inficior suppositum; cùm liberâ à necessariis non distinguâtur in Deo

418. Respondeo negando antecedens. Tum quia libera à necessariis distinguuntur in Deo: nam idemmet actus sive scientiæ, sive voluntatis dicitur liber, & necessarius respectu diversorum: nam respectu objecti, quod potest esse, & non esse, dicitur perfectissimè liber: Deum esse hoc modo actum liberum, est tam necessarium ei, ac quævis alia perfectio. Tum quia natura divina non determinat ad amorem, & scientiam liberam, quasi possit habere, vel non habere amorem, & scientiam liberam; cùm Deus per suam naturam sit actualiter liber absque ullâ sui mutatione ad ponendum extra mutabilia & contingentia: non enim oportet, quod natura divina sit necessaria in essendo, & hoc modo intrinsecè libera in operando ad extra: imò voluntas creata ex suppositione, quod existat, non est libera, ut sit, vel non sit: cùm sua existentia à se ipsâ non pendeat, sed à solo Deo; & tamen est libera libertate potentiæ ad amorem, vel non amorem. Tum quia illud, quod additur; scilicet necessaria esse priora naturâ liberis, solùm habet locum in liberis, quæ realiter pendent à necessariis: v. g. priùs est animam rationalem habere voluntatem, quàm liberam voluntatem; quia voluntas necessariò consequitur animam ut ejus proprietas; non verò volitio, quæ solùm liberè pendet à voluntate. At verò in Deo, qui realiter per suam naturam sicut est omnipotens, sic est liber circa objecta creata; hoc non contingit.

419. Illud autem, quod additur, amorem scilicet & scientiam liberam esse in tribus Personis præsuppositis jam in esse naturæ, quin una communicet, & alia accipiat amorem, & scientiam existentium; nec probatur, nec est verum: quod sic suadeo. Tum quia Trinitas Personarum intelligit, & vult liberè contingentia eo modo quo est, & existit. Sed licet tota Trinitas simul existit; existit tamen cum illo ordine originis; Patre scilicet communicante naturam, & alia; & eadem Filio accipiente. Ergo sic volunt liberè tres Personæ divinæ; scilicet cum tali ordine communicandi, & accipiendi scientiam liberam, &c. Etenim modus operandi sequitur modum essendi. Alia solent argumenta adduci, quæ quia in nostris principiis nullam vim habent, hîc libenter omittimus.

QUÆSTIO IX.

In quonam consistat quidditas, & ratio Divinarum Processionum?

Hic syrtis, in quâ Hæresiarcharum navis, errorum sarcinis onusta ad Baratri usque fundum impegit. Hic ubi adversùs unum Arrium, Photinum, & alios ejusdem furfuris Athlantes Ecclesiæ fœliciter ingemuêre. At quia, Deo Auspice, recessêre venti, & contradicentium decumani fluctus detumuerunt; curæ jam non est, ut cum filiis de Fide certemus, licet æquum sit, scopulos delineare, ne quis hæreat, ubi ipsi divinum fatum miserè deplorârunt.

LECTIO I.

Statuitur in hoc puncto Catholica Fides.

Igitur in Deo dantur processiones, quibus una ab altera Persona procedit per actionem immanentem; non ut effectus à causâ.

420. Priusquam ad id, quod inter Catholicos agitur, calamum admoveam, opere pretium est saltem pro notitiâ duxi, Catholicam veritatem ostendere. Supponendum igitur est priùs dari Processiones in Deo, per quas una persona ab altera procedit, non quidem secundùm actionem transeuntem; sed immanentem; non ut effectus à causâ, nec ut causa producit diversos effectus, qualiter Arrius, & Sabellius posuerunt; sed omni propriâ causalitate, & dependentiâ seclusâ.

Primum ostenditur ex variis Sacræ paginæ testimoniis.

421. Primum constat ex Scripturâ, unam scilicet Personam ab aliâ procedere; nam Isaiæ 48. Micheæ 5. & Zachariæ 2. Deus à se mittendum promittit; missio autem includit processionem æternam missi à mittente juxta Divum Thomam quæst. 43. Ergo. Joannis 5. Christus Dominus de se ait: *Ego scio eum*, (scilicet Patrem) *quia ab ipso sum.* Et cap. 8. *Ego enim ex Deo processi.* Quæ verba de æternâ processione intelligunt 6. de Trinitate Athanasius in expositione Fidei, Sanctus Augustinus, & Rupertus 5. de Trinitate, cap. 34. Denique 15. Joannis de Spiritu Sancto sic dicitur: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui ex Patre procedit.*

422. Ulteriùs hæc veritas primò probatur hâc ratione Catholicâ. De fide est dari tres

Ulteriùs probatur 1. ratione Catholicâ

tres Personas distinctas in unitate essentiæ. Atqui Personarum multiplicatio, & realis distinctio unius ab aliâ, absque processione unius ab aliâ stare non potest. Ergo. Deinde cùm non possit hæc veritas naturali ostendi ratione; congruæ tamen non deficiunt ad illam declarandam. Decet enim infinitam bonitatem, infinita quoque communicatio, quæ ad summam Dei fœcunditatem pertineat juxta illud Isaiæ 66. *Numquid qui alios parere facio sterilis ero?* Sed summa communicatio ad intra stare non potest absque processione unius Personæ ab aliâ. Ergo.

2. Ex S. Th. q. 27. art. 1.

423. Probatur secundò ex Angelico Doctore quæst. 27. artic. 1. Audi eum: *Omne individuum intellectualis naturæ in aliquâ sui intellectione, Verbum producit, ut in Angelis & hominibus constat. Sed Deus est individuum intellectualis naturæ in supremo gradu existens. Ergo aliquod Deitatis suppositum Verbum producit. At est accidentalis productio divinæ naturæ non potest competere. Ergo erit Verbum substantiale personaliter subsistens, ac proinde debemus fateri aliquam Verbi productionem in Deo, & consequenter processionem unius Personæ ab aliâ.*

Quod autem illa processio non sit ut effectus à causâ patet ex scripturis.

424. Quantùm verò ad secundum, quod nempè talis processio non sit effectus à causâ, probatur primò, ex eo quod Filius & Spiritus Sanctus sunt verus Deus juxta illud 1. Joannis cap. ultim. *Ut sciamus in vero Filio ejus, hic est verus Deus.* Et in eodem cap. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum sunt*, scilicet unitate essentiæ; ac proinde Verbum & Spiritus Sanctus cum Patre in Deitate conveniunt. Sed cum processione à Deo ut proprii effectus à causâ, vera Divinitas subsistere non potest cùm Divinitas omnem dependentiam, quam effectus involvit, à se excludat. Ergo processio unius Personæ ab aliâ, non est ut effectus à causâ.

Tandem ostendo, illam esse per solam actionem immanentem

425. Denique quod talis divina processio non sit per actionem transeuntem, sed solùm immanentem, facilè ostenditur. Quia actione transeunte tam activè, quàm passivè solùm producitur, quod est propriè & verè effectus. Sed divinæ Personæ effectus ratio repugnat. Ergo & processio per actionem transeuntem. Firmatur. Quia quod actione transeunte producitur à Deo, nequit esse ejusdem naturæ cum Deo, ut patet in creatis, quæ à Deo transeunter procedunt. Tres autem divinæ Personæ sunt ejusdem naturæ. Ergo. Restat nunc, ut si quæ sunt, quæ veritatem Catholicam oppugnare videantur, expediamus.

Enti ergo omninò à se, non repugnat

426. Arguitur primò. Enti omninò à se repugnat ab alio procedere. At quælibet divina Persona est ens à se. Ergo nequit ab aliâ procedere. Distinguo majorem: Enti omninò à se repugnat ab alio procedere ut à causâ, concedo: ut à principio originis, nego majorem, & minori concessâ, consequentiam.

esse ab alio ut à principio originis.

427. Instabis. Non stat, unum ab alio procedere, quin ab alio dependeat. Ergo cum divinis Personis dependentia repugnet, nequit illis realis, & intrinseca processio unius ab aliâ competere. Antecedens probatur 1. Procedere ab alio, est, ab alio accipere esse. Sed accipere esse ab alio, est ab illo dependere. Ergo. Secundò. Quia procedens ab alio, nequit esse sine illo. At non potest absque alio subsistere, est ab illo dependere. Ergo. Tertiò. Nam procedere ab alio, est illo ad sui existentiam egere. Sed indigentia dependentiam importat. Ergo. Quartò. Quod procedit ab alio, est ipso posterius. Sed posterioritas effectûs, & dependentiæ rationem inducit. Ergo. Nego primum antecedens. Ad primam probationem, majori concessâ, distinguo minorem: si accipiat esse ab alio diversæ naturæ, concedo: ejusdem naturæ, ut contingit in Deo, nego minorem, & consequentiam. Ad secundam probationem, nego minorem. Quia in sententiâ satis probabili omnipotentia Dei non potest esse absque possibilitate creaturarum; quin tamen ab eâ dependeat. Addiderim (quod verius est) scilicet ad propriam dependentiam non sufficere connexionem unius cum alio; sed ultrà requiri, quod illud importet aliquam subordinationem ad aliud; hoc autem solùm habet locum in his, quæ sunt diversæ naturæ: non autem in divinis processionibus, quæ ejusdem naturæ sunt. Ad tertiam probationem eadem est applicanda solutio; tunc scilicet indigentiam dependentiam importare, quando unum subordinatur alii diversæ, & superioris naturæ. Ad quartam distinguo minorem: Posterioritas naturæ, concedo: posterioritas solùm originis, nego minorem, & consequentiam. Quia Persona procedens hoc modo, & non primo, est posterior eâ, à quâ procedit, in Deo.

Benè stat unum ab alio procedere, quia ab alio dependeat, dùmodo non sit naturæ diversitas.

428. Arguitur secundò ex identitate Personarum solùm infertur, naturam unius Personæ esse independentem à naturâ alterius, non autem Personalitatem unius à Personalitate alterius non dependere. Ergo admissâ processione unius Personæ ab aliâ, debet talis dependentia admitti. Antecedens probatur. Cùm identitate naturæ stat personalitatum distinctio. Ergo ex identitate in naturâ solùm infertur independentia unius naturæ ab alterius naturâ; non autem independentia Personalitatis procedentis à personalitate Personæ, à quâ est procedens. Nego antecedens, & ad probationem, consequentiam. Ratio est. Tum quia Personæ non dependent nisi propter naturam, aut propter esse naturæ acceptum: cùm ergo

Falsum est dicere, ex identitate personarum non inferri quod una personalitas ab alia personalitate non dependeat.

ergo Persona procedens habeat & accipiat idem esse naturæ, ac Persona à quâ procedit; fit, quod inter tales Personas dependentia non detur. Tum quia cùm Personalitas Personæ procedentis cum ipsius naturâ identificetur, benè infertur, quod eo ipso quod natura procedentis sit omninò independens, Personalitas etiam debeat omnem dependentiam excludere.

Quodnam sit discrimen in eo quod cum identitate personalitatis, & naturæ, ster, illam produci non autem istâ & negetur dependentia unius personalitatis ab aliâ.

429. Instabis. Cum identitate personalitatis, & naturæ stat optimè, naturam non esse productam, & productam esse personalitatem. Ergo pariter cum tali identitate stare potest dependentia unius personalis ab aliâ cùm independentiâ naturæ. Respondent aliqui cum Godoy disput. 71. §. 1. concesso antecedenti, negando consequentiam. Et discrimen juxta eos est. Quia esse productum cum independentia, imperfectio non est: esse autem cum dependentiâ productum, est maxima imperfectio: quia ergo natura divina in formalitate sibi identificata nullam imperfectionem admittit, consequens est, quod ab eâ excludat dependentiam; non autem producibilitatem. Sic Godoy. Verùm eadem permanet difficultas in possibilitate rei adæquatè distinctæ, qualis apparet inter unam, & alteram personalitatem, aliam productam, & aliam à quâ illa procedit.

Resp. Personalitatē propriè nō produci, sed per sonam.

430. Respondeo igitur, Personalitatem divinam propriè non produci; sed Personam; sicut nec Personalitas dicitur producere aut generare; sed solùm Persona, seu Pater. Ratio est. Quia actiones, vel quasi actiones solùm tribuuntur suppositis: jam verò cum Persona producta procedat in eâdem naturâ, quæ est in Personâ producente; fit inde, quod nec productio, nec distinctio Personarum inducat imperfectionem; cùm omnia in eâdem, & ipsissimâ naturâ contingant.

Opponitur contra nostram rationem à S. Th. petitam.

431. Arguitur tertiò contra rationem formatam ex Divo Thomâ. Quia non est de ratione intellectionis, quod Verbum producatur. Ergo veritas Catholica adhuc congruenter per talem rationem non rectè stabilitur. Antecedens probatur tum in visione beatificâ, vi cujus non producitur Verbum: tum in divinâ intellectione, prout in Verbo, & Spiritu Sancto, in quibus Verbi productio non datur. Ergo non tenet illud Sancti Thomæ principium; omne scilicet intelligens eo ipso, quod intelligit efformat Verbum.

Ad illam salvandā variè discurrunt Authores

432. Variè discurrunt Theologi, ut Divi Thomæ rationem ab hac, & aliis impugnationibus vindicent. Alii dicunt, Beatos per sui visionem producere Verbum; sed hoc nec congruè dicitur, nec consequenter ad Sancti Thomæ principia: quia licet nunc videamus per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem; quod excludit omne verbum; imò & nos cum oculis corporis attingendo colorem, nullum verbum efformamus. Hoc tamen Deo dante, suo loco magis, & fusiùs illustrabimus. Alii ex Illustrissimo Arauso tomo 1. in primam partem, quæst. 12. artic. 2. dubio 3. Respondent, de ratione intellectionis ut sic esse, annexum Verbi productionem habere, quantum est ex propriâ ratione; cum quo tamen stat, quod visioni beatificæ ex ratione specificâ repugnet Verbi productio. Verùm hic modus discurrendi rejicitur facilè primò. Quia prædicata opposita non possunt eidem essentiæ competere. At Visio beatifica ab intrinseco, & essentialiter petit non producere Verbum; cùm petat versari circa Deum, ut est in se, cui repugnat per verbum creatum repræsentari, sicut alii dicunt, id repugnare per speciem impressam: in quo inconsequenter procedunt. Ergo non potest ex conceptu communi habere exigentiam productionis verbi. Consequentia patet. Quia hæ exigentiæ sunt inter se oppositæ. Tunc sic. Sed si esset de conceptu communi intellectionis exigentia hæc, omni intellectioni deberet competere; cùm ratio superior ad sua inferiora cum omnibus sibi essentialibus descendere debeat. Ergo hujusmodi exigentia non convenit Visioni beatificæ ex conceptu intellectionis. Firmatur. Si enim animali ut sic essentialiter competeret exigentia risibilitatis, nequiret contrahi per differentiam exigentem carentiam risibilitatis, v. g. per hinnibile. Ergo quia non possunt eidem naturæ opposita prædicata competere, unum secundùm genus, & aliud secundùm speciem, non poterit Visioni beatificæ, &c.

Aliter respondet Ill. Godoy sed impugnatur.

433. Aliter respondet Godoy, antecedenti concesso, negando consequentiam. Quia licet non sit de ratione intellectionis productio Verbi; est tamen de ratione naturæ intellectualis, quod in aliquâ sui intellectione verbum efformet; ac proinde id erit de ratione naturæ intellectualis divinæ, quæ in supremo gradu intellectualitatis collocata existit, Sed contrà. Quia juxta Divum Thomam, omne intelligens eo ipso, quod intelligat, Verbum producit. At quod convenit intelligenti eo ipso, quod intelligat, ei convenit ex conceptu communi intellectionis. Ergo. Tum quia si non esset de ratione intellectionis productio Verbi, non posset illa universalis ex Divo Thomâ congruenter ostendi. Ergo Verbi productio est de communi intellectionis conceptu. Antecedens probatur. Quia ea univer-

universalis propositio solùm potest à Divo Thomâ inductivè ostendi; scilicet per intellectuales creatas discurrendo naturas. Sed hæc circa objectum infinitum clarè visum, verbum non producunt. Ergo ex illis non licet inferre universalem verbi productionem ab omni intellectivâ naturâ.

Beati solû vident Deum per hoc quod divina essentia ipsorum intellectui unitur in esse intelligibili.

434. Jam igitur tota fistit difficultas in verâ Divi Thomæ explicatione ad concludendam Catholicam veritatem: ut ergo illam dilucidemus, nota ex doctrinâ Sancti Doctoris Beatos non videre Deum mediâ aliquâ specie creatâ, sive impressâ, sive expressâ (quod communiter distinguunt Doctores,) sed per hoc solùm, quod ipsa divina essentia unitur intellectui Beatorum in esse intelligibili. Tractat punctum hoc 3. contra Gentes, Divus Thomas cap. 51. ubi. ait: *Modus autem hujus visionis satis jam ex dictis, qualis esse debeat, apparet. Ostensum enim est suprà, quod divina substantia non potest videri per intellectum in aliquâ specie creatâ: unde oportet, si Dei essentia videatur, quod per ipsammet essentiam Divinam intellectus ipsam videat: ut sic in tali visione, Divina Essentia sit, & quod videtur, & quo videtur.* Ita Sanctus Doctor.

Unde argumentû conspicuâ solutione enervo.

435. Ex quibus respondeo ad argumentum, rationem Divi Thomæ, & ejus illationem ex creaturis intellectualibus hunc sensum habere. Omne scilicet intelligens fœcundum per speciem creatam producit Verbum. Ergo intelligens per speciem divinam sibi identificatam, Verbum etiam producit. Jam verò cùm Beatus non attingat Deum per aliquam speciem creatam, non dicitur intelligere modo requisito ad Verbi productionem: & ideò Theologi eum actum magis nomine visionis, quàm intellectionis nominant, juxa illud Apostoli: *Videbimus Deum facie ad faciem*: sumptâ quasi metaphorâ à visione corporeâ, in quâ (ut diximus cum Sancto Thomâ in Philosophiâ) nullum producitur Verbum, seu expressa species: non enim attinet ad visionem loqui, sed videre: Imò nec intellectus loquitur, cùm videt; sed cùm intelligit, modo jam explicato.

LECTIO II.

Relatis Doctorum placitis, vera sententia propugnatur.

1. Sententia tenet processiones activas esse distinctas ab actionibus intelligendi, & volendi in Deo.

436. PRima sententia docet, processiones activas esse actiones distinctas ab actionibus intelligendi, & volendi in Deo, nec tales actus includere formali inclusione. Ita Scotus in 1. distinct. 2. quæst. ult. & distinct. 27. quæst. 2. Cui præter omnes Scotistas subscribunt noster Magnus Suarius lib. 6. de Trinitate cap. 3. Molina disp. 4. tit. 3. Valentia disp. 2. quæst. 1. puncto 4. Albertinus corollario 12. Theologico, dubitat. 3. Verum quidem est, hanc sententiam non uno, sed longè diverso modo ab his defendi Doctoribus. Nam Scotus, Suarius, Molina, & Valentia activam processionem statuunt in actu inadæquatè identificato cum relatione principii producentis, v. g. in generatione Filii cum relatione Patris: in productione verò Spiritûs Sancti, activam processionem cum Spiratore identificant. Pater verò Albertinus tenet, activam processionem identificari cum relatione termini producti.

2. ex diametro opponitur primæ.

437. Secunda autem sententia tuetur ex opposito, processiones activas esse formaliter actus intelligendi: & volendi; ita ut dictio, quâ Verbum producitur, sit formaliter actus intelligendi: & processio, quâ Spiritus Sanctus procedit, sit ipsa volitio formaliter. Hæc est satis communis inter Thomistas. Sic Capreolus in 1. distinct. 22. cap. 1. Ferrara lib. 4. contra Gentes, cap. 3. Cajetanus art. 5. Zumel quæst. 41. Salmaticenses disp. 1. dub. 3. Joannes à S. Thomâ disp. 12. art. 5. Ex nostris verò eam tenent Acutissimus Vasquez disp. 112. Granados tract. 2. disp. 3. & disput. 140. cap. 2. Meratius tract. de Deo, disp. 43. & disp. 55. Hæc tamen opinio solet dupliciter defensari. Alii adstruunt, duplicè actum intelligendi, & volendi in Deo: primum quidem essentialem, & communem tribus Personis, quam à constitutione divinarum processionum omninò excludunt: Alium verò notionalem, & relativum, & hunc in activis processionibus, asserunt, formaliter claudi. Quem dicendi modum tanquam Thomistarum refert, & refellit Pater Turrianus hic art. 5. in secunda part. quæstionis. Secundus verò hanc sententiam defendendi modus solùm cognoscit unum intelligere essentiale, in quo modificato per Paternitatem, eam dictionem, seu processionem activam, quâ Verbum procedit, consistere; affirmat,

affirmat; & idem defendit de actu volendi respectu processionis Spiritûs Sancti. His ita.

Dico 1. Processio activa nõ identificatur adæquatè cũ termino producto.

438. Sit prima Conclusio. Processio activa non identificatur adæquatè cum termino per illam producto. Ita præter relatos, Pater Zuniga disputat. 1. dubio 7. Pater Hurtadus difficult. 5. contra Henricum, Scotum, Zumelem, quos sequitur noster Borrul disputat. 5. sect. 3. Probabatur primò ex Divo Thomâ quæst. 91. artic. 1. ad secundam, ubi ex Magistro in 2. Sententiar. distinct. 26. docet, quod generatio, & nativitas aliis nominibus dicuntur Paternitas, & Filiatio. At si generatio activa esset adæquatè identificata cum Filio, Paternitas dici non potest. Ergo generatio activa non identificatur adæquatè cum Filio. Secundò. Quia actio immanens est in eodem subjecto, in qno est illius activa potentia. Sed generatio, aut processio quælibet activa est actio immanens respectu potentiæ activæ, quæ est in Patre. Ergo non cum Filio; sed cum Patre debet identificari.

Rursùs quia potentia generativa Patris cũ sit summè actualis, nõ potest ab actu sibi proprio distingui.

439. Probatur tertiò Conclusio. Quia potentia generativa Patris est summè actualis. Ergo non ab actu sibi proprio realiter distingui. Probatur consequentia. Etenim potentia à suo actu realiter distincta, in summâ actualitate non est. Nec obstat, si dicas, quod sicut ex distinctione reali Verbi à principio productivo reali Verbi, non sequitur in isto aliquid potentiale, eo quod ratione naturæ cum eo identificatur: Ita similis actionis identitas in naturâ cum eodem principio, ab illo omnem potentialiatatem excludit. Sed contra. Nam quod Verbi distinctio à suo principio, potentialitatem non arguit, ex eo est, quod principium non actuatur per terminum productum: At verò actio immanens ex suâ ratione actuat principium actualitate intrinsecâ. Ergo semper deducitur idem, quod priùs; quod scilicet si talis processio actuatur à principio activo, sequitur quod illud sit potentiale, si ab illo, ut inquiunt Contrarii, realiter distinguatur.

Tandé ab absurdo probatur.

440. Ad hominem tandem potest probari conclusio. Ideò enim probatur, per actionem termino identificatam, posse Patrem in generantis ratione constitui; quia in creatis ita contingit, quod scilicet principium agens constituitur per actionem subjectam in passo. At ratio hæc, si aliquid probat, arguit etiam, Patrem Divinum posse in ratione Patris constitui per relationem sibi extrinsecam, & intrinsecam Filio, quod est planè absurdum. Ergo talis ratio nullius roboris est. Probo sequelam. Quia juxta Albertinum, qui sic discurrit, & alios, relatio in creatis, est extrinseca denominatio à termino; & consequenter Pater creatus denominatur Pater relativè vel à Filio producto, vel ab actione generativâ existente in passo; vel saltem inadæquatè constituitur Pater per aliquid sibi extrinsecum juxta hujusmodi varias opiniones. Ergo si ex creaturis licet argumentari, & colligere, principium denominari agens in divinis ab actione identificatâ cum termino, eo quod in creatis ita contingat: licebit etiam non minori efficaciâ inferre, Patrem Divinum in esse Patris per relationem sibi extrinsecam, & cum termino identificatam, constitui.

Dico 2. Processiones activę non identificari ad æquatè cũ relationibus principiorum.

441. Sit secunda Conclusio. Processiones activæ non identificantur adæquatè cum relationibus principiorum: v. g. Generatio non adæquatè identificatur cum relatione Patris, nec Spiratio activa cum relatione Spiratoris. Est dicere, Processiones activæ non in solis relationibus Patris, & Spiratoris sunt: Sed insuper aliquid absolutum important. Hæc conclusio est ad mentem Sancti Thomæ quæst. 3. de Potentiâ, artic. 5. in corpore, ubi ait: *Similiter ergo dicendum de actione, & potentiâ: nam generatio significat actionem cum aliquo respectu: Unde ipsa generatio est Dei actio; sed prout Patris tantùm; & similiter ipsa potentia generandi est Dei omnipotentia; sed prout Patris tantùm, &c.* Ita ibi. Ex quibus verbis clarè colligitur, Sanctum Doctorem quantùm ad identitatem cum relatione æquiparare generationem cum potentiâ generativâ. Sed hæc (ut infrà ostendam) non identificatur adæquatè cum solâ relatione. Ergo idem est de processionibus activis.

Unde suaderur 1. quia potẽtia generativa Patris nõ est adæquatè relatio, sed absolutum cũ respectu.

442. Ex his suadeo primò à rationem conclusionem. Potentia generativa Patris non est adæquatè relatio; sed absolutum cum respectu, ut constat ex Divo Thomâ. Ergo generatio, seu actualis activa processio non est adæquatè relatio principii, sed quid absolutum cum respectu. Consequentiam probo primò. Tum quia sic salvatur major identitas actionis cum potentiâ, actûs secundi cum primo, vel quasi primo; & consequenter major perfectio potentiæ, quæ eò perfectior est, quò actualior, & quò cum actu secundo magis identificata, ut benè docent Godoy, & alii. Secundò. Quia si omnipotentia in Patre ut Paternitate modificata, est fœcunda ad generandum per modum actûs primi; cur actus secundus divini intellectûs prout modificatus relatione Patris, non erit fœcundus etiam

per

per modum actûs secundi ; & consequenter in illo prout sic, & non in solâ relatione actualis generatio adæquatè consistet ?

2. Suadetur, cõtrariã retorquendo rationem.

443. Suadeo secundò Conclusionem generaliter ; si ob aliquam rationem generatio activa identificaretur adæquatè cum relatione Patris, maximè quia est propria Patris, prout à Filio distinguitur, vel quia Patrem à Filio distinguit. Sed hæc ratio manifestè instatur in potentiâ generativâ. Ergo nihil ex eâ contra nos. Minor probatur. Potentia generativa est propria Patris, prout à Filio distinguitur : Cum non minùs repugnet Filio posse generare activè, quam ipsa actualis activa generatio ; & tamen potentia generativa non consistit adæquatè in relatione, aut respectu ; sed in absolutò, & respectu simul, ut plures ex his, contra quos agimus, concedunt. Ergo.

3. Quia quò major est inter producens, & productum, eò est productio perfectior.

444. Suadeo tertiò. Quo major est identitas inter producens, & productum, eò est productio perfectior. Sed positâ generatione in absoluto, & respectu simul, major inter producens, & productum salvatur identitas, quàm si solùm in relatione adæquatè consistat. Ergo. Major videtur certa. Cum producens eò tendat actione, ut sibi simile producat ; quò autem magis identificatur cum producente, eò ei similius evadit, & consequenter finem suâ actione intentum, perfectiùs attingit. Minor autem facilè constat ; si enim actio est adæquatè identificata cum relatione principii, adæquatè distinguitur à termino producto ; si enim in absoluto cum respectu ponatur, est idem cum termino producto secundùm id, quod de absoluto importat ; & solùm ab eo per respectum distinguitur. Consequentia verò principalis probari non eget.

Dico 3. activa processio Verbi est ipsa intellectio essentialis modificata relatione Paternitatis.

445. Sit tertia & præcipua Conclusio. Processio activa, quâ Verbum procedit, non est actus adæquatè distinctus ab actuali intellectione essentiali, & absolutâ ; sed est ipsa intellectio ut modificata relatione Paternitatis, seu ut hanc relationem involuit. Hoc ipsum, quod de actione, quâ Verbum producitur, asserimus, dicimus etiam de processione Spiritûs Sancti ; quod scilicèt hæc non distinguatur ab actu volendi ; sed quod sit volitio essentialis, prout modificatur relatione spiratoris ; quæ relatio primæ ; & secundæ Personæ est una, & eadem, & communis, atque ejusdem prorsùs rationis.

Quod autè nõ stet in actuali intellectione præcisè ; probatur cõmuni ratione.

446. Et quidem quod attinet ad secundam partem ; quod scilicèt processio activa non stet in actuali intellectione, aut volitione præcisè, hâc communi ratione probatur. Processio, quæ est generatio, solius Patris debet esse propria ; non autem ullius alterius Personæ : Item spiratio activa non debet esse communis tribus Personis ; sed solùm Patri, & Filio. Sed intellectio, & volitio præcisè sumptæ, omnibus divinis Personis conveniunt. Ergo divinæ processiones activæ non possunt stare in intellectione, & volitione præcisè ; sed aliquid aliud formalem constitutionem ingreditur ; & hoc est relatio Patris respectu processionis, quæ generatio est ; & relatio spiratoris respectu processionis, quæ est activa spiratio.

Prima ergo Conclusionis pars probatur 1. ex S. Thoma variis in locis.

447. Jam verò prima pars Conclusionis à nobis hîc est principaliter stabilienda contra Scotum, & alios. Suadetur primò authoritate Divi Thomæ. Quia juxtà Divum Thomam Verbum est intellectionis terminus : Ita expresè edocet quæst. 4. de Veritate, artic. 2. quæst. 9. de Potentiâ, artic. 5. & 1. parte, quæst. 34. art. 1. ad 2. & 4. contra gentes, cap. 11. his verbis : *Est autem de ratione Verbi, quod procedat ab intelligente secundùm suum intelligere ; cum sit quasi terminus actualis intellectionis.* Ita Sanctus Doctor. Sed Verbum est terminus dictionis activè sumptæ. Ergo dictio formaliter est ipsa intellectio, & non actus specialis intellectionem essentialem formaliter excludens.

Quandam evasionem præcludo

448. Nec satisfacis, si dicas, Verbum esse quidem terminum intellectionis, ut principii ; & dictionis, ut actionis ; ac proindè non inde sequi, quod sit terminis intellectionis, & dictionis, quod dictio sit formaliter intellectio ; cum diversimodè ab utrâque procedat. Hoc autem nihil confert. Nam si solùm hoc modo Verbum esset terminus intellectionis ut principii, aut potentiæ ; non verò ut actionis ; dicere in nobis nullo modo significaret intelligere : Cum nomen actionis non significet ejus potentiam, aut principium. Sed *dictio* in nobis significat intelligere exprimens Verbum, juxtà Divum Thomam quæst. 9. de Veritate, artic. 9. ad 5. ubi ait : *in nobis* dicere *non solùm significat intelligere ; sed intelligere cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem.* Ergo Verbum non est terminus intellectionis præcisè ut principii, à quo procedit ; sed ut actionis, quâ procedit.

2. A ratione probatur. Quia omnis actûs intellectûs est formaliter intellectio ; dictio autem est actûs intellectûs divini ut appropriati Patri.

449. Suadetur secundò à ratione Conclusio. Omnis actus intellectûs est formaliter intellectio. Sed dictio est actus intellectûs divini ut appropriati Patri, ut contrà Durandum disputant Theologi. Ergo dictio, seu activa processio, quâ Verbum procedit, est intellectio formaliter ; ac proindè non est quasi actus medius inter relationem, & intellectionem, & multò minùs ipsa sola relatio. Major patet. Actus, qui intellectio non sit, sufficiens est ad specificandam potentiam adæquatè distinctam

ctam ab intellectivâ: Nec ob aliam rationem volitio specificat potentiam ab intellectu distinctam, nisi quia intellectio non est. Ergo omnis actus, qui intellectio non sit, specificare valebit potentiam distinctam non minùs, quàm volitio.

Firmatur 1. præjacta ratio. Quia actus inter se distincti, & nullatùs subordinati, ad eandē nequeunt pertinere potētiam.

450. Firmatur primò. Quia juxtà contrarios, qui relegunt Scoti vestigia, dictio, quâ divinum Verbum producitur, non est propter intellectionem, nec ex eâ procedit. Ergo nullum ordinem habet ad intellectionem. Sed actus omninò distincti, & inter se non subordinati, nec ordinati ad aliquam rationem communem, ad eandem potentiam pertinere non possunt. Ergo. Minor subsumpta constat. Quia licèt in eâdem potentiâ non sit novum assignare plures, & diversos actus, ut in intellectu apprehensio, judicium, discursus; & in voluntate Amor boni, intentio finis, electio mediorum, &c. tamen cum ex eorum diversitate non arguatur diversitas potentiarum, necessarium est, vel quod conveniant sub aliquâ ratione objecti communis ad eandem potentiam pertinentis; vel quod inter se subordinentur in ordine ad actum perfectiorem ejusdem potentiæ, ut contingit in actibus intellectûs, & voluntatis, & aliqui edocent de gradibus hætherogeneis in physicis, & naturalibus.

Itē. Quia licèt illa dictio sit propter intellectionē, hoc nō sufficit ut ab eâdē potentiâ procederet: id patet in specie impressâ.

451. Firmatur secundò. Etiamsi Adversarii dicant, quod dictio illa sit propter intellectionem; id tamen non sufficeret, ut ab eâdem potentiâ procederet, à quâ est intellectio. Ergo ut ab eâdem potentiâ, scilicèt intellectu, procedat, debet esse intellectio. Antecedens probatur. Licèt productio speciei impressæ, quâ noster intellectus redditur fœcundus, sit propter intelligendam, & ad intelligere ordinetur, nihilominùs pertinet ad distinctam potentiam ab intellectu possibili, ut multi ex Adversariis fatentur. Ergo ordinatio productionis Verbi ad intellectionem, dummodò intellectio non sit, ut ad eandem potentiam cum intellectione pertineat.

Dices, disparē esse rationē; sed urgeo

452. Nec valet dicere, quod species impressa ordinatur ad intellectionem, ut principium ejus: Verbum autem est terminus, in quo intellectio suum objectum contemplatur; & ideò disparem esse rationem inter utrumque actum. Non, inquam, sufficit. Quia si semel ordinatur, parùm refert, quod ordinetur ut principium, vel ut terminus intellectionis: Præmissæ enim solent dici Conclusionis principia; & tamen ad eandem potentiam pertinent eò, quod ad Conclusionem ordinentur. Addiderim, falsum esse assumptum; quod scilicèt species impressa sit principium, quo ab intellectu possibili fluit alius actus, qui dicitur intellectio: Quia (ut constat ex dictis in Tractatu de Animâ cum Divo Thomâ) species impressa solùm est veluti principium Verbi; & ut se habet ad illud, in quo contemplatur objectum, dicitur, & est ipsa formalis intellectio. Quod quidem satis expressè docuit Divus Thomas quodlibeto 5. art. 9. per hæc verba: *Dicendum, quod intellectus intelligit aliquid dupliciter: Uno modo formaliter, & sic intelligit specie intelligibili, quâ fit in actu; alio modo sicut instrumentum, quo utitur ad aliquid, aliud intelligendum; & hoc modo intellectus verbo intelligit; quia format Verbum ad hoc, quod intelligat Verbum.*

Displicet Illustrissimus Godoy impugnans Scotum.

453. Nec placet, quod ait Godoy contra Scotum: Nimirum quod etiam intellectus possibilis per unam speciem fœcundus, potest per proprium actum tertiam speciem impressam elicere. Tum quia de ratione intellectûs possibilis non est producere speciem; sed solùm eam pati. Tum quia de ratione speciei impressæ est, quod ab alio alteri imprimatur. Tum quia Philosophus comparat intellectum possibilem rasæ tabulæ, in quâ nihil est depictum; intellectus autem possibilis se habet ut pura potentia respectu specierum, seu formarum intelligibilium; quemadmodùm omnes dicant, materiam primam puram potentiam physicam respectu formarum naturalium.

Denique suadetur. Quia aliter dictio esset actus identificatus cum Verbo.

454. Denique suadetur Conclusio. Si dictio non esset intellectio formaliter; sed actus ab intellectione distinctus, sequeretur, esse actum identificatum cum Verbo. Hoc autem communi Theologorum judicio repugnat. Ergo. Sequela probatur. Quia Deus non causat creaturas per actionem, quæ sit intellectio; vel saltem actio creativa in plurium eorum sententiâ identificatur cum termino. Ergo si actio, quâ Pater producit Verbum, non est intellectio formaliter, erit actio identificata cum Verbo producto. Nec illud, quod primò occurrit discrimen, obstat: Deum scilicèt causare creaturas per actionem transeuntem, ac proinde actionem illam debere identificari, non cum Deo; sed cum termino: Patrem verò divinum producere Verbum per actionem immanentem, quæ petit esse in principio producente. Hoc, inquam, non obstat. Quia semel concesso, non repugnare Deo agere per actionem, quæ non sit formaliter intellectio, & per actionem identificatam cum termino extrinseco; cur repugnabit Deo agere ad intrà per actionem identificatam cum termino ejusdem naturæ, quæ etiam tunc dicetur immanens; quia identificatur cum termino intrà Patrem manente ratione identitatis cum illo in natura? Certè in hoc

hoc nulla potest assignari ratio: Ne autem inconveniens istud sequatur, affirmandum est, dictionem, seu processionem activam Verbi non esse actum omninò formaliter ab intellectione distinctum; cum, ut dictum est suprà, actus ille, qui nec ordinatur ad intellectionem, nec est sub ratione communi objecti intelligibilis, non possit pertinere ad intellectivam potentiam. Et idem, proportione servatâ, dicendum de processione activâ Spiritûs Sancti.

LECTIO III.

Quæ contrà militant, facilè expediuntur.

455. OBjicitur primò contra primam Conclusionem cum Patre Borrull. Processio activâ est id, quo Pater producit Filium. Sed id, quo Pater producit Filium, est processio passiva Filii. Ergo processio activa identificatur cum passivâ, ac proinde cum termino producto. Major constat. Quia processio activa est id, quo Pater est producens Filium. Ergo id, quo Pater producit Filium. Minor verò probatur. Id, quo Pater producit Filium, est id, quo Filius à Patre producitur. Sed id, quo Filius à Patre producitur, est processio passiva Filii. Ergo id, quo Pater producit Filium, est processio passiva Filii. Minor patet. Quia processio passiva Filii est id, quo Filius accipit esse productum à Patre. Ergo est id, quo Filius à Patre producitur. Majorem, ait Pater Borrull, esse ita claram, ac Grammaticis est claram, orationem in passivâ voce idem valere, ac in voce activâ. Ergo id, quo Pater producit Filium, est id, quo Filius à Patre producitur. Concessâ ergo majori, nego minorem. Ad pobationem, majori concessâ, est etiam deneganda minor. Illa verò alia minor, quæ sequitur, ac certa supponitur, est omninò falsa. Quia processio passiva non est id, quo Filius accipit esse per modum influxûs, & actionis; sed est ipsum esse Filii acceptum per modum termini; cum habitudine tamen ad Patrem, qui mediâ suâ actione producit Filium, ei esse communicando. Illud verò, quod additur de sensu orationis in voce activâ, & passivâ, verum est; sed ità explicari debet. Per actionem immanentem, quæ est in Patre, Pater producit Verbum, & Verbum à Patre producitur: Quemadmodùm per actionem, quæ est in intelligente, & intelligens intelligit, & objectum intelligitur, quin ex parte objecti necessarium ullâ ratione sit, intellectionem ponere.

Id, quo Pater producit Filiũ, non est processio passiva Filii; hæc enim est ipsum esse acceptum per modum termini.

456. Objicitur secundò. Licèt in creatis non solùm actio immanens; sed etiam ejus terminus sit in principio causativo sui; tamen in divinis Verbum, quod est terminus actionis immanentis, non est in potentiâ causativâ Patris. Ergo etiam de actione, licèt immanens sit, idem poterit affirmari. Nego consequentiam. Quia ad hoc, ut Verbum sit terminus actionis immanentis, sufficit, quod sit in Patre ratione identitatis, quam cum ipso habet in naturâ. Sed.

Ut Verbũ sit terminus actionis immanẽtis, sufficit, quod sit in Patre ratione idẽtitatis in naturâ cum illo.

457. Replicabis. Ergo etiam, ut actio, quâ Verbum producitur, sit immanens, sufficiet manere in principio ratione identitatis in essentiâ cum illo; cum quo benè compatitur identificari adæquatè cum Filio. Nego consequentiam. Ratio discriminis est. Quia hæc est differentia inter Verbum creatum, & increatum; quod illud non producitur ut quid subsistens; sed tamquàm medium, quo, sive in quo intellectus intelligat, & rem in illo repræsentatam attingat: Quod quidem non semel speculi exemplo illustravi. Unde intellectus creatus ex necessitate intelligendi media specie fœcundus, format Verbum expressivum rei; aliter cum plerumque res sint materiales, & istæ pro suâ crassâ materialitate non sunt proportionatæ spirituali potentiæ, nisi formaret Verbum, in quo res appareat, devastata, aut denudata suâ materialitate, non esset modus illam cognoscendi; cum implicet actus sine objecto. Hinc autem datur intelligi, quarè non solùm actio immanens creata, sed etiam ipsum Verbum, seu terminus debeat esse immanens in ipsâ potentiâ; tum ex necessitate illius: Tum quia est quædam illius perfectio.

Verbum creatũ ab increato secernitur in eo, quod illud non producitur, ut quid subsistens.

458. At longè diverso modo (præter multiplex discrimen, quod ex hujus Tractatûs decursu innotuit, ac innotescet) in divinâ Verbi productione contingit. Tum quia Pater non producit Verbum ex necessitate; sed ex fœcunditate: Filius enim, & Spiritus Sanctus perfectissimè intelligunt; & tamen nullum Verbum producunt. Tum quia Pater non producit Verbum, ut intrinsecè perficiatur per illud; imò ideò Verbum producit, quia est infinitè perfectissimus; atque adeò ex nullo capite petit Pater Æternus immanentiam sui Verbi producti, per identitatem cum potentiâ productivâ; sed solùm ratione identitatis cum naturâ. Tum denique quia Verbum divinum producitur ut quod, & ut aliquid subsistens relativè oppositum principio producenti; ac proinde nequit realiter identificari cum illo. Jam verò actio productiva non producitur *ut quod*, nec id petitur petitur

Prætereà in multis increatũ Verbum à creato secernitur.

ad actionis conceptum; sed tantùm quod sit ultima actualitas, quâ suum terminum producat agens; & sic perit in divino principio manere ratione identitatis cum illo: Aliàs principium non esset ultimò, & perfectissimè in actu ad producendum; quod quidem in principio maximè infinito, ac perfectissimo omninò implicat,

Non valet paritas desumpta à fieri effectûs creati, qui prout ab agẽte, est ipsa actio productivâ effectûs.

459. Objicitur tertiò. In creatis fieri effectûs, prout ab agente, est ipsa actio productiva effectûs. Ergo in divinis ipsum produci Filium, prout à Patre erit ipsa actio generativa; & consequenter hæc, & quælibet alia activa processio adæquatè identificatur cum termino producto. Nego consequentiam. Disparitas est. Quia (ut constat ex dictis fusiori calamo in Metaphysicâ) operari agentium naturalium est per motum secundùm qualitates contrarias, agens enim naturale nequit unum substantialiter generare, quin aliud corrumpat. Hoc autem non præstat agens naturale, nisi per motum secundùm qualitatem; qui motus non est in movente; sed necessariò in mobili; sic diximus in prædicamento actionis, quod cum ignis facit calidum, frigidum destruendo, ipse calor, quo formaliter fit calidum, prout oritur ab igne, est, & dicitur actio; & prout recipitur in passo, dicitur passio, quin sit necessarium, ullum alium modum superaddere. Hinc constat, quarè in agentibus creatis ipsum fieri effectûs se habeat ex parte subjecti, & non ex parte agentis. Tum quia operatur per motum; hic autem non est in movente; sed in mobili. Tum quia operatur ad vincendam resistentiam contrarii; ad quod necessarium est, ut quod agitur, seu producitur, recipiatur in subjecto, ad contrariam formam expellendam, & intentam introducendam. Hæc autem omnia non ita se habent in Patre increato, qui nec operatur per motum, nec ei aliquid resistit in producendo; nec est ulla ratio, quare ejus actio generatio se habeat ex parte termini producti; præsertim cum sit vitalis, & immanens.

Nõ enervant solutionẽ datam, quæ à magno Suario opponũtur.

460. Verùm hæc solutio parùm solida visa fuit nostro eximio Suario. Primò. Quia in divinis licèt non mediet motus; benè tamen intelligitur mediare ipsum produci Filium. Ergo hoc comparatum ad principium activum, erit actio principii. Secundò. Quia in creatione non mediat motus; quia cum res fiat ex nihilo, nihilum non movetur; & tamen ipsum fieri effectûs, prout ab agente est actio creativa. Ergo idem, quod priùs. Sed hæc non obstant. Respondeo ad primum, negando antecedens. Quia ipsum produci Filium, passivè sumptum, non mediat; sed solùm est terminus actionis Patris; ac proinde comparare ipsum produci Filium, ad principium activum, est idem, ac comparare ipsum Filium ad Patrem mediâ generatione, quæ est in illo. Ad secundum dic, suppositum esse falsum: Nam (ut ostendi in Philosophia) actio creativa non distinguitur realiter ab ipso Deo; nec ad faciendum aliquid ex nihilo, requirit Deus medium aliquod; cum etiam hoc medium absque alio medio ex eodem nihilo fiat, ut dicunt contrarii Doctores. Nec est actio necessaria distincta, quæ se habeat ut via ad terminum: Quia solùm in subjecto, in quo potest esse motus, dari potest via: At terminus creationis cum non sit ex præsupposito subjecto; sed potiùs ex nihilo fiat, in nihilo non est dari viam aliquam ad nihilum, vel ad aliquid.

Nobis nõ refragatur Angelicus 1. p. quæst. 14.

461. Objicitur quartò. Juxtà Divum Thomam 1. parte, quæst. 41. in Deo datur realis activa potentia respectu actuum notionalium; quam potentiam negat respectu actuum essentialium. Sed potentia realis activa necessariò exposcit realem influxum. Ergo non solùm terminus; sed etiam activa processio à potentiâ activâ realiter distinguuntur. Respondeo, Divum Thomam solùm voluisse assignare discrimen inter actus notionales, & essentiales; stans quidem in eo, quod respectu actuum essentialium non datur potentia realiter productiva, nec ratione sui, nec ratione termini: Quia non habent terminum ad intrà productum; benè tamen respectu actuum notionalium terminativè; quia habent terminum intrà Deum realiter productum.

Dices eõd tra 2. Cõclusionẽ, relationẽ Paternitatis non posse intelligi Patri cõpetere, quin intelligatur exercitè generans.

462. Objicitur quintò contra secundam Conclusionem. De conceptu generationis est, ut pro quocumque signo intelligatur subjecto competere, ipsum constituat in actu exercito generans. Sed relatio Paternitatis nequit intelligi Patri conveniens, quin Pater in actu exercito generans intelligatur: Omnis autem alia formalitas intelligi potest Patri conveniens, quin illum constituat exercitè generantem; cum absoluta sit, & prædicata absoluta notionalia præcedant. Ergo sola Paternitas ratione sui est generatio activa absque aliquâ aliâ formalitate generationis ingrediente conceptum. Distinguo minorem: Quin intelligatur in actu exercito generans ratione relationis Paternitatis præcisè, nego: Ratione illius ut complentis, & determinantis intellectionis formam, concedo minorem, & nego consequentiam. Pro solutionis intelligentiâ nota doctrinam utilissimam, quam affert Divus Thomas quæst. 10. de Potentiâ,

rentiâ, art. 3. ubi in corpore sic ait: *Sicut autem relatio, & processio sunt idem secundùm rem, & differunt secundùm rationem tantùm; ita & ipsa relatio licet sit una secundùm rem; & tamen multiplex secundùm modum intelligendi: intelligimus enim ipsam relationem ut constitutivam Personæ: quod quidem non habet, in quantùm est relatio; quod ex hoc patet. Quia relationes in omnibus humanis non constituunt Personas, cùm relationes sint accidentia: Persona verò est aliquid subsistens in genere substantiæ; substantia autem per accidens constitui non potest. Sed habet hoc relatio in Divinis, quod Personam constituat, in quantùm est divina relatio: ex hoc enim habet, quod sit idem cum divinâ essentiâ, cùm in Deo nullum accidens esse possit. Relatio verò, quâ secundùm rem est ipsa natura divina, Hypostasim divinam constituere potest. Est ergo alius modus intelligendi, quo intelligitur relatio ut constitutiva divinæ Personæ; & alius, quo intelligitur relatio, ut relatio est. Unde nihil prohibet, quod quantùm ad unum modum intelligendi relatio supponat processionem, quin verò ad alium sit èconversò. Sic ergo dicendum est, quod si consideretur relatio ut relatio est, præsupponat processionis intellectum: si autem consideretur, ut est constitutiva Personæ, sic relatio, quæ est constituitiva Personæ, à quâ est processio, est prior secundùm intellectum, quàm processio: sicut Paternitas, in quantùm est constitutiva Personæ Patris, est prior secundùm intellectum, quàm generatio.* Ita ibi S. Thomas.

Unde relatio Paternitatis est una 2. rem multiplex tamen ratione.

463. En textum, quem si ad Scholasticam lucem expendas, plura quidem effugies, quæ in hâc totâ materiâ non tam difficultatis ansam præbent, quàm æquivocationis nebulam offundunt. Est igitur relatio Paternitatis, una secundùm rem, ideſt, realiter una; multiplex tamen conceptu, seu ratione; quia secundùm varia munera, quæ exercet, varios quoque de illâ formamus conceptus secundùm species, quas de creaturis habemus: est enim scientia, & cognitio creaturarum quasi scala quædam, quâ intellectus humanus ad divinas processiones cognoscendas ascendit, juxta illud Pauli: *Invisibilia Dei, &c.* Modus autem, quo formamus conceptus de Deo, & cui varias denominationes tribuimus ex diversitate talium conceptuum, non est, quod hic explicituri moremur, cùm ab ipso Tractatu de Animâ sæpè sæpiùs rem illustraverimus.

Tria igitur muncra præstat eadem indivisa Paternitatis relatio.

464. Stemus nunc proposito. Relatio igitur Paternitatis primò constituit Personam Patris. Secundò constituit eam generare potentem: Tertiò eam constituit generantem; Quartò constituit eam ad Filium relatam. Hæc omnia præstat una & indivisibilis entitas relationis: Quia tamen in creatis non est dare entitatem, quæ hæc omnia munera exerceat; sed plures ad illa præstanda entitates requiruntur; earum species intellectus assumit ad varios formandos conceptus, in quibus diverso modo eandem cognoscit relationis entitatem: nam sub conceptu subsistentiæ, seu hypostasis eam cognoscit ut complentem divinam naturam in ratione suppositi, seu Personæ; sub conceptu verò principii determinantis potentiam, cognoscit illam ut complentem Personam in ratione potentis generare: sub conceptu autem principii determinantis actionem illam attingit ut complentem, & constituentem Personam in ratione actualiter generantis: & quia positis generante, & genito, statim utriusque relatio resultat, ideò sub conceptu relationis constituit Personam in ratione Patris relativè ad Filium. Hic autem verus, & legitimus discurrendi modus, atque loquendi in hoc arcano Mysterio, valdè consonus est; cùm enim Theologiam humanam, & non Angelicam pertractemus, humano nostro intelligendi modo debet attemperari discursus.

Inde est 1. quod priùs intelligitur Pater per relationē sub cōcep tu subsistentiæ persona, quam potens generare.

465. Ex quâ doctrinâ intelliges primò priùs intelligi Patrem in ratione Personæ constitutum per relationē sub conceptu subsistentiæ, aut hypostasis, quam generare potens intelligatur. Ratio est. Quia in creatis, ex quibus ascendimus ad Deum, priùs est suppositum, quod denominatur potens, quàm potentia, quâ potens dicitur: quod quidem vel ab ipsis Grammaticæ Rudimentis notum facimus; ubi priùs ponitur verbum *Sum*, suppositum importans, quàm verbum *Possum*, quod ultra suppositum significat potentiam suppositò, vel subjecto inhærentem.

2. etiam priùs cōcipitur cō stitutus per illam in ratione potentiæ generare, quàm actualiter generari.

466. Intelliges secundò, priùs concipi Patrem constitutum in ratione generare potentis, per divinam relationem inadæquatè sub conceptu principii determinantis potentiam, quàm intelligatur actualiter generans. Ratio est. Quia in creatis prior est potentia, seu principium, quo suppositum, vel subjectum est potens, quàm actus illius potentiæ secundus: sicut priùs est, ignem esse potentem calefacere per calorem ipsi inhærentem, quàm actu calefacere, seu actualis calefactio. Hinc eâdem facilitate

3. Priùs intelligitur divinâ relationē actualiter generans, quàm relatus ad Filium.

467. Intelliges tertiò, priùs intelligi Patrem in ratione actualiter generantis constitutum inadæquatè per divinam relationem sub conceptu determinantis actionem, seu intellectionem; quàm intelligatur relatus ad Filium sub conceptu relationis Paternitatis. Ratio etiam est. Quia cùm in creatis actio se habeat tanquam fundamentum, vel potiùs ratio fundandi; posteriorque sit ratione fundatâ, proprio ipsius fundamento: semper relatio generantis subsequitur ut quid posterius ad ipsam actionem generativam

rativam. Quæ omnia maximè congruunt noſtræ Philoſophiæ, in quâ actus eſſendi, actus primus operandi, & actus ſecundus, ſeu operatio realiter diſtinguuntur in creatis; cùm nulla creatura ſit immediatè operativa per ſuam ſubſtantiam.

Unde illuſtrantur dicta ſupra pro diſparitate fieri effectus creatus.

468. Ex dictis facilè capies argumentum ſupra factum, & ei adhibitam ſolutionem. Non enim poteſt intelligi Patri conveniens aliqua formalitas modificata, ſive appropiata per relationem ſub conceptu determinantis intellectionem, quin intelligatur in actu exercito generans: poteſt tamen intelligi Perſona, quæ Pater dicitur conſtituta per relationem ſub conceptu hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentiæ, aut per eam conſtituta ſub conceptu potentiæ, aut principii, quin ſub eo conceptu intelligatur exercitè generans: cùm hi conceptus præcedant noſtro modo intelligendi generationis conceptum. Nec ex hoc putet quis imperfectum Patrem Divinum: quia non hoc ſequitur; ſed ſolùm imperfectus noſter modus concipiendi: ſicut diſtinctio, quâ diſtinguimus formalitates divinas, nullam refundit imperfectionem in Deo contra ſummam & indiviſibilem ejus ſimplicitatem, quin potiùs arguit infinitam ejus perfectionem; cui cùm limitata virtus intellectûs noſtri adæquari non poſſit, eam pro hoc ſtatu diverſimodè per varios conceptus attingimus, ſe diverſitate tenente ex parte conceptuum; non verò ex parte Dei: quemadmodum non minuitur Sol ex eo, quod noſtris oculis minor appareat, ac in ſuâ quantitate ſit; & hoc ob nimiam; finitam tamen diſtantiam: quid ergo putabimus de Deo infinities ab intellectu noſtro diſtante?

Triplex cõtra nos objicitur ratio.

469. Objicitur ſexto. Tum quia intellectio eſſentialis ſub eodem conceptu abſoluto intelligitur huic Deo conveniens, quin illum generantem conſtituat. Ergo ſi Patrem generantem conſtituit, non eſt ratione abſoluti, quod dicit; ſed ratione ſuperadditæ relationis, quâ dicitur ad eſſe Patris; & conſequenter ipſa relatio erit ratio formalis conſtituens Patrem generantem, & non abſoluta intellectio: Tum etiam quia Pater pro priori, quo intelligitur in ratione Perſonæ, concipitur intelligens intellectione eſſentiali, & tamen non concipitur pro illo priori generans. Ergo intellectio etiam modificata Paternitate, eſt principium *quo* proximum generationis Verbi. Ergo ipſa prout ſic non eſt actualis generatio; cùm principium actionis ab iſtâ debeat ſaltem ratione diſtingui.

Exactam ſolutionẽ adhibeo.

470. Ad primum. Conceſſo antecedenti, diſtinguo conſequens: ratione relationis ut complentis, & determinantis intellectionem, concedo: ratione relationis præcisè, & ut formæ adæquatæ, nego conſequentiam. Adde, plures Contrariorum etiam hoc argumento redargui; cùm teneant, principium *quo* ſtare in aliquo abſoluto ut modificato relatione Paternitatis: & tamen abſolutum, prout præcedit Paternitatem, non conſtituit Patrem proximè generare potentem, ſed ſolùm prout relatione modificatum, quin ex hoc inferatur, in eorum ſententiâ, ſolam relationem eſſe potentiam generativam. Ad ſecundum diſtinguo antecedens: intellectione eſſentiali ut appropriatâ pro ſuo ſigno, concedo: intellectione eſſentiali præcisè ſumptâ, nego antecedens. Ratio eſt. Quia intelligere, & dicere in Patre idem ſunt: *dicere* autem non eſt quid abſolutè præcisè. Et diſtinguo conſequens: prout modificata Paternitate ſub conceptu hypoſtaſis, & ſubſiſtentiæ, concedo: prout modificata ſub alio conceptu, nego conſequentiam. Quod ſi inquiras, quis ſit hic conceptus? Reſpondet Godoy, eſſe ipſiſſimum, ſub quo Adverſarii aſſerunt, relationem eſſe generationem. Iſtum, dicit hic Author, non generationis rationem ſortiri: ſed complementi formæ, in quâ ut ex illo completâ generatio conſiſtit. Nos verò jam diximus, relationem conſtituere generationem ſub eodem conceptu, quo ipſam intellectionem determinat, eamque appropriat in ratione actionis, quæ ſoli competit Patri. Ad tertium reſpondeo, quod licet principium generationis *quo* proximum, & ipſa generatio ſint idem ſecundùm rem; ratione tamen, & juxta noſtros modos concipiendi diſtinguuntur: unde intellectio actualis etiam ut modificata Paternitate, potiùs eſt actualis generatio, quàm generativa potentia: in quo autem talis potentia conſiſtat, jam ſupra profeſsâ lite diſputavimus.

Proceſſio igitur paſſiva Filii non ſtat adæquatè in Filiatione; quippèn ratione iſtius præciſè, ſed ut complentis intellectionẽ Filius eſt paſſivè productus

471. Objicitur ſeptimò. Sic comparatur proceſſio activa ad perſonam producentem, ſicut proceſſio paſſiva ad Perſonam productam. Sed paſſiva Filii proceſſio in Filiatione ſtat adæquatè. Ergo proceſſio activa, vel generatio adæquatè in Paternitate conſiſtit. Minor probatur. Quia Filiatio taliter determinat Filium ad eſſe producti, ut nec eſſe, nec intelligi poſſit in ipſo, quin ſit, & intelligatur paſſivè productus: id autem nulli alteri formalitati, quæ ſit in eo, poteſt convenire; nam præter relativum ſolùm reſtat abſolutum; & prædicatis abſolutis hoc, quod eſt produci, in divinis omninò repugnat. Ergo. Non eſt una mens inter noſtræ ſententiæ Doctores, ut fiat ſatis objectioni factæ. Noſter Granados, minori conceſsâ, negat majorem. Nos verò ècontra reſpondendum putamus, ut doctrinæ conſequentia principiis datis omninò cohæreat. Quare conceſsa majori, nego minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: quin ſit & intelligatur productus ratione Filiationis præciſè

Præcisè, & adæquatè, nego: Ratione filiationis, ut determinantis intellectionem, concedo antecedens. Solutio constat ex dictis in præcedenti argumento, estque conformis sententiæ Sancti Thomæ quæst. 9. de Potentiâ, artic. 9. ad 3. ubi hæc habet: *Eadem enim potentia est Patris, & Filij, per quam & Pater generat, & Filius generatur.* Ita ibi. Infero inde: Ergo etiam idem actus erit, quo Pater actu generat, & quo Filius actu generatur; ac proinde eadem intellectio, quæ prout determinatâ Paternitate, in Patre est generatio, seu processio activa, eadem prout determinata relatione Filii, in Filio erit passiva processio.

Opponitur, quod generatio est ratio distinguẽdi Patrem à Filio.

472. Objicitur octavò. Generatio est ratio distinguendi Patrem à Filio. Sed sola relatio est ratio distinguendi Patrem à Filio. Ergo sola relatio est generatio. Major patet. Nihil potest se ipsum generare. Ergo generans per generationem realiter à genito distinguitur; sicut quia nihil potest ad se ipsum referri, relatum per relationem à suo relativo distinguitur. Idem sentit S. Thomas quæst. 2. de Potentiâ, art. 2. non ad primum, ut malè citatur apud Godoyum; sed ad 3. apud quem cautè lege locum S. Doctoris; quippe apud illum quæst. 27. de divinis processionibus, tract. 9. disputat. 71. §. 4. num. 54. concludit authoritas Sancti Thomæ sic: *Non oportet naturam distingui, sicut nec potentia generandi; cum potentia sit principium quo.* Ego verò apud Sanctum Thomam aliter lego; videlicèt: *Unde non oportet, naturam divinam distingui, sicut potentia generandi; cum potentia sit principium ut* Quo.

Respondeo id verum esse de generatione creatâ; de increatâ autem, nõ adæquatè sed 2. relativum.

473. Distinguo ergo majorem: Generatio creata: nego majorem Generatio divina, majorem subdistinguo: Secundùm totum, quod dicit generatio, nego: Secũdùm quid, quod involvit; nimirùm relativum, concedo majorem. Dixi *generatio creata*: Quia licèt generans creatum à genito distinguatur; tamen id, quo actu generat, est utrique commune; non enim generatio est magis propria generantis activè, quàm sit respectu geniti passivè. Hoc autem, ut ex dictis patet, in generatione divinâ non contingit: Quia suâmet proprietate personali ut modificante, vel determinante intellectionem, generat Filium; sic igitur activa generatio communis esse non potest.

474. Instabis primò. Generatio divina est omninò simplex. Ergo vel est ratio distinguendi se totâ, vel sub nullâ ratione. Consequentia patet. Quia in re omninò simplici non est dare partem, & partem. Secundò. Quia relatio utpotè ratio distinguendi, se totâ differt à correlatione sibi oppositâ. Ergo si generatio est ratio distinguendi Personas, se totâ debet à genito distingui. Ad primum distinguo antecedens; est omninò simplex simplicitate, quæ opponitur compositioni, concedo; Quæ opponitur constitutioni ex pluribus fundamentaliter à parte rei, & formaliter solâ ratione distinctis, nego antecedens, & consequentiam. Quia, ut sub unâ ratione distinguat, & non sub aliâ, sufficit, generationem constitui ex duobus rationibus fundamentaliter inter se distinctis: Quod fundamentum cum sumatur ex infinitâ, & incomprehensibili perfectione Dei, qui est trinus, & unus, potiùs arguit perfectionem, quàm imperfectionem, dummodò non concedatur propria aliqua, & intrinseca distinctio. Si enim omnes Catholici solâ Fide benè componimus in unâ simplicissimâ entitate unitatem cum Trinitate; quare ergo non intelligemus in unâ simplici entitate rationem identitatis, & rationem distinguendi? Ex eodem enim infinitatis principio utraque oritur, & dissolvitur difficultas.

Generatio divina est omninò simplex simplicitate oppositâ cõpositioni; nõ autem cõstitutioni ex pluribus fundamentaliter, vel formaliter ratione distinctis.

475. Ad secundum distinguo antecedens: Relatio differt se tota, quia est ratio distinguendi, nego: Quia est ratio distinguendi se totâ, differt se totâ, concedo antecedens. Igitur cum in divinis totalis ratio oppositionis unius Personæ cum aliâ, ortum habeat à relatione solùm, ideò relatio se totâ distinguitur. Ratio verò, quare generatio activa, licèt involvat rationem distinguendi, se totâ non differat, est: Quia ad perfectionem agentis spectat assimilare, aut identificare sibi terminum, non solùm in principio remoto; sed etiam in proximo, & ut constituto in ultimâ actualitate, licèt non in omni eo, quod complet, & determinat ultimam illam actualitatem; quia hoc est relatio, quæ solùm complet, & determinat cum oppositione ad terminum.

Do rationem, cur generatio activa, licèt involvat rationem distinguendi, se totâ non differat.

476. Oppones nonò. Contra tertiam Conclusionem. Actus, quorum termini, & modi tendendi sunt diversi, adæquatè distinguuntur. Sed dictio, & intellectio respiciunt terminos diversos: Prima enim respicit Verbum productum; secunda verò objectum cognitum: Deinde habent diversos modos tendendi; nam dictio tendit producendo Verbum, intellectio verò non tendit producendo objectum; sed solùm ipsum percipiendo per modum contemplationis. Ergo distinguuntur adæquatè.

Dices cõtra 3. Cõclusionẽ, actus, quorum termini, & modi tendendi sũt diversi, adæquatè distinguuntur.

477. Mitto instantiam, quæ posset in ipso intellectu fieri, in quo ratio intellectivi, & ratio dictivi reperiuntur, non obstante illâ terminorum, & modi tendendi diversitate, quæ ponitur in argumento, quin propter eam necessarium sit, duas poten-

Id falsum est, si distinctio terminorũ sit tãtũ materialis præter-

quâ quod dictū patitur instantiam.

potentias adstruere; aliam ad intelligendum, & alteram ad dicendum. Igitur distinguo majorem: Si distinctio terminorum, & modi tendendi sit formalis, concedo; si sit tantùm materialis, nego majorem. Cum ergo Pater intelligendo dicat, seu producat Verbum; intelligere, & dicere quodam ordine subordinationis se habent, qui ordo cum ad eandem lineam intellectûs pertineat, in eodem quoque actu intellectûs intellectio, & dictio componuntur; imò, ut docui Tractatu de Animâ, etiam in creatis ita contingit; nam per eundem actum, quo formatur Verbum, res intelligitur in ipso verbo. Quod edocet Sanctus Thomas Opusculo 14. de naturâ verbi intellectûs, sic: *Verbum igitur cordis est ultimum, quod potest intellectus in se operari ad ipsum, in quo quidditas rei recipitur; imò quia ipsemet est quidditatis similitudo, terminatur intelligere; sic enim habet rationem objecti intellectûs; ut verò est per intellectum expressum, ei conjungitur* dicere; *& sic ipsum idem verbum est effectus actûs intellectûs, qui est formativus objecti, & ipsius dicere.* Ita ibi. Si autem hoc in creatis evenit, in divinis nulla attenditur difficultas.

Replicas, ideò sequi divinā intellectionē primariò terminari ad Verbū, & ratione illius ad divinam essentiam.

478. Replicabis. Ex doctrinâ datâ sequitur, divinam intellectionem primariò terminari ad Verbum, & ratione illius ad divinam essentiam. Sed hoc apud omnes reputatur ut falsum: Cum intellectio utpotè verbi productio, prior sit verbo producto. Ergo. Sequela probatur. Quia dictio ex suo conceptu principaliter dicit ordinem ad verbum, & isto mediante, ad rem intellectam. Ergo si intellectio est dictio, debet priùs respicere Verbum, & verbo mediante, rem in illo intellectam; & consequenter primariò terminabitur ad Verbum, & secundariò ad divinam essentiam. Minor probatur ex Angelico Thomâ dicente: *Sed quia objectum non habetur nisi in Verbo, ut dictum est, objectum etiam priùs est, quàm quælibet actio ad ipsum terminata; ideò Verbum priùs est, quàm intelligere: Et hoc totum ideò contingit, quia non terminatur actio intellectûs ad rem extrà, à quâ acquirit speciem, ut in se est.* Ita ibi.

Nego sequelā, & intelligo Angelicū de dictione creatâ.

479. Respondeo igitur, negando sequelam. Ad probationem distinguo antecedens; dictio creata, concedo: Increata, nego antecedens. Et prima, non verò secunda, est, de quâ loquitur Sanctus Thomas, ut constat ex ejus ultimis verbis, in quibus dicitur, quod intellectus ab ipsâ re acquirit speciem; quod quidem de Deo, certo certius est, intelligi non posse. Ratio autem solutionis, & differentia utriusque intellectûs divini, & humani, sive creati in eo stat: Quod intellectio creata ut terminetur ad objectum, necessariò debet supponere Verbum; quia in illo, & ratione illius objectum contemplatur; ac proinde intellectus creatus ex necessitate intelligendi Verbum rei efformat secundùm speciem, quam à sensibilibus accipit, ab intellectu agente ultimò determinatam; & sic propter hanc necessitatem priùs intelligitur dictio, seu creata Verbi efformatio, quàm intelligere rem, cujus expressio formalis est ipsum Verbum; ad modum, quo priùs à me formatur species in speculo, ut me ipsum in illo videam; non quidem prius prioritate temporis; sed naturæ.

Deus autē nō producit Verbū suū ex necessitate intelligēdi.

480. At verò cum Deus non producat Verbum suum ex necessitate intelligendi; sed ex summâ perfectione, & fœcunditate intellectionis, & aliundè divina essentia sit infinita cognoscibilium similitudo; intellectio divina à nobis priùs, & primariò intelligitur ire, & tendere in essentiam, quàm producatur Verbum. Quibus maximè consonat tradita à Divo Thomâ doctrina quæst. 4. de Veritate, artic. 2. ad 5. ubi ait: *Dicendum, quod in nobis* dicere *non solùm significat* intelligere; *sed* intelligere *cum hoc, quod est ex se exprimere aliquam conceptionem; nec aliter possumus intelligere, nisi hujusmodi conceptionem exprimendo; & ideo omne intelligere in nobis, propriè loquendo, est dicere: Sed Deus potest intelligere sine hoc, quod aliquid ex ipso procedat secundum rem: Quia in eo idem est intellectus, intellectum, & intelligere; quod in nobis non accidit; & ideò non omne intelligere in Deo, propriè loquendo, dicitur dicere.* Ita Angelicus Præceptor.

Dictio igitur nō est actus ab intellectione adæquatè distinctus.

481. Sed instabis. Ergo jam ex Sancto Thomâ intelligere in divinis non est dicere. Ergo dictio est alius actus adæquatè ab intellectione distinctus. Concedo primam consequentiam, & nego secundam. Verum quidem est, quod intelligere in divinis præcisè non est dicere; cum etiam in Filio, & Spiritu Sancto detur intelligere, quin in eis detur dicere. Ex hoc autem non infertur, quod dicere in eâ Personâ, quæ dicit, non involvat intelligere; est quidem dicere in divinis ipsum intelligere, relatione Patris determinatum.

Tādē opponitur, dictionē intellectûs creatī non esse formaliter intellectionē, cū ex se non terminetur ad rē intellectam.

482. Oppones tandem. Dictio intellectûs creati non est intellectio formaliter. Ergo nec divina dictio. Consequentia tenet. Antecedens probatur primò. Quia dictio sub conceptu dictionis non terminatur ad rem intellectam; aliàs eam dictam, & productam denominaret; quod est falsum. Sed si esset formaliter intellectio, ad rem intellectam terminari deberet. Ergo non est formaliter intellectio. Secundò. Quia dictio creata est prior intellectione: Priùs enim est, Verbum produci, quod fit per dictionem; quàm rem intelligi, quod ab intellectione præstatur: Cum ad hoc producatur, ut intellectus in illo contempletur objectum. Sed id, quod est priùs,

non

non includit formaliter id, quod est posterius. Ergo dictio creata non includit intellectionem; quod si hoc benè intelligitur. Ergo nec dictio divina claudit intellectionem.

Ex dictis in Opusculo 1. nego assumptū.

483. Evolve nostram Animasticam, præsertim disputationem illam inquirentem, in quonam intellectio formaliter consistat? Et ex eâ facilem capies in nostris principiis argumenti solutionem; in aliorum verò difficilè tradi. Quarè nego antecedens. Ad primam ejus probationem distinguo majorem: Sub conceptu adæquato actûs, qui dicitur dictio, nego: Sub conceptu adæquato actûs, sub quo appellatur dictio, concedo majorem. Possibili igitur intellectui imprimitur ab agente species intelligibilis, v. g. animalis, & mediâ istâ intellectus possibilis determinatus, duo ordinatè præstat: Primò format, & producit Verbum, quod est naturæ animalis expressa similitudo: Secundò simul ac tale Verbum producit, contemplatur in eo naturam animalis. Unde species illa intelligibilis, ut est forma, mediâ quâ Verbum efformatur, dicitur dictio; & sic intellectus non dicit, nec producit rem absolutè intellectam; sed illius tamen expressivum Verbum; ut verò naturam animalis contemplatur in Verbo, eademmet species dicitur intellectio: Unde *intelligere* aliud non est, quàm hanc speciem habere in ordine tantùm ad rem, quæ Verbo intelligitur; sic autem idemmet actus formalis sub conceptu dictionis est prior, & sub conceptu intellectionis posterior; in radice tamen, cum ea species intelligibilis sit, quæ dicitur intellectio, & ea sit prior Verbo mentis; potest dici, quod intellectio in radice sit dictione prior.

Doctrina tradita nova non est, sed expressè traditâ à S. Thoma Opusc. 14

484. Quæ doctrina non debet nova videri, cum perantiqua sit, utpotè Divi Thomæ expressa mens Opusculo 14. ubi sic ait: *Ex dictis manifestum est, quomodo attenditur prioritas unius ad alterum; prius enim naturâ est intellectus informatus specie, quæ est primum sufficiens intelligendi, quàm gignatur verbum; & ideò intelligere in radice prius est verbo, & verbum est terminus actionis intellectûs: Sed quia objectum non habetur nisi in verbo, ut dictum est; objectum autem prius est, quàm quælibet actio ad eum terminata; ideò verbum prius est, quàm intelligere.* Et paulò infrà: *Sed verbum sequitur immediatè intellectum in actu per speciem, à quâ procedit verbum, ut actus ex actu, & non ut actus ex potentiâ: Unde verbum posterius est actu intelligendi à parte intellectûs; & sic verbum sequitur ad intelligere, non in se; sed in radice.* Et in eodem Opusculo: *Actio autem animæ non est ad extrà; quia intelligere est motus ad animam, tum ex naturâ speciei, quæ in talem quidditatem ducit; tum ex naturâ intellectûs, cujus actio non est ad extrà: Prima autem actio ejus per speciem est formatio sui objecti, quo formato, intelligit; simul tamen tempore ipse format, & formatum est, & simul intelligit; quia ista non sunt motus de potentiâ ad actum; quia jam factus est intellectus in actu per speciem; sed processus perfectus de actu ad actum, ubi non requiritur aliqua species motûs.*

Item in eodē Opusc. post medium.

485. Et denique in eodem Opusculo post medium hæc dictat Magister Angelicus: *Quia igitur res intelligibilis eo ipso intelligitur, quo intellectus informatur suâ specie actu, prius naturâ est informari, quàm intelligere; sed non tempore, ideò videtur, verbum, quod sequitur speciem rei, similiter sequi intelligere ejus; hoc autem non esset, si per speciem rei tenderet intellectus in ipsam rem, ut est in se, sicut visus videt colorem extrà se existentem; & tum formaret verbum in se, re prius intellectâ; sed quia intellectus accipiens speciem à re per sensus, non ducitur per ipsam in rem, ut est in sui naturâ; sed in se est, quia ipse facit in se objectum, quod est in eo intellectum: Objectum autem naturaliter prius est ipso intelligere ad ipsum terminato.* Ita ibi. Et quibus patet, quid ad secundam probationem respōdendum sit; & simul constat, quàm male, inutiliterque laborent ii, qui censent, intellectionem immediatè ferri ad res ipsas in sui naturâ extrà intellectum existentes; ac si nobilissima spiritualis potentia esset sensus materialis, & extremus; ut hinc modum discas, quo intelligimus; & sic intelligas, quæ hucusque in hoc Tractatu accuratè discussimus, & discuteremus, si tempus suppeteret.

FINIS.

INDEX

Opuſculorum, Quæſtionum, Lectionum, &c. quæ in hoc Volumine Theologico continentur.

OPUSCULUM I.

De Divinâ Motione.

QUÆSTIO I.

De Uſu, & Abuſu Divinæ Motionis.

LECTIO I. *Communis, & certa utriuſq; Scholæ Doctrina ex Sanctis Patribus illuſtratur.* Pagina 1

LECTIO II. *Patrum Dominicanorum expenditur placitum.* 2

LECTIO III. *Phyſica Patrum Dominicanorum prædeterminatio ab authoritate Divi Thomæ convellitur.* 4

LECTIO IV. *Noſtrorum à ratione arma ad Theologicum M. Goneti clypeum noviter examinantur contra phyſicam prædeterminationem.* 7

LECTIO V. *Altera ad clypeum Magiſtri Gonet impingitur ratio.* 11

LECTIO VI. *Impugnatur per ſingula ſolutio Goneti.* 12

LECTIO VII. *Adſtruitur nova, & ſpecialis Phyſicæ Prædeterminationis confutatio* 14

LECTIO VIII. *Schola contraria armata, & exarmata authoritate Doctoris Angelici.* 16

LECTIO IX. *Infringuntur argumenta à ratione petita.* 18

QUÆSTIO II.

Ultima expenditur reſolutio circa modum, quo Deus concurrit, & liberum movet arbitrium. 21

LECTIO I. *Sententiam Sanctorum Auguſtini & Thomæ ut longè veriorem aliis præfero.* 22

Suffragium Eminentiſſimi noſtri Cardinalis Bellarmini pro concurſu prævio indifferenti. ibid.

Approbatorius calculus noſtri Cardinalis Toleti pro concurſu divino prævio indifferenti. 23

Sententia Patris Azor pro eodem concurſu prævio, & indifferenti. ibid.

Placitum Cardinalis noſtri Sforſiæ Palavicini, & aliorum Societatis pro concurſu prævio. 24

Replica Magiſtri Goneti. 25

LECTIO II. *Doctrinam valdè utilem ante reſolutionem præmittimus.* 27

LECTIO III. *Rem duplici Concluſione diluimus.* 29

LECTIO IV. *Illuſtratio & Probatio ſecundæ Concluſionis.* 33

LECTIO V. *Utraque Concluſio ab impugnationibus expeditur.* 34

LECTIO VI. *Conſequentia Doctrinæ, & mirabilis ſententiæ noſtræ connexio.* 37

OPUS-

INDEX

OPUSCULUM II.

De Usu, & Abusu Scientiæ Mediæ.

QUÆSTIO I.

Nonnulla præmittuntur pro Scientiæ Mediæ illustratione Præludia.

PRÆLUDIUM I. *Diversum esse creaturarum, & Scientiæ Mediæ divisio explicantur.* 40

PRÆLUDIUM II. *Illustratur modus, quo Deus omnia contingentia certò, & absque ullâ contingentiâ cognoscat.* 43

PRÆLUDIUM III. *Nova præcedentis doctrinæ illustratio ex præclarâ Magni Augustini authoritate.* 47

PRÆLUDIUM IV. *Causalitas divinæ essentiæ, & diversus modus attingendi objecta, variis propositionibus expenduntur.* 50

QUÆSTIO II.

An Scientia Media sit in Deo necessariò constituenda circa futura & conditionata.

LECTIO I. *Uno vel altero præmisso, Scientia Media asseritur & probatur.* 68

LECTIO II. *Prima Conclusio sit. Implicat scientia conditionata etiam certa, & infallibilis, quæ sit posterior decreto prædeterminanti subjectivè ex parte Dei, qualem adstruit Thomistica Schola: estq; Divi Thomæ principiis omninò contraria.* 71

LECTIO III. *Secunda Conclusio sit. Scientia conditionata, sive media est necessariò statuenda in Deo; illiq; omninò concedenda independenter ab omni decreto actu terminativè libero absoluto ex parte Dei, & conditionato ex parte objecti.* 82

LECTIO IV. *Proponuntur argumenta Thomistarum pro suâ contra primam nostram Conclusionem.* 97

LECTIO V. *Examinantur, & expenduntur argnmenta contra secundam nostram Conclusionem.* 111

Statuitur vera Solutio. 113

LECTIO VI. *Abusus Scientiæ mediæ detegitur ulteriùs ex clarâ, & brevi solutione plurium difficultatum à M. Goneto, & aliis Thomistis propositarum.* 123

LECTIO VII. *Aliud M. Goneti dissolvitur argumentum adversùs Concordiam gratiæ efficacis, & liberi arbitrij cum Scientiâ Mediâ.* 131

Expenditur Solutio R. P. M. Joannis Sandin. 132

OPUSCULUM III.

De Gratiâ Sanctificante.

QUÆSTIO I.

An Actus Contritionis sit forma formaliter sanctificans?

LECTIO I. *Prævia doctrina Controversiæ illustratur status.* 136

LECTIO II. *Relatis Doctorum placitis, efficaciter ex Tridentini authoritate Sententia nostra probatur.* 137

LECTIO III. *A ratione præcedens assertum ulteriùs nervosè propugnatur.* 139

LECTIO IV. *Recentiorum secùs opinantium acies exarmatur.* 142

QUÆSTIO II.

An de potentia Dei absoluta absque actu formali pœnitentiæ, vel sine gratiâ possit remitti peccatum per solam Dei extrinsecam condonationem?

LECTIO I. *Unâ, vel alterâ notatione controversia præsens illustratur.* 147

LECTIO II. *Totius controversiæ punctum unâ, vel alterâ Conclusione discutitur & illustratur.* 148

LECTIO III. *Ex principiis jactis contraria fundamenta convelluntur.* 152

LECTIO IV. *Consectaria aliqua.* 154

LECTIO V. *Argumenta contraria solvuntur.* 155

INDEX.

OPUSCULUM IV.

De Augustissimo, atque Inscrutabili Divinæ Trinitatis Mysterio.

QUÆSTIO I.

Quare Mysterium Trinitatis non dissonet naturali rationi? Ubi aliqua de principio syllogistico, & universali.

LECTIO I. *Dicta Theologorum.* 157
LECTIO II. *Verior dubitationis Solutio.* 160
LECTIO III. *Diluuntur Argumenta contraria.* 161

QUÆSTIO II.

In quonam stet Potentia, seu Principium *Quo* Divinarum Processionum?

LECTIO I. *Sententia Durandi.* 162
LECTIO II. *Solvuntur Durandi objectiones.* 163
LECTIO III. *Scoti sententia exponitur.* 165
LECTIO IV. *Argumenta Scotica expediuntur.* 166
LECTIO V. *Alios opinandi modos breviter discutimus.* 168
LECTIO VI. *Præcedens doctrina nonnullis*
LECTIO VII. *Veriorem Divi Thomæ sententiam eligimus, & probamus.* 171
LECTIO VIII. *Argumenta contraria solvuntur.* 176

QUÆSTIO III.

Cur Processio secundæ Personæ Trinitatis sit Generatio; non verò Processio tertiæ? 179

LECTIO I. *Ratio dubitandi, & pro eâ expedienda, Doctorum placita.* 180
LECTIO II. *Nonnulla ex veriori doctrinâ fundamenta jaciuntur.* 181
LECTIO III. *Mentem propriam triplici Conclusione produco.* 185
LECTIO IV. *Adstruuntur, & destruuntur oppositа contra primam Conclusionem.* 189
LECTIO V. *Solvuntur oppositа contrà secundam Conclusionem.* 191
LECTIO VI. *Oppositis contrà tertiam Conclusionem occurrimus.* 195
LECTIO VII. *Nonnullæ aliæ difficultates discutiuntur.* 200
LECTIO VIII. *Unum vel alterum Corollarium.* 204

QUÆSTIO IV.

Expenduntur dubia circà Divinas Relationes.

LECTIO I. *Quo pacto distinguantur Essentia Divina, & Relationes?* 205
LECTIO II. *Diluuntur Argumenta contraria.* 209
LECTIO III. *An sit alius modus, quo possint contradictoria in divinis salvari?* 214
LECTIO IV. *Solvuntur Oppositа.* 218

QUÆSTIO V.

An in Deo sit admittenda Subsistentia absoluta, & relativa?

LECTIO I. *Relatis Doctorum placitis, duplici Conclusione dirimitur difficultas.* 220
LECTIO II. *Solvuntur objectiones contrà utramque Conclusionem.* 222

QUÆSTIO VI.

An Verbum procedat ex cognitione omnium Divinarum Personarum.

LECTIO I. *Relatis sententiis, quod verius est, eligitur, & probatur.* 225
LECTIO II. *Solvuntur Argumenta.* 228



QUÆS-

INDEX.

QUÆSTIO VII.

An Verbum Divinum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium.

LECTIO I. *Prænotantur aliqua circa possibilitatem creaturarum.* 231
LECTIO II. *Verior sententia proponitur, & probatur.* 234
LECTIO III. *Solvuntur Argumenta contraria.* 235

QUÆSTIO VIII.

An Verbum procedat ex cognitione Contingentium? 237

LECTIO I. *Expenditur ex Philosophiâ, quid sit intelligere formaliter, & formaliter dicere.* 238
LECTIO II. *Relatis Doctorum placitis, duplici assertione dirimitur controversia.* 240
LECTIO III. *Solvuntur Opposita.* 243

QUÆSTIO IX.

In quonam consistat quidditas, & ratio Divinarum Processionum?

LECTIO I. *Statuitur in hoc puncto Catholica Fides.* 246
LECTIO II. *Relatis Doctorum placitis, vera sententia propugnatur.* 249
LECTIO III. *Quæ contrà militant, facilè expediuntur.* 253

FINIS.



LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

GUILIELMI HENRICI STREEL,

Suæ Sereniſſimæ Celſitudinis Typographi,
ad Inſigne Paradiſi Terreſtris.

Kempeyn
et
Spalda

KAMPERGER
OPERA
THEOLOG.
ET RIPALDA

Th
899a


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN